
Lusus delectat et usus.
Sibi dant contraria lucem
Alienis pulcrior armis
Par dispar
Alludere gestit
FAMILIARIVM ARGVTIARVM FONTES
IACOBI MASENI
E SOC IESV
COLONIAE AGRIPPINAE
Sumptibg IOAN. ANTONII KINCKII. Anno 1660.

Amice Lector,

Salve.

Figuræ hujus brevem expositionem reperies lib. 2. c. 1. p. 124.

FAMILIARIUM

ARGUTIARUM

FONTES,

Honestæ & eruditæ recreationis gratiâ excitati,

AUTORE

R.P. JACOBO MASENIO
E societate Jesu.

Editio altera locupletior.



COLONIÆ AGRIPPINÆ
Apud JOANNEM ANTONIUM KINCKIUM
ANNO M. DC. LX.

FACVLTAS

R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis IESV per provinciam Rheni inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi facta, ab admodum R.P.N. GOSWINO NIKEL societatis IESV Præposito Generali, facultatem tribuo D. JOANNI KINKIO, juxta Cæsareum privilegium, eidem Societati concessum, rursum imprimendi librum Familiarium Argutiarum compositum à P. JACOBO MASENIO ejusdem Societatis Sacerdote, & per deputatos ad id approbatum. In cujus rei fidem hasce manu mea, & consueto officii sigillo munitas dedi Coloniæ Anno 1660. 6. Nonas Maij.

Joannes Zwenbruggen.

Reverendissimo & Illustrissimo Domino

D. THEODORO SCVMINOWICZ,

Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Episcopo Gratianopolitano.

Sanctissimi Dñi. Nri. Pontif. Max. Prælato domestico & Assistenti, suffraganeo per Russiam Albam, & Cantori Prælato Vilnensi &c.

Reverendissime & Illustrissime Præsul.

QUem gravioribus impendis studiis animum, hunc ad humiliores aliquantò disciplinas benevolè demitte, & hosce labores meos, Reverendissimo Tuo nomini inscriptos, patrocinio & favore Mecœnatis optimi complectere. Miraberis fortasse & rem, & titulum libelli; & qua mente consilioque Familiarium ad Te Argutiarum artem deferam, suspensa cogitatione ponderabis: quòd nihil professione Tua, nihil eruditione,

nihil denique autoritate ſatis dignum reperias. Verùm tamen quâ es humanitate ſimul ac prudentia, ubi ingreſſus legendo altius fueris, invenies ſpero, quæ ſi minus ad raram eruditionem, certè ad honeſtam oble&ationem faciant, & animum ſeverioribus fatigatum ſtudiis non inutili remisſione detineant.

---- *Et amant alterna Camœnæ.*

Ex veterum quoque novorumque hiſtoricorum monumentis, non pauca ſeſe offerent, moribus hominum, cùm politicis, tum religioſis formandis idonea. Sapientum non rarò occurrent virorum effata, & quædam veluti antiquitatis oracula, Regum Principumque illuſtrium pronuntiata, & facta virtutem ac gloriam ſpirantia; quæ tanquam anima hiſtoriarum, & vitæ aliquod rectè inſtituendæ condimentum, parvâ in tabellâ, rudi tantum apparatu exhibentur, & quodam argutiarum melle illita, atque aculeo fixa (quod utrumque, tanquam apis, habent) ſuaviſſimo literarum guſtu, altiſſimoque in animum ſenſu, illabuntur.

vovi

Novi cui iſta exhibeam. Viro ſcilicet exquiſitiſſimæ per liberales omnes artes ſcientiasque eruditionis. qui, ut multa eorum, quæ hic trado, ex ſacra profanaque hiſtoria, jam animo complexus poſſidet; ita non poterit hoc in libello, ſuis utcunque lineamentis adumbrata, faſtidioſè averſari.

Gaudebit etiam aliena ſe legere, tanquam propria; quæq; jam ipſe poſſideat, ſui nominis auſpiciis cum aliis communicari.

Sed quantula hæc res eſt ad illam multiformis eruditionis Tuæ opulentiam! Quæ obſecro in humanis diuinisque literis diſciplina eſt, quæ ars, ſcientiaque, quàm non attigeris, didiceris, penetraveris? Linguarum hoc ſtudio aſſequeris, ut non uni natus genti videaris, occidenti juxta atque orienti ſoli Te poſſis impendere, & cum Romano Græcoque orbe loqui. adeoque illud Ciceronis (a) ſuo jure uſurpare.

„Cupio omnia quæ ſcio in alium trans„fundere, nec me ulla res delectabit licet „ſit eximia, ac ſalutaris, quam mihi ſoli

„profuturam videro. Si cum hac excep-
„tione detur sapientia, ut illam inclusam
„teneam, nec enuntiem; reiiciam. Nul.
„lius boni sine socio jucunda est posses-
„sio. (a)

Latias ita literas familiari sermone tenes, ut illæ tecum natæ videri possint, nosti quid in his rarum elegansque, quid minus expolitum, perspicaci oculo designare, & vile protritumq; despicere, meliora amplecti. Quare siquid in hoc labore meo emolumenti ornamentique ad has literas contuli Rdma T. Dnaōis arbitrio tutelæque, tanto submitto lubentius, quantò amantiorem me, digniooremque Patronum convenire intelligo.

De philosophia quid dicam? hæc enim planè in Te eximia esse intelligitur, sive illam, quæ naturalium rerum cognitionem spectat, sive, quæ mathematicorum regulis ac legibus continetur, sive quæ naturæ supergressa terminos cælestium sese rerum meditationi inserit, & metaphysica, voce solet usitatâ compellari. Neque vulgari hæc perfectione es assecutus, jam enim

(a) *Cic. in Ep. fam. 27.*

enim ſcriptis publica luce donatis, quibus mathematicam diſciplinam illuſtras, hoc ipſum teſtaris. Alieno non indiges præconio, tuamet hæc voce ſtyloque, poſteris etiam ſeculis, me tacente, loqueris.

Quod verò tanto Præſule longe eſſe digniſſimum cenſeo, illæ in te ſcientiæ potiſſimum eminent, quæ animum cæleſtibus rebus ſociant, Deo hominem præcipuè conjungunt. Ad illa divinarum ſecreta rerum, quæ Verbo Dei ſacriſque literis continentur, tibi volupe eſt penetrare. Eo conſilio, ut Orientalium linguarum cognitione imbutus, Sanctorum Patrum lectione paſcaris, eiſque ad hanc ſapientiam præſidiis enitaris, ſine quibus difficile eſt hanc arcem apicemque ſcientiarum poſſidere.

Porrò hæc ſtudia egregio hiſtoriarum condimento, ita præparare noſti, ut & Tibi alternante labore jucunda ſint, & audientibus, quando aliis communicantur, non parum amœna. Non opinor illius Te fugere moniti utilitatem, quod Baſilium Imperatorem Leoni filio quondam

„ dediſſe accepimus. Per Veterum, in-
„ quit, hiſtorias ire ne recuſes, ibi enim re-
„ peries ſine labore, quæ alii cum labore
„ collegerunt; illic hauries & bonorum
„ virtutes & improborum ſcelera Varias
„ humanæ vitæ inclinationes, rerumque in
„ illa converſiones. Mundi hujus incon-
„ ſtantiam & præcipites Imperatorum ca-
„ ſus: utque verbo complectar univerſa,
„ malorum facinora, pœnas & præmia bo-
„ norum, quorum illa fugies, ne in divinæ
„ juſtitiæ manꝰ incidas, hæc amplecteris. (a)
„ Nimirum, quod hiſtoria teſtis temporum
„ ſit, lux veritatis, vita memoriæ, & ma-
„ giſtra vitæ, jam dudum ex Tullio perce-
„ piſti.

Quando tamen, cum pulcherrima hac rerum cognitione, antiquiſſimam generis tui nobilitatem conjungis, atque inter Majores tuos, à σκύμνος Græco, Sclavonico σκύμεν (quod Catulum Leonis ſignificat) primis illis ſeculis, quibus Roxolani à vicina ſibi Græcia fidei Chriſtianæ lumen acceperunt, ob ſingularem ani-

mi

(a) *in paren. c. 6.*

mi fortitudinem, aliaque Leoninæ generositatis indicia, sexcentis retrò annis Skuminos appellatos, tot Magni Ducatus Lithuaniæ Terrarumque Russiæ primarii nominis Senatores, aliorumque illustrium patriæ officiorum administratores, longissimâ serie numeras; adeò, ut nulli in vastissimis Poloniarum regni Provinciis vetustiores invideas ceras: quid dicam, nisi te multarum rerum scientiam præclarâ nobilitate, nobilitatem exornare scientiâ; aurum gemmis, gemmas auro excolere? Virtutum porrò Tuarum longum texere catalogum, & Tua me prohibet modestia, & hoc scribendi vetat institutum. Illum Te tempore, quo nobiscum versaris, esse didicimus; ut & domestici à Te exemplum probitatis capiant, & extranei venerentur. Omnia magno sacroque in Te præsule dignissima, nostra inprimis JEsu Societas experta est, cujus favorem amoremque observantissimè amplectitur atque etiam, qua potest testificatione honoris obsequiorumque lubens rependit. Hæc sapientiæ virtutum-

stutumque Tuarum decora jam annis superioribus in Te Roma suspexit, atque etiam amplexa est, quando Innocentius illius nominis X Romanæ sedis hierarcha, Te in suum Prælatum domesticum novis honoris officiorumque titulis delegit, ut non tam recessisse temporum bellorumque iniquitate ab Ecclesia, quàm accessisse ad illam videreris.

Quocirca cum in hoc Tuo à patria recessu, ita etiamnum verseris, ut cum virtute, cum pietate, cum optimarum artium studiis perpetuam quandam societatem Tibi esse volueris. Has sanè Te ostendis opes animo complexum esse, quas neç locorum intervalla, nec diuturnitas temporum, nec militum violentia, nec furum solertia, nec quævis fortunæ adversantis injuria potuit auferre. Quandoquidē illis Te artibus addixisti, quæ, ut adolescentiam alunt, sic senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium & solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur (a)

(a) *Cic. pro Arch. Poet.*

Macte animo Rd.*ſſime* Præſul, & hac mentis tranquillitate, hoc adverſarum rerum ſolatio, dum potes, fruere. Patere etiam meâ operâ Tuis aliquid ſtudiis, illisque potiſſimum, quos ex hiſtoriarum lectione decerpis fructibus, nonnihil adiici. Juvenies hic aliquod ſeverioris ſtudii laxamentum, honeſti jucundique otii diverticulum, eruditæ recreationis alimentum. Reperies nonnulla quæ vitioſos mores aptè perſtringant, urbanitatem lepidè foveant, virtutem ſcitè ſuadeant. Dabis autoritatem Tuo nomine ac ſapientia: cùm humaniores artes, non ſine inſigni humanitate, complexus fueris. Addes Tuo favore gratiam, dignitate lucem, eruditione gloriam. Denique hoc quantulumque obſequium, quod ego minimus è ſocietate noſtra præſto, omnes debemus, benevolo vultu manuque acceptabis. Ita Superi Tibi ad facilem glorioſumque in patriam, atque Eccleſiam Tuam reditum, propitii ſint, & quos Tecum excoluiſti artes, ac foves in aliis, ad immortalem Dei Tuique nominis gloriam

con-

conſpirent; quamque à Te dignitatem excultæ accipiunt, hanc illuſtrioribus in fautorem ſuum honorum titulis cumulatè refundant. Ita vovet, & precatur.

Rd.ſſmæ & Illmæ Dominationis Veſtræ
humilimus in Chriſto ſervus.
J. M.

****
****
******
***

Ad

Ad benevolum Lectorem.

AMice Lector, quod aliquantò prolixius, quàm requirere præcepta hæc visa sunt, exemplorum narrationi sim immoratus, Tuâ factum est gratiâ; tùm ut in familiari humanæ conversationis usu, eruditam tibi ex varia historia suppeditarem differendi, moresque aliorum ex argutis Sapientum dictis formandi copiam; tum ut hac varietate oblectarem, atque ab illa avocarem levitate, ac petulantia, quæ in familiares congressus, quantumvis Christianorum hominum, sese ingerit, animumque juxta ac sermonem pestilenti quadam contagione inficit: tum denique ut hos excuterem è manibus libros, qui inter jocos salesque inverecundos Veneris spargunt lenocinia, proborum hominum, ac Principum, statuumque in vita Christiana diversorum famam existimationemque vulnerant. Quidquid igi-

igitur mihi per varias hiſtorias oberranti venuſtum ſimul argutumque occurrit, hoc in ſuos diſtributum fontes, ea lege exhibui; ut & ſua origine innoteſcere, & grata poſſet exemplorum amœnitate delectare.

Præceptionibus inhærere preſſius non lubuit, ſed has per nudas plerumque expoſui regulas, quod easdem in Epigrammatum dediſſem Argutiis magis explicatas. Ad quas pleniorem inſtructionem deſiderantem remitto. Et quoniam facetiæ & ſales ſuam ab his fontibus vim venuſtatemque derivant: quid deceret maximè ac dedeceret, quidque inprimis ad convivia honeſtè jucundeque tranſigenda faceret; diſſerere aliquantò accuratius, illud libro primo, hoc tertio placuit; ut vulgatiſſimis in vita familiari vitiis hoc qualecunque meum ſtudium opponerem: ne ioci tam inurbanè, convivia tam diſſolutè tractarentur; ut qui ad hæc convenirent, penè ſine animi vulnere non diſcederent. Ad quam rem ſiquid hoc meo labore contuli, fave, & fove.

FAMILIARIVM
ARGVTIARVM
Honestæ, & eruditæ recreationis,

LIBER I.

Introductio causas & rationem scribendi complectitur.

QUos argutæ urbanæque, cùm dictionis, tum actionis fontes, superioribus repertos annis, ad publicum usum excitaveram; ut familiaris hominum vita & conversatio ad honestam instrui formarique voluptatem posset: hos jam majori ubertate fluentes seorsum dare placuit, neque, ut hactenus, grammaticis argutijs immistos: tum quod maturiori ætati potius, quàm illi Epigrammatum lusus, conveniant; tum quod recéns vulgatum autorem, in arte sua Apophthegmatica, hisce Argutiarum fontibus, tanquam abs se inventis, usum videam; ideoque, vel me, vel illum Plagij crimine, à prudente Lectore, quisquis utriusque scripta legerit, onerari necesse sit. Ut justæ defensionis partes, mihi ratio & causæ æquitas imposuerit; ne & in his, & in ceteris scriptis, cùm symbolicis, tum oratorijs, sacris profanisque, quorum (si Deus tempus lucemque dederit) conceptus quoslibet rariores ex his inventionis derivo fontibus, alteri debere autori, nec tamen tribuere videar. Non

pudet aliena instructione uti; at mihi vendicare, ac sublegere, tanquam proprium, quod alienum sit, illius omnino puderet.

Ego fontes argutæ dictionis actionisque dedi, in *arte nova*, ut inscripseram, *argutiarum*, anno. 1649. Coloniæ apud Ant. Kinckium edita; septennio post, hoc est, an. 1655. sequitur alter, qui artis apophthegmaticæ fontes Noribergæ vulgat, iisdem principiis erutos, nisi quot everso ordine numeroque, ex meis fontibus quatuor, ipse (his in suas partes divisis) decem excitet: multò etiam plures, si singulas excussisset partes (quas ego venas appellavi) daturus. Quare cum hic autor ab aliis, id factum observantibus, ad me delatus esset, atque hæc in præfatione ad primam eius partem n. 11. verba legerem: *utamur privilegio, quibus omnium artium novis inventoribus, uti concessum est*, ut inventis addere liceat: *quisquis* enim *artifex debet augere artem suam*: ideoque is sibi hanc inventionem vendicet; seorsum mihi cum hac admonitione, familiarium argutiarum fontes dare placuit: non ut alium insimulem, cum quo nulla mihi intercedit æmulatio; sed ne ego aliena, tanquam propria, dissimulato autore ac nomine, videar iniquè usurpasse. Hasta Palladis abstineo, clypeum tantùm justæ defensionis obtendo. Indignari jure illa queat; cum casta & Virgo sit, quæ corruptores ferre non possit: Sed cum rudi hanc rem Minerva tentarit apophthegmatum digestor; neque ullam artis, quam profitetur, regulam tradiderit, mitiori admonitione perstrictum, velut novitium hujus scholæ discipulum, abs se dimittet, & cautiorem deinde esse jubebit.

Ne si fortè suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

Horat. ad Celsum in Epist.

Illud equidem miror, decem illum excitasse fontes, & nec decem quidem his complecti omnem apophthegmatum varietatem, quam quatuor ego fontibus strinxi. Iterum miror, quod argutè facta, quæ à me introducta sunt, in apophthegmatum seriem ab illo transportentur: cùm hæc, omnium Doctorum judicio, solis argutè sapienterque dictis illustrium virorum contineri censeantur. An hic ego cum Martiale cogar dicere?

Quem recitas meus est, ô Fidentine, libellus:
Sed malè dum recitas, incipit esse tuus.

Lib. I. Epig.

Voluit nimirum apophthegmatũ titulo hanc & artis distributionem, & rerum diversitatem lectori offerre; ne alieni usupator audiret.

Quæ si ipsi mutatio ad sui defensionem, mihi certè ad mei propugnationem sufficere visa non est: ut iccirco hanc animadversionem relinquendam putaverim, nulli injurius, dum propria tuebor.

Non culpo scriptorem alienis utentem, si profiteatur autorem; ne sibi arroganter vendicet non suum. In exemplis ignoscendum, quanquam & hic aliena fide, præsertim veterum, primorumque scriptorum, quàm mea uti malim.

Tutius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Non verebor, ubi ex autore illo se quicquam his tabulis opportunum modò obtulerit, ipsius autoritate signare: ita enim pro me fidem scriptis præstare

tenebitur. Quidquid hac lege alienum est, diligentiæ, opinor, laudem in scriptore merebitur potius, quàm cujusquam reprehensionem.

Quod ad argumenti à me suscepti tractationem attinet, tribus illud libris ita comprehendam: Ut in primo rectum usum familiarium argutiarum in vita humana tradam, in altero artem suis exemplis propositam, in tertio conviviorum hilaritatem hac potissimum eruditione, atque ingeniorum lusu condiendam esse doceam, quò multa evitentur vitia, quæ in familiarem sese hominum conversationem, cum magna integritatis atque animarum clade, insinuant.

CAPUT I.

Ad quem usum hi fontes eruditæ recreationis excitati sunt.

QUem ex opere hoc meo fructum ab amico lectore sperem, non dissimulabo; ut tanto magis, suum ipse etiam studium, cum hoc meo desiderio conjugere dignetur. Multis hac opellâ meâ, quamvis exili, servire volui, Cum enim plerorumque mortalium ingenia, ad remissiora illa studia, quæ sale, facetiis, atque urbanitate quadam aspersa sunt, propendeant, magisque arrectis hæc animis excipiant, quàm quæ cum severitate quadam, ex disciplina Catonis, aut Heracliti cujuspiam profecta videntur: illorum, hac in re, propensa animi inclinatione utendum censui: ut quâ multos facillimè ad scurrilitatis, ac levitatis vitia prolabi compertum est,

eſt, eâdem illos ad honeſtæ utiliſque exercitationis otium inflecterem. Ad quod provocabunt vel argutè, vel ſapienter ſimul ac lepidè dicentium, argentiumque non obſcœna invitamenta, nec invenuſtæ illecebræ. Curioſis jucundum dabitur ingeniorum pabulum; frigidis lectoribus aliquod legendi irritamentum, fatigatis, inter ſeveriora ſtudia, aliquis remiſſioris occupationis campus: otioſis labor minimè moleſtus ſubjicietur, quo fallant tædium. Vniverſis palæſtra quædam hiſtoricæ eruditionis aperietur, quâ animum tam inſtruendo reficiant, quam inſtruant reficiendo. Invenient enim in his argutè dictis factiſque, quæ mores Chriſtiano & politico homine dignos excolant; quæ vitia ſapienter perſtringant, errores corrigant; ad virtutem & honeſtatem invitent; animum quoque inter ſeveriora laxent ſtudia, & inſtitutis jucundè ſympoſiis ac conviviis ſerviant: eruditæ denique ac familiari inter homines converſationi non injucundam materiam ſuppeditent. Quæ ut aſſequaris plenius, & prudentem opportunumque in uſum transferas, paulò de his prolixius erit diſſerendum.

CAPVT II.

Quid ad familiarem hominum converſationem honeſtè & jucundè tranſigendam maximè faciat.

QVantum interſit ad familiarem hominum vitam, quæ in negotiis publicis privatiſque, inter ſeria, & remiſſa tranſigenda eſt, honeſtæ converſa-

tionis rationem habere, nemo ignorare poterit, qui turpis ac decori, vitij virtutisque discrimina noverit expendere. Ab hac enim potissimum hominum mores formantur, & pronissima est ad exitium via, si improbis atque ab honestate alienis socieris.

Politicum homo animal est, societatem quærit. *Solitarius homo*, ait lib. 1. suis in Politicis Philosophorum magister: *aut Deus, aut bestia est: aut nullius indiget, aut nulli convenit.* Et Romanus sapiens, suis in Epistolis: *Nullius*, inquit, *rei sine socio jucunda est possessio. Non magis utilitati est ager cum reditibus amplis, quam vicinus æqualis cum moribus bonis.* Ille etiam latinæ eloquentiæ princeps, postquam à foro & curia, à doctorum hominum consortio, ab amicorum consuetudine per exilium separatus esset, ad senatum reversus: *Amicitia*, inquit, *consuetudines, & vicinitates, quid habeant voluptatis, carendo magis intelligimus, quàm fruendo.* Huic igitur familiari hominum societati rectè utiliterque, ac cum honesta simul voluptate transigendæ; siquam ego operam attulerim, lectorque harum rerum impenderit, hanc utrimque optimè collocatam existimo. Nihil autem, vel jucundius, vel fructuosius ad familiares hominum congressus, quàm illam historiarum animam, quæ in sapienter dictis gestisque majorum nostrorum consistit, adferri posse, ipsam mecum puto experientiam manifestè testari. Etenim nihil est, quod majori aviditate audientium excipiatur, nihil quod altius imprimatur animis, nihil quod in actiones mortalium efficacius influat, quàm brevis, arguti sapientisque dicti energia; aut rarioris atque eximij facti memoria. Hæc sua dignitate &

pondere

pondere exstimulant, non ignavi aut degeneris hominis animum, seu perstringantur vitia, seu virtus suadeatur.

Quare cum omnis humana societas ad hoc instituta sit, ut ab altero alter emolumentum capiat, infirmus à firmo sublevetur, indigentiam unius alter fulciat, in eruditione, in opibus, in honore communicent: nihil verò in hac vita, aut facilius, aut præstantius sola eruditione aliis communicari possit, ut qua instructus ad honestatem virtutemque (in qua summa est hujus vitæ felicitas) proficiat; instructor verò sine jactura cujusquam boni prodesse soleat: ad hoc cuique jucundæ honestæque conversationis studioso contitendum est, ut optimis lectissimisque ad illam majorum dictis factisque imbutus veniat, quo fructum laudatæ consuetudinis ad alios transferat, & honestâ omnes voluptate perfundat, quâ huiusmodi societates, tanquam glutino quodam animorum, coalescunt. Menandri prudens monitum est:

Nil possidetur pulchrius scientiâ.

Præclarum & illud Senecæ præceptum est, quo nos, de *quatuor Virtutibus* disserens, ad mutuæ conversationis usum instruit. *quæ nosti*, ait, *sine arrogantia impartics: quæ nescis, sine occultatione ignorantiæ tibi postula impartiri.* Ita tua alij eruditione proficient, tu aliorum. Athenæ omnium olim disciplinarum commune diversorum, ad eruditam factorum, dictorumque inter Græcos, rationem habendam, in Dioneo sexaginta virorum concilium instituere, qui mutuâ hanc etiam disciplinam exercitatione alebant, & cum aliis communicabant. Vt s:-

tionis rationem habere, nemo ignorare poterit, qui turpis ac decori, vitij virtutisque discrimina noverit expendere. Ab hac enim potissimum hominum mores formantur, & pronissima est ad exitium via, si improbis atque ab honestate alienis socieris.

Politicum homo animal est, societatem quærit. *Solitarius homo*, ait lib. 1. suis in Politicis Philosophorum magister: *aut Deus, aut bestia est: aut nullius indiget, aut nulli convenit.* Et Romanus sapiens, suis in Epistolis: *Nullius*, inquit, *rei sine socio jucunda est possessio. Non magis utilitati est ager cum reditibus amplis, quam vicinus aqualis cum moribus bonis.* Ille etiam latinæ eloquentiæ princeps, postquam à foro & curia, à doctorum hominum consortio, ab amicorum consuetudine per exilium separatus esset, ad senatum reversus: *Amicitia*, inquit, *consuetudines, & vicinitates, quid habeant voluptatis, carendo magis intelligimus, quàm fruendo.* Huic igitur familiari hominum societati rectè utiliterque, ac cum honesta simul voluptate transigendæ, siquam ego operam attulerim, lectorque harum rerum impenderit, hanc utrimque optimè collocatam existimo. Nihil autem, vel jucundius, vel fructuosius ad familiares hominum congressus, quàm illam historiarum animam, quæ in sapienter dictis gestisque majorum nostrorum consistit, adferri posse, ipsam mecum puto experientiam manifestè testari. Etenim nihil est, quod majori aviditate audientium excipiatur, nihil quod altius imprimatur animis, nihil quod in actiones mortalium efficacius influat, quàm brevis, arguti sapientisque dicti energia, aut rarioris atque eximij facti memoria. Hæc sua dignitate & pondere

pondere exſtimulant, non ignavi aut degeneris hominis animum, ſeu perſtringantur vitia, ſeu virtus ſuadeatur.

Quare cum omnis humana ſocietas ad hoc inſtituta ſit, ut ab altero alter emolumentum capiat, infirmus à firmo ſublevetur, indigentiam unius alter fulciat, in eruditione, in opibus, in honore communicent: nihil verò in hac vita, aut facilius, aut præſtantius ſola eruditione aliis communicari poſſit, ut qua inſtructus ad honeſtatem virtutemque (in qua ſumma eſt hujus vitæ felicitas) proficiat; inſtructor verò ſine jactura cujuſquam boni prodeſſe ſoleat: ad hoc cuique jucundæ honeſtæque converſationis ſtudioſo connitendum eſt, ut optimis lectiſſimiſque ad illam majorum dictis factiſque imbutus veniat, quo fructum laudatæ conſuetudinis ad alios transferat, & honeſta omnes voluptate perfundat, quâ huiuſmodi ſocietates, tanquam glutino quodam animorum, coaleſcunt. Menandri prudens monitum eſt:

Nil poſſidetur pulchrius ſcientiâ.

Præclarum & illud Senecæ præceptum eſt, quo nos, de *quatuor Virtutibus* differens, ad mutuæ converſationis uſum inſtruit. *quæ noſti*, ait, *ſine arrogantia impartics: quæ neſcis, ſine occultatione ignorantiæ tibi poſtula impartiri.* Ita tua alij eruditione proficient, tu aliorum. Athenæ omnium olim diſciplinarum commune diverſorum, ad eruditam factorum, dictorumque inter Græcos, rationem habendam, in Dioneo ſexaginta virorum concilium inſtituere, qui mutuâ hanc etiam diſciplinam exercitatione alebant, & cum aliis communicabant. Vt ſi-

quod lepidè acutéque dictum audiretur, dicerent *οἱ ἑξήκοντα τῦτο εἶπον.* Sexaginta viri dixerunt.

CAPVT III.

In jucunda conversatione sales nonnisi cum delectu & moderatione adhibendos.

QVamvis Stoicos in conversatione ingenuorum hominum mores ubique non probem, qui nihil remissioris studij, inter urbanos sales jocosque versantis, admittant; tamen nec illam nugandi licentiam probare libet, quæ modestiæ verecundiæque trangressa limites, ad scurrarum dicteria ac procacitatem sese abjicit. Laxetur quandoque arcus, ne constanti rigore languescat; sed chorda solvatur, non dissiliat. Non aberravit à scopo, qui de arcu dixit & animo:

Arcum frangit intensio, animum remissio.

Tum videlicet cum hæc atque illa nimia est. *Extrema virtutum vitia obtinent.* Moderata remissio semper laudatur. Lucanus ad Pisonem suo hic more fæcundus facundusque in differendo est, dum sic canit:

—— Nec enim facundia semper
Adductâ cum fronte placet: nec semper in armis
Bellica turba manet: nec semper Cnossius arcus
Destinat; exempto sed laxat cornua nervo.
Et galeâ miles caput, & latus ense resolvit.

Resolvitur ensis, non abjicitur, aut frangitur. L. Cornelium Sylla hæc non vitasse immoderatæ severitatis ac remissionis vitia, *autor* nobis est *Plutarchus.*

Nam

Nam quem inter ſeria negotioſum triſtemque depingit; hunc, ubi ad convivia hiſtrionumque ac morionum conſortia ventum eſſet, adeò format diſſolutum; ut cum iis certaſſe dicteriis, ac ludendi protervia aſſerat, ætatis atque imperij majeſtate poſthabita. (*a*) Eſt modus in jocis adhibendus, quem qui aſſequitur, is urbanus feſtivuſque, qui omnino reſpuit, agreſtis & ruſticus, qui excedit, levis ac ſcurrilis habetur.

Cavendum quoque eſt, ne affectati nimium ſales ſint, ne frigidi, & ſine omni lepore, magiſque per vim accerſiti, quam ex re ingenioque felice nati, hæc enim non honeſtæ tantùm voluptatis guſtu deſtituuntur; ſed moleſto quodam faſtidio excipiuntur: dum concitata exſpectatio fallitur, & qui ſaltum promittit hinnuli, vix pulicis aſſequitur. Cum deſunt ſagittæ, noli arcum intendere, atque in ſcopum collimare. Stultum eſt ad omnia riſum captare, & cuivis flori ſuos velle aculeos ſubnectere, qui roſis tantum conveniunt. Infames eo in genere fuêre Tirynthij, qui cum ejuſmodi levitate ſe vileſcere aliis nationibus cernerent, præſertim quod ipſi immoderato omnia riſu exciperent: oraculum Apollinis conſuluêre; quo pacto ab hoc vitio expediri poſſent? reſpondit Delphicum illis Numen, ſi Neptuno, ſine riſu, taurum ad litus ſacrificaſſent, fore liberos. Ergo, ne quis ſua levitate ſeriam hanc actionem interpellaret, voluerunt procul eſſe pueros. At caveri non poterat, quin unus aliquis curioſitate ductus ſeſe immiſceret bovem jam immolaturis: quem dum ſubmoverent ſtudioſius: *quid*, inquit

(*a*) *Plut. in Sylla.*

ille, *vobis obsto? an timetis, ne victimam ego vestram devorem?* quo dicto in risum soluti, intellexerunt morbum inveteratum non facilè curari. (*b*) Siculi etiam à nimia dicacitate; & ludendi nugandique notati jam olim frequentia sunt. Vnde illud de gerris Siculis manavit proverbium. nam cum in expugnatione Syracusarum Athenienses crebrius gerras, hoc est crates viminеas, sub quibus & pugnabant latentes, poscerent; ideoque Siculi irridentes, gerras quoque ingeminarent, hæsit vocis memoria, ut nugamenta levissima gerræ dicerentur; & congerrones, qui mutua sese nugacitate oblectant. Vilescunt itaque hac immoderatione homines, quâ cum parcè circumspectéque utuntur, gratiam non exiguam merentur. Quo verò persona quæque gravior ex munere, aut dignitate habetur, tantò rarius iisdem utendum est. M. Tullio Ciceroni turpe fuit, immodicis seria etiam jocis confundere; & magis sæpe mordacibus, quàm utilibus delectari, ita dum Consul Murænam à Catone accusatum defenderet, Catonis ingenium, sectamque Stoicorum ridiculis dicteriis insectatus est, ut Cato exclamaret: *Dij boni, quàm ridiculum habemus Consulem!* Vatinius quoque acerba illum compellatione, *consularem scurram* nuncupare auditus sit. Indecorum hoc etiam Philippo Macedonum Regi fuit, quod seria quævis jocis sæpe importunis perturbaret, neque loci, temporisque, ac personarum rationem expenderet. Vt iccirco proprius eum Morio, quo ad jocos risumque ab illo captandum utebatur, dum profusius in illum Rex luderet, jactisque sese oblectaret dicte-

(*b*) *Athen. l.* 6. *c.* 6.

dicteriis, hoc dicto perstringeret: *Ego te non alo.* ut si diceret, ego Rex non sum, qui te tanquam morionem meum alam; noli igitur meum occupare officium. (*a*) Phocylidis dictum est:

Neque modum edendo, neq; loquendo negligas.

CAPVT IV.

Mordax dicendi libertas in argutè & jocosè dictis est devitanda.

MOrdacitas in hac quoque argutè dicendi ratione cavenda est, ne dum oblectare volueris lædas, dum prodesse noceas, dum placere displiceas. Quanquam nonnunquam eveniat, ut quo multis places, pluribus etiam displiceas; aut quo nonnullos recreas, occulto alios vulnere saucies, quod tantò profundius figitur, quantò argutius jacitur, aut majorem auditoribus risum excutit. Iucundum est aliorum vitia aculeatis dictis confixa, atque ad ludibrium proposita intueri; sed excipere hæc tela gravissimum est. Cum Plutarcho hæc differo. *Est,* inquit, *cum salibus magis, quàm convitiis exagitamur; cum hæc ab ira inconsultò sæpe proficisci videamus: illos non ex necessitate, sed studio contumeliæ & malignitate. Magis autem sales, seu dicteria mordent, quæ instar hamatorum telorum diutius inhærent; molestaque est morsis oblectatio elegantiæ, grata audientibus.* (*b*) Qua in re eidem placuit exemplo Ciceronis uti, qui dum ad Octavium verba faceret (quem ex Africa ortum memorabant, quibus subulâ perfora-

(*a*) Plut. in Sympos. l.2.c.1. (*b*) Ib.

tas aures habere consuetum.) ille se dicentis verba negabat intelligere: atqui *mirum illud*, ajebat Cicero, *qui aurem habes perforatam.* Fuit hæc verò Tullio dicacitas adeo in proclivi, ut nec amicis quidem parceret. Ita cùm civili in bello inter Cæsarem & Pompeium fervente, quidam Gallorum miles, ad hunc à Cæsare transfugisset, ideoque à Pompeio jure Civitatis Rom. donatus esset. *O bellum hominem,* exclamavit Cicero, *Gallo civitatem promittit alienam, nobis nostram reddere non potest!* Et sanè hæc tam mordax dicendi libertas, quâ perstrinxit quamplurimos Cicero, tam amicos, quàm inimicos: multos ab illo alienabat, ac mortem denique eloquentissimo viro peperit. Nihil enim perinde Antonius illius hostis sensit, quàm aculeatam dicendi vim, in se gravissimis ictibus libratam; ut iccirco mortui funere satiari non potuerit, sed linguam illam, quam velut pugionem toties sibi intentatum horruerat, acubus Fulviæ, impotentis conjugis, configendam tradiderit.

Potentioribus inprimis hoc dicacitatis genere non facilè illudendum est, nam cum suæ dignitatis contemptum non negligant, & promptam in manu vindictam ferant, persæpe feriunt. Memorat Suetonius Tiberium Cæsarem legata, populo à Cæsare Augusto facta, post mortem non esse executum. Quod cum ferrent nonnulli gravius, Mimus quispiam publico in funere, quo mortuus ante Cæsarem deferebatur, elata voce compellans defunctum, *perge,* ait, *refer Augusto, nondum pro ejus legatis satisfactum populo.* Ergo Tiberius, semet ictum sentiens, Mimum accersit, & quod illi ex legato debebatur exsolvit: ac

mox lictoribus interficiendum tradidit, mandato adjuncto, ut *nuntiatum iret Augusto, jam cœpta esse ejus legata persolvi.* (*a*)

Sed nec corporis vitia, quæque natura, aut sors homini negavit facilè sunt exprobranda. his enim non tam hominem, quàm ipsum naturæ autorem accusare & perstringere videris, penitusque hæc dicteria animum læsi subeunt, ut vel graviori se convitio vindicet, vel pœna etiam inflicta ulciscatur. Est in his naturæ vitiis perstringendis mirum quippiam, ut qui iis afficitur, ultrò quandoque in suos ipse defectus, cum aliquo etiam sensu voluptatis ludat; ubi tamen ab aliis eosdem tangi senserit, immodico nonnunquam dolore in furorem vertatur. Erat monoculus Rex Antigonus, neque hoc in se vitium dissimulabat, ut edicto quandoque grandioribus sibi literis oblato, quò commodius legeret, joco illud à porrigente exciperet, asserens: *vel à cæco id legi posse*: verum Theocritum Chium idem vitium exprobrantem, non tulit, sed necari jussit. Ille enim cum liberius in Regem jocatus esset, spes tamen eidem gratiæ fieret, modò ante oculos Regis pervenisset: adductusque exclamaret, *spem sibi salutis ademptam*, quòd oculos Regis non videret: suo judicio ab indignante Rege damnatus est. (*b*) Quocirca siquis ejusmodi lusibus delectetur, videndum inprimis, quis ille sit, quicum ludat, & quis ipse à quo hic lusus proficiscatur. Sunt à quibus feramus hæc ludicra; sunt quos in iisdem non toleremus. Nosti quod in fabulis est: observasse quandoque asinum, quòd

(*a*) *Suet. in Tiber.* (*b*) *Plut. Symp. l. 2. c. 1. & Macrob l. 7. c. 3.*

quòd canis aſſultibus ac morſiunculis herus ablandiens magnopere oblectaretur. Quare idem hanc gratiam occupare cupiens, dum inſultat morſibulque dominum vellicat, pro herilibus blandimentis fuſtuarium promeritus eſt. Ne in ſimilem impingas ſtimulum, tibi erit providendum.

CAPVT V.

Patienter in communi hominum conſuetudine excipiendum eſt, ſiquid fuerit acerbius intortum.

IUvat Senecæ de honeſta converſatione præceptiones hoc loco paucis inducere. *Omnes*, ait, *tibi pares facias; ſed inferiores ſuperbiendo non contemnas: ſuperiores rectè vivendo non timeas. In reddenda officioſitate neque exactor, neque negligens appareas. Cunctis eſto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Severior eſto judicio, quàm ſermone: & vitâ, quàm vultu. clementiæ cultor, clemens ultor, ſævitiæ deteſtator. Famæ bonæ, neque tuæ ſeminator, neque alienæ invidus. Rumoribus, criminibus, ſuſpicionibus minimè credulus, vel malignus; ſed potius his, qui per ſpeciem ſimplicitatis ad nocendum aliquibus ſubrepunt, oppoſitiſſimus. Ad iram tardus, ad miſericordiam pronus: in adverſis firmus, in proſperis cautus, & humilis; occultator virtutum, ſicut alij vitiorum. Si jocos exigis, hos quoque cum dignitate ſapientiæ gere; ut nec te gravent tanquam aſperum; nec contemnant tanquam vilem. Non erit tibi ſcurrilitas, ſed grata urbanitas. Sales tui ſine dente ſint, joci ſine vilitate, riſus*

ſine

sine cachinno, vox sine clamore. (*a*) Epictetus hominem cui nos familiari usu sociamus, vel ut præstantiorem, vel ut minorem, vel ut æqualem considerandum asserebat: præstantiori submissè auscultandum, minori modestè persuadendum ; æquali verò esse consentiendum. (*b*) Quam personarum rationem si cum illa Senecæ admonitione junxeris, non poterit non honesta atque utilis tua esse, sive in seriis, sive in remissis inter socios conversatio.

Illud verò ex præsenti instituto nostro inprimis monendus es: ut siquid facetè in cujusquam personã dixeris, etiamsi comiter intortũ telum evolet, ad recipiendum ictum plerumq; graviorem patientiâ obarmatus consistas. Nihil indignius, quàm nonnullos esse, qui impunè in quoscunq; sibi ludere, concessum esse velint ; ad levissimum quemvis ictum retortum impallescant. Qui pilam projicit, ut reverberetur expectandum est. Non illepidum in hoc genere est, quod Danti Aligerio tribuitur, qui Veronæ exulans, cum inter Canem Scaligerum juniorem senioremque assideret medius, & vel casu, vel industria servorum ossa ex carnibus antè illum cumulata essent; versi denique convivæ jocosè ad Dantem quærunt, miranturque ; *unde illa ante ipsum præcipuè ossium reperiatur congeries?* quibus ille; *nihil mirum esse, quando canes ossa comedant , ipse non potuerit eadem digerere?*(*c*) Iocus ille, ut amicè jactus, ita patienter exceptus est; quamvis graviori impulsu recideret.

Quod si verò interrogatione æqua , aut modesto joco , acerbius in te vibretur dicterium , quàm aut æqui-

(*a*) *Sen. de 4. virt. t. de cant.* (*b*) *Stob. ser. 3. de temp.*
(*c*) *Poggius in facet.*

æquitas, aut persona tua mereri videatur; tamen majori tibi laudi vertetur, si dissimulante animo tuleris, quàm si cum stomacho aut scommate exceptum ulciscaris; præsertim si ulcus aliquod tuum tetigerit, quo possis dolere. Laudata illa fuit Nicephori Phocæ patientia, quâ militis, avaritiã exprobrantis, excepit convitium. Ad milites lustrandos in campum progressus, canum inter ceteros senem reperit, qui militiæ nomen offerret : *quid* inquit, *tu in hac imbelli ætate militiam cogitas? multo* respondit ille, *jam validior sum, quàm quondam fuerim adolescens : olim enim frumento unius aurei duos onerabam asinos, nunc ipse solus fero , quantum duobus aureis comparatur.* Sensit dicterium Imperator seque negligentiæ atque avaritiæ perstrictum doluit, sed dissimulatione maluit, quàm vindictâ excipere: ne quantò exclamaret vehementius , tantò magis ulcus tactum profiteretur.

Sunt nonnulli leporis amantes, qui aliorum sese vitia , liberiori posse joco perstringere existimant. Verùm si tales illi sint, qui autoritate , aut potestate in delinquentem sibi concessa hoc factum non tueantur, plerumque non sanant, sed exasperant , ac parem alteri libertatem dicendi offerunt , quàm sibi indulserunt. Ita cum Demades Atheniensium orator ægrius ferret à Demosthene sese agendi leges accipere, ideoque indignans exclamaret : *me Demosthenes? sus Minervam ?* atqui excepit Demosthenes *hæc Minerva nuper in adulterio est deprehensa.* (*b*)quo dicto notam hominis levitatem acerbè traduxit.

Iam si quisquã tam insolens suis in dicteriis fuerit, ut

(*a*) *Cedren. de Phoca.* (*b*) *Plut. in Demosth.*

ut immerentium, quamvis leviter, existimationem perstringat, is sanè nisi ad omnem se tolerantiam obarmaverit, non semel mihi insanire videtur. Fuerat Petrus Luna quorundam factiosorum hominum sententiis declaratus Pontifex, sed meliorum voluntate rejectus: ad quem dum ex Constantiensi concilio duo Ordinis Benedictini Præsules ablegarentur, atque ille, *quid hi sibi corvi vellent?* sciscitaretur; alter eorum respondit; *mirum non esse, si ad ejectum cadaver advolarent corvi.* (*a*) quo illius à concilio damnationem illi exprobrabant. Ergo, repeto cum Seneca, *sales tui sine dente sint, joci tui sine vilitate.* Tuo te gladio dicteriorum feries, si imprudenter in alterius existimationem strinxeris. Neminem lædas, ut à nemine lædaris.

CAPUT VI.

Dicteria adversariorum, cum opus est, moderatè tantùm, & circumspectè elidenda.

AD retorquenda verò dicteria, cùm justa sese ratio offerre possit: ut si, vel aliquod intorquentis vitium corrigendum sit, vel autoritas impetiti defendenda: cavendum inprimis est, ne justæ defensionis, aut honestæ correctionis, aut etiam jucundæ conversationis limites excedantur. Qua in re circumspecto exercitatoque judicio opus est. Excessêre in hoc genere Philosophi, hospites liberti Regis Antigoni: quos cum lepidis ille quæstiunculis, ad risum convivis creandum exerceret, atque inter cetera

(*a*) *Poggius in fac.*

tera quæreret, *cur ex nigra & alba faba pulmentum unius efficeretur coloris?* Aridices philosophorum unus hoc ad irridendam philosophiam spectare ratus, acerbius, quàm par erat hospiti; & convivæ respondit, postulare se, ut vicissim Symposiarcha edisserat; *cur ex albis & nigris loris in tergo vapulantium similes maculæ gignantur?* quo dicto homini servitutem pristinam & vibices à Domino acceptas, nimium importunè exprobrabat; atque omnes ingenuos convivas in ruborem dabat. (*a*) Mitius erat quæsitum hospitis, quàm ut tam immiti quæsito refelleretur; & invitantis humanitas, & convivarum reverentia; & hilaritatis non interturbandæ ratio; philosophum hunc scurrilis dicacitatis; non amœniæ lepiditatis arguunt.

Plus gratiæ ac verecundæ observationis in amico habuit, quod celeberrimus in cantu tibiarum Ismenias præstitit. ille enim, cum tibiis inter sacrificandum plauderet, tardiusque sub lusu ad aram litaretur victima: conductor arreptis tibiis absurda satis harmonia litantibus plausit; atque interea, (corona ingratum tibicinem aversante) deproperatum sacrificium est. ut cantor, velut re ex voto confecta sibi ipsimet, ad vulgus refellendum, gratularetur, & *divina*, inquit; *res est gratiosè canere.* Ad quæ verba subridens Ismenias; *me canente*, ait, *Dij oblectati ferè moram sacrificio; te verò ut missum facerent, properè sacrificium acceperunt.* (*b*) Ita sine cujusquam vulnere urbanè cantu verbisque hinc inde lusum est.

Non tamen diffiteor fieri posse; ut amariori aliquanto

(*a*) *Macrob. l. 7. Sat. c. 3.* (*b*) *Plut. Sympos. lib. 2. qu. 1.*

quanto lixivio diluatur; quod joci gratia intorquetur, si vel defensionis ratio postulet, vel inurbanitas ludentis. ita M. Livius (quo Præfecto, Tarentum Hannibali proditū erat) honoribus, Q. Fabio Maximo ob urbem receptam decretis invidens: cum se ad ejusdem recuperationem suam quoque contulisse operam putaret, aliquando inter senatores in hæc verba erupit: *sua potissimum virtute Tarentum esse receptum.* Ad quem Fabius renidens dixit: *rectè inquis; nam nisi tu amisisses, ego non recepissem.* (a) Quo pacto hominis arrogantiam cum plausu omnium repressit. Plus mansuetudinis ac venustatis habet, quod Scholæ Antiochenæ moderator Libanio Sophistæ gentili, & Iuliano Apostatæ ob eruditionem in deliciis respondit: cum ille in Christum contumeliosè dicax quæreret: *quid agit fabri filius?* (hoc nomine Servatorem despiciens) *Non otiatur*, inquit, *ô Sophista; jam enim Iuliano tuo loculum fabricatur.* (b) Et sanè Vates fuit, cum à Persis haud multò post bello victus; cæsusque indignantem animam inter has voces effuderit: *vicisti, Galilæe, vicisti.* Hac igitur retorsione convitij non tantum non offendit; sed gratiam quoque ac laudem tulit. Quanquam futura, quæque nostram potestatem aut scientiam excedunt, non facilè intentanda sint: cum Deus horum sibi eventum reservarit.

Illud multò aptissimum retorsionis genus est, quod ipse ex suis dictis, qui jocatur importunius, instruxisse videtur. Ita malè vestitus homo Regis, nescio cujus, aulicos convenisse pro auxilio memoratur, cumque parum appareret spei, recordatus

(a) *Liv. dec. 3. l. 7.* (b) *Tripart. hist. l. 6. c. 44.*

tus Asinorum, quos nuper in pompa pretiosis viderat stragulis vestitos: postulavit hoc saltem sibi gratiæ fieri, *ut* illorum intercessione atque ope, *inter Regis Asinos haberi possit, ac nuditatem suam horum stragulis cooperire: Id verò,* inquiunt, *non erit impetratu difficile, modò commune cum illis pabulum, & clitellas, ac sæpe, fustuarium non detrectes.* Tum ille contractis humeris, inde unde venerat relegere viam cœpit, suâque se argutiâ perstrictum intellexit.

CAPVT VII.

Ratio personarum in jocis & argutè dictis, seu intorquendis, seu refundendis habenda est.

PErsonarum verò inprimis & dignitatis habenda est ratio. quibus enim reverentiam ac honorem debes, in hos acceptum quoque convitium retorquere, ut indecens, ita periculosum est. Hoc non ignoravit Romanus Pollio, in quem cum Augustus Cæsar Fescininis lusisset versibus, monereturque, respondendum esse Cæsari: *at ego*, inquit, *taceo: non est enim facilè in eum scribere, qui potest proscribere.* (*a*) Sunt tamen viri Principes, qui ejusmodi jocis delectentur, & lacessant alios, ut quippiam refundatur. quorum ingenio ad hanc rem licebit uti, non abuti tamen: ne crabrones irritentur. Talis erat Philippus Rex Macedonum, talis ipse Augustus, talis Alphonsus Rex Arragonum, talis Matthias Corvinus Rex Hungarorum, talis Rudolphus

(*a*) *Macrob. l. 2. Sat. c. 4.*

dolphus Cæsar Austriacæ primum in imperio gentes decus, talis & Leo Pontifex ejus nominis X. quos reciprocus ille jocandi lusus magnopere oblectabat. Et nonnulli quidem eorum, quæ videbantur factu dictuque jucundissima, referri in diarium ad memoriã volebant: ut ab Alphonso Morioni aulæ principi commissum erat, qui non facta tantum aulicorum, sed & Regis magis ridicula signabat. Inter quæ, cum nonnunquam retulisset illud, quod Rex Maurum hominem ex aulæ famulitio diu fidum, cum magna pecuniæ vi in Africam ad comparandos equos destinasset, subjecit ita signatæ in tabulis historiæ: *hoc factum Rex hodie commisit stultissimum.* Quod cum ex more ad Regem vesperi in tabulis referret. Quid, inquit Rex, hoc factum stultissimum censes? Censeo, inquam, reponit Morio. At si Maurus pro pecunia mihi ex Africa equos reduxerit, quid dicturus es? Manebit tamen, ait ille, facti historia: verùm subjiciam, reverso Mauro: *factum hodie longè stultius noster admisit Maurus, qui, tantâ sibi credita pecunia, ad Dominum redierit.* (b) Quo lusu Rex magnopere est oblectatus. Quanquam Morione ad similia non omnino temere utendum senserit. Neque enim facilè id cujus suaserim, ut ejusmodi libertatem temerario id hominum generi faciat. Ausus est homo dicaculus, qui Rudolphi Imper. facetam humanitatem non ignorabat, illi publicè obvius in via restare; cumque moneretur ab aulæ proceribus, ut transiret, *nequeo,* inquit, *nam suo Imperator naso obstat* (qui illi oblongus, & aquilinus erat) elusit humani-

(a) *Corrozet. & alij.*

manitate dictum Cæsar. Ergo, ait cedendum est, reductoque per manum naso, *age* inquit *progredere, jam nasus tibi meus cessit.* (a) ita evenit, quod Teutonico fertur adagio, qui Molitoribus se commiscet, farinâ conspergitur. Gravius hac in re Corvinus Rex, & illudere suum sibi domesticum tonsorem sensit, & vicissim eidem illusit. Familiariter illo Rex, ad jocos animique remissionem utebatur, quare hac fretus Regis benevolentia, cum Arragonius Cardinalis insigni ministrorum comitatu, qui defluentibus ad talos vestibus incederent, Corvino inter epulas adessent: tonsor promissiora Italorum pallia, in anteriori conclavio relicta, præsecuit; ut exituri sua omnes pallia, tam repentina metamorphosi decrevisse, & mirarentur ipsi, & alij profusè riderent. Rex ejusmodi hospitibus ita illusum esse indignatus, diu inquirit, vel ignorantibus, vel dissimulantibus aulicis; dum ipse suum tonsor facinus ridendo detegeret. Verùm Rex, ut ludibrium perpetua vindicaret memoria, & exemplo insolentiam castigaret, homini ita labia nareſque præputari fecit, ut ridentis deinde speciem, aliorum ludificationi expositus, præ se ferret. (a) Risus profectò miserabilis: cui suas tonsor lacrymas nonnunquam admisceret. Quisquis igitur honesto atque ad recreandos animos idoneo te aliosque lusu oblectare volueris, personæ & tuæ & aliorum rationem ne depone, cum dignioribus excedere periculosum, cum vilioribus indecorum est.

(a) *Cuspin. in vita.* (b) *Fulgos. l. 6. c. 3.*

CAPVT VIII.

An Moriones rectè Principum mensis ad convivas suis oblectandos dicteriis adhibeantur?

PRincipibus familiare sæpe viris est, Moriones inter epulas nugantes auscultare, ut lepidioribus eorum dictis, tum ipsi, tum hospites recreentur. Qui tum indocti, crassiorisque judicij, ac linguæ protervioris sunt, inamœnus hic, & parum ingenuis auribus animisque dignus lusus est. Evenitque nonnunquam, ut hospites, admissi cum gratia, cum offensione dimittantur. Notum est illud, ludibrium quo in aula Germani Principis legatus, naso aliquantum crassiore deformis, summo omnium convivarum risu exceptus est.

Morio enim qui mensam obibat, occasionem nugandi speculatus, circa hunc aliquamdiu hominem intentis oculis meditabundus substitit: donec cum admiratione, denique exclamaret, *pro Deum immortalem, quantus iste nasus est!* Risêre convivæ, ringebatur & erubescat legatus. Princeps ut hanc Morionis dicacitatem castigaret, jussit abductum flagris hoc convitium luere. Rediit deinde abstersis utcunque verberibus, & ut dominum hospitemque sibi demereretur, ac delictum corrigeret, renidenti ad legatum ore, extenuataque voce, ingeminat, *pro Deum, quantillus iste nasulus est!* Iamque magis confuso omnia risu implevit; ita ut ad immitiora iteratò verbera abstractus, non parum suum dolorem planxerit: demum, cum luisse se jam hospitis illius gratia

gratia non parum indignaretur, torvo vultu ac voce aspera præteriens, hoc illum dicterio vellicavit: *seu nasum, sive nasulum in fronte gestes, ego latrina eum devovero.* Ita abs Morione confusus hospes, atque ex unius ludificatione omnium traductus risu excessit convivio, documentum ceteris, ut vel ipsi à Morionibus: vel à se Moriones velint esse remotissimos.

Neque tamen si incidere contigerit, illud hominum genus contemptu aliquo perstringendum putes. Nihil patitur indignius. Stultum laudibus facilius, quàm vituperio frenes. Jonam Ferdinandi III. Imper. quamvis non insipidum Morionem, illud tamen aulici Principis dictum in consortio aliorũ pupugit: quod diceret, *cum stulto non loquor*: excepit enim repentè ille; *at ego cum tali loquor*, perrexitque insistere colloquio, ut alteri cum rubore esset cedendum.

Leo Pontifex X. mirè favit Poggio seni scriptis etiam facetiis celebri, tum verò Moro nobili, à gulæ intemperantia (cum Iovio loquor) articularibus doloribus distorto, & Brandino equiti, Marianoque Sannioni, facetissimis helluonibus, & in omni genere popinalium deliciarum eruditissimis. Nam inter alia portenta infamantis gulæ, lucanicas concisis pavonum pulpis fartas, commenti fuerant: quod obsonij genus mox successor Hadrianus VI. vir Batavæ frugalitatis mirabundus expavit. Verùm festivissimis eorum facetiis, salsisque & perurbanis scommatibus magis, quàm ullis palati lenociniis oblectabatur. Hi certis anni temporibus cum genio liberius esset indulgendum, in extrema infe-

inferioris mensæ parte, eá conditione regnabant;ut contumelias,quas citra valetudinis incommodum architriclini & structores inferrent, æquissimis animis paterentur. Multa enim eorum palato ac aviditati aliena cibaria, falsa gratissimarum rerum specie concinnata, ut simias & corvos,cœnantibus apponebant. Quæ tametsi jucunda omnibus, ac urbano nobilique Principe digna erant, in eo tamen,qui augusti Pontificis dignitatem sustineret, à severis & tristibus notabantur. (*a*) Andreas Maro ex poetarum extemporalium choro, sed non minor Bacchi, quàm Apollinis cultor, eidem Leoni in deliciis erat. Qui cum Archipoeta creatus, aliquando gloriabundus hoc carmen profunderet:

Archipoeta facit versus pro mille Poëtis,
Reposuit ad hæc eadem satis expeditus Pontifex,
Et pro mille aliis Archipoeta bibit.

Doctorum ac lepore quod in eruditionem condientium inter epulas consuetudinem sapientissimi quique probarunt: at parasitis, bibonibus, helluonibus, morionibus, mimis, scurris delectari, hoc soluti magis animi, quàm ingenui est argumentum. Ita enim foventur; non pauca vitia huic hominum generi familiaria, & probantur quandoque autoritate, atque applausu illorum,quorum essent animadversione corrigenda. Quod si enim otiosa etiam verba supremi judicis sententiâ castigantur, quo pacto hi lubricis, sordidis, adulatoriis, contumeliosis honorem,inter probos Christianos,conciliare poterunt?

Henricum III. Imper. Rom. adeo huic generi

B homi-

(*a*) *Iovius in Leone X.l.4.*

hominum adversum fuisse memorant;ut cum Agnetem Guilielmi Pictaviensis Principis filiam duceret, eamque regalibus sibi nuptiis Ingelhemij, haud procul Moguntiâ sociaret, maximam hominum morionum & histrionum turbam, ad exhilarandas hasce epulas confluentem, sine cibo potuque vacuam ac mœrentem dimiserit. (*a*)Ita circumspectus Princeps-*Corvos delusit hiantes.*

Fridericus III. Cæsar eodem animo ingenioque sapuit. Interrogatus enim à ministris: nunquid moriones ad convivium admittendos censeret? *Neque stultis*, inquit, *delectari possum, neque superbis esse amicus.* (*b*) Vox prudente Imperatore digna.'quid enim à stultis speres nisi stultum, atque adeò indignum sapientibus. Alphonsus Arragonum Rex, quanquam esset liberalissimus, & eruditi leporis amantissimus; tamen paucis, eisque parcè morionibus usus est, quod *cisternis rimosis persimiles diceret, quas ut nullus impleret imber, sic hos nulla satis impendia exsatiarent.* (*c*) Quare & hæc jactura rerum, eiusmodi hominibus malè impensarum, ab hoc studio revocabit. Sed & ipsa nobis ratio ac natura, ad hoc mortalium genus fovendum obniti videtur: quid enim indignius homine est, quam illa, quæ ab hominum, cum ratione agentium, consuetudine aliena sint, atque ad brutalem quandam amentiam degenerant, non modo probare & sectari, sed magnis etiam impendiis alere? Certè homo ethnicus Anacharsis hanc suo exemplo verbisque Christianorum hominum damnat insaniam. Ad morionum enim ludibria, & dicta

(*a*) *Crantz.l.4.met.c.32.* (*b*) *Æn.Sylvius l.2. de rebus gest. Alponsi.* (*c*) *Fontanus de liberalit.*

dicta factaque ridiculè composita, immotus ac si risu inter convivas adesse visus est. Verùm ubi de simia ad triclinium introducta, gesticulatio sua luderet, à risu non temperavit; causamque reliquis mirantibus dixit, quòd *hanc natura ad tam ridicula instruxisset: homo ad diversa, & rationi consentanea instructus, fingeret.* (a) Non igitur putavit hominis esse sapientis, illis delectari, quæ à sapiente essent homine aliena.

CAPVT IX.

Deo, rebusque sacris, per argutos jocos salesque, illudendum non est.

SAcrarum rerum dignitas ac reverentia hoc ab omnibus exigit: ut, vel nullis illa jocis tangantur; vel certè cum adjuncta æstimatione illarum hoc fiat. Non fuit impunis illa plerumque hominum licentia, quæ in Divorum contumeliam linguam insolenter jocosam exeruit. Notum illud ex Cornelio à lapide (b) exemplum est, quod huius seculi initio evenisse compertis ille testibus accepit, dum miles Batavus, jam religione mutata, adversus Deiparæ Aspricolensis, celebria id temporis miracula, censor esset iniquior. Hunc enim locũ cum transiret, equo monoculo insidens per contemptum Dei parentem invocat, & *siquid,* inquit, *potes, o Mariola, fac equus hic meus utrisque videat oculis.* Mirum dictu, vix sacrilegas preces absolverat, & equus alterum recepit in fronte oculum, ipse perdidit. sociis in stuporem

(a) *Athen. l. 14. c. 2.* (b) *Corn. in Lev. c. 24.*

& exemplum. quorum unus VVeertæ in Brabantia ca ·tus interfectusque, hoc factum publicis testatum signatumque tabulis reliquit. Neque valde illud dissimile quod ad Hallas Lipsius evenisse memorat, cum Ol.verius Tempelius Hallensis oppidi in eadem Brabantia obsidionem adiret. Etenim nonnemo militum Ioannes Zvvickius triumphum ante victoriam concinens, se mulierculæ Hallensi (ut probrosè Deiparam compellabat) nasum ablaturum minatus est. Venit, atque ad primum urbis conspectum glande salutatus plumbea, nasum amisit, risumque multo tempore sociis præbuit: qui si quid in illum joci spargerent, ad Hallensem abire mulierculam jubebant, ut nasum reposceret. (*a*)

Inter gentiles homines etiam, quos nulla religionis divinæ virtus, sed ratio sola, & idololatrica superstitio ad observantiam Deorum suorum instruxerat, Dijs rebusque sacris illudere, probrosum fuit, inflictisque sæpe cœlitus pœnis castigatum. Ita Dionysij Syracusani Tyranni impietas, quâ Deorum fana ac simulacra ornamenris pretiosioribus denudabat, inter dicteria & ridiculas ludificationes, multorum calamo traducta est, ac divinis etiam pœnis perstricta. Ille pocula aurea à manibus statuarum auferebat: dictitans, nefas videri, si quis à Diis oblata nolit acceptare. Mensas eorum argenteas quibus more Veteris Græciæ inscriptum reperit, *bonorum Deorum*; auferebat, dicens, bonitate illorum utendum esse. (*b*) Fuit & olim illa recepta inter Græcos consuetudo, ut postremò in conviviis poculum boni

(*a*) *Lips. in Hist. de Virg. Hall. c. 7.* (*b*) *Cic. l. 3. de nat. Deor.*

boni Dæmonis hoſpitibus præbiberetur, atque ita, concluſis epulis, menſæ tolli juberentur. Dionyſius igitur in templo Æſculapij inſtituto ſuper menſam illius convivio, denique ipſi Deo poculum boni Dæmonis propinavit, & mox, velut terminatis ritè epulis menſam argenteam tolli transferrique domum juſſit. (*a*) Ita cum ludificator ille Tyrannus probrosè illuſiſſet Diis: hi rurſum illuſerunt homini, ut execrationi ipſe multis; filius verò deturbatus ſolio regnoque ad infimam trivialium Magiſtellorum ſortem abjectus fuerit, ubi pro ſceptro ferulam tractare coactus eſt, & collecto, ex ſcholaſtico pulvere lucro, vitam inopem traducere. Dijs hominibuſque, & ipſe ridendus, & poſteri, qui antè omnes deriſerat. Non Vanè Horatius l. 1. Od. 24.

— Valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus.

Poſſumus hoc loco illud Dapſidæ Sophiſtæ accensêre. Qui Delphico oraculo illuſurus, cum nullius equi poſſeſſor fuiſſet, Apollinem adit, & per Vatem ſciſcitatur; *nunquid equum ſuum reperturus videatur*? cui oraculum reſpondit: *fore, ut propediem equum ſuum inveniat*. Receſſit ille exultans de comperta vanitate Apollinis; ſed in via Rex Attalus hominem, multorum in ſe convitiorum reum apprehendit, mortique addictum, ex vertice montis, qui ab equo nomen habebat, egit præcipitem. (*b*) Ita oraculo ſua conſtitit veritas, contemptori pœna. Hæc ſi ficta illa potuere Numina, quid à vero ſcurriliter ſpreto non reformides? Fuit Philippinis ex inſulis an. 1613. homo Chriſtianus, ut locuples, ſic apprimè tenax.

(*a*) *Athen. l. 15. Dipnoſ.* (*b*) *Cicero de fato.*

Hic monitus ab amico, opibus melius ad salutem utendum, cùm Deus scelerum vindex non desit, qui diluvio totum quondam orbem merserit. At, inquit, alter: *hinc opes colligo, ut si eluvione rursum mergendi essemus, scalas aquis altiores fabricari queam, quibus me eripiam.* Verùm jocularis hic derisor, non multò post, rivulum transiturus, lapsu præceps, exiguâ suffocatus aquâ interiit, (*a*) Ludebatur Bononiæ inter epulas convivasque jocis parum liberalibus, atque in ceteris unus præfectorum, postquam Gallum igne tostum multas in partes hospitibus dispertiendas secuisset. *hunc*, inquit, *Gallum D. Petrus ad vitam cantumque nunquam resuscitet.* *Id verò*, excepit alter, *nec Christo quidem possibile.* Mirum dictu, ad has voces Gallus collectis repentè partibus, sumptisque cum vita alis integer, evolavit, plausitque, ac jus omne ad improbè dicacium ora effudit, qui contractâ inde leprâ hereditariâ puniti sunt. (*b*)

Deus non irridetur. *D. Paulus ad Gal. 6.*

Posset fortasse simplicitati quorundā ignosci, aut inter jocandū incogitantiæ. Verū & in his excusationē reperire quandoq; difficilè est. Quæ nonnemo respondit Oratori sacro, qui pro Concione D. Christophorum magnis laudibus efferebat, quòd Christus sese illius humeris portandum dedisset, hæc vix censuram impietatis subterfugiunt. Quærebat ille. ecquis tandem esset, qui pari beneficio sibi à Deo præstito gloriari posset? & repentè adstantium quispiam: asinus, inquit, qui Christum eiusque matrem in Ægyptum transtulit. quæ responsio, ut inexspectata

(*a*) *Philip. Monettus in Annuis Philip.* (*b*) *Vincent. l. 25. c. 64.*

ſtata, riſum quidem conciliavit ceteris; potuitque abſque ſancti deſpectu, ad refellendum ſolum oratorem, ſubitò excidere minus cogitanti: tamen injuria non defuit etiam præter dicentis intentionem divino homini illata, & rebus præſertim ſacris in frequentia multitudinis irrogata. Vt quocunque demum pallio tam diſſoluta in rebus ſacris jocandi libertas velari non poſſit. Sed univerſim illa hic Veterum lex linguis profanis fixa eſſe debeat: de qua Horat. in odis

Odi profanum vulgus & arceo.

CAPVT X.

Verba ſacra ad argutam luder di materiam rarò ſine noxa traducuntur.

PRoclivis multorum lingua eſt, ad ſacras literas rerum ludicrarum facetiis interponendas, qui luſus omnino periculoſus eſt, atq; à reverentia verbo Dei habenda alienus. Hac improba dicacitate uſus annis ſuperioribus nonnemo in electione Alexandri VII. ſummi Pontificis fuit, qui in ſolenni illa purpuratorum Patrum congregatione plerorumque famam ex intortis S. Scripturæ ſententiis confixerat; quibus ſuo ita colore depingebat ſingulos, ut integram non paucis apud vulgus exiſtimationem hac cenſura adimeret. Operæpretiũ erit hac de re Concilij Tridentini ſenſum expromere, quem reliquit ſeſ. 4. in fine de libr. ſacr. editione. *Temeritatem*, inquit, *illam reprimere volens ſancta ſynodus, quâ ad profana quæque convertuntur, & torquentur verba &*

sententiæ S. Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat & præcipit ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba sacræ scripturæ adhæc & similia audeat usurpare: ut omnes hujus generis homines temeratores, & violatores verbi, juris & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur. Familiaris ille Germanum de Germanis ad epularem solemnitatem convenientium lusus est, quo illos ferunt convivium *Neli* celebrare. quâ voce complectuntur initiales literas quatuor sententiarum scripturæ S. Nam ut principio epularum taciturnos, ac deinde sensim ad profusam garrulitatem, & clamores sese effundentes describant: primò illud psalmi usurpant: *Non sunt loquelæ neque sermones*: Secundò illa de Apostolis dicta: *Exijt sermo inter fratres*: Tertio: *Loquebantur variis linguis*: Quarto: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Quæ quamvis sat apposite Germanorum in conviviis indolem ac consuetudinem exprimant; planè tamen indigna usurpatione ad hanc consuetudinem describendam traducuntur, neque illam concilij censuram subterfugiunt: quia ad profana & vana, sine debita scripturæ reverentia, atque emendationis fructu adhibentur. Quod si ad salubrem moderationem epularum ac gulæ spectarent, laudem etiam ferre possent, quæ modò reprehensionem merentur. Vt si dicas inter amicos convivium Iudæorum *Manhu* instituendum esse. hoc est; recolenda esse Sapientum virorum monita, in sacris literis convivantibus data. Primò,

Prov. 16. *Melius est vocari ad olera cum gaudio, quam ad vitulum saginatum cum odio.* Secundò Eccl. 31. *Aqua vitæ vinum hominibus; si bibas illud moderatè.* Tertiò. Eccl. 37. *Noli avidus esse in epulatione, in multis enim escis erit infirmitas.* Quartò Marc. 9. 49. *Habete in vobis sal,* (id est, sapientiam) *& pacem habete inter vos.* Quintò, Eccl. 31. 35. *Vinum in jucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio.* Hæc omnia ad rectam institutionem convivantium spectant, ideoque extra abusum atque offensionem versantur. *Quia omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, & arguendum.* 2. Tim. 3.

Crassior istâ superiori est, jocularis illa cujusdam hominis perversio, quâ ex glorioso Deiparæ Virginis psalmo per hæc verba: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes*, pauperiorum & divitum mensas ita comparavit; ut diceret: *esurientes implevit bobus, & divites dimisit in aves.* Quæ ut parum ingenij, ita multum habent perversitatis. Mira hac in re quorundam otiosorum hominum Romæ audendi fingendique libertas, quam in summa etiam orbis & Ecclesiæ capita ex S. literis stringunt, Marforio ac Pasquino, famosissimis ad hæc ludibria statuis, per affixas schedas loquentibus. in quibus illud de Pontifice, magna diu sanctitatis opinione Ecclesiam moderante, ac demum humano aliquo casu prolapso, jam diu celebratum est: cum probrosè hæ statuæ objectarent; quod in symbolo fidei de Christo dicitur: *& homo factus est*: atque iccirco ubi deprehensus quispiam, tanquam autor hujus facti plexus esset, verus autor subjecit: *passus etiam pro nobis.* Quo lusu homo ille plus salis, atque acuminis,

 quam

quam reverentiæ erga res sacras ostendit. Ita quibusdam peccare etiam, inter delicias & voluptatem habetur. Et summæ profectò impudentiæ est, illa quæ de salutis nostræ autore, verbis adeò venerandis adorandisque Ecclesia celebrat, hæc tam perversa calumniandi licentia, in aliorum famam & perniciem detorquere.

Constanti Martinus Pontifex indignatione Siculos oratores rejecit, quando illi pro sua gente, qui sub vesperis paschalibus Gallos omnes præsidiarios conjurato studio mactaverant, apud summam sedem, Ecclesiastico ipsos anathemate fulminantem, supplices facti: *agnus Dei, qui tollis peccata mundi miserere nobis*, identidem ingeminarent: ac Iudæis illos similes prædicabat, qui coronam simul Christo spineam imponerent manibus, simul verbis, ut Regem, honorarent. (a) Ergo sacra loqui & profana agere, ne quidem cum digna satis veneratione sacrarum scripturarum conjunctum est. Quamvis citra hujus facinoris adjuncti improbitatem, hisce verbis compellare Pontificem, quæ soli Christo, non vicario competant, planè insolens ineptumque videbatur.

Ad hoc genus criminis, referri & illa debet Gallorum militum simulatarum precum fictio, quâ Ioanni Fernelio regio Medico, in suburbanis Lutetiæ agris, illuserunt. Petebant ab illo in cœnam symbolam, malè sibi solutum abs Rege stipendium ad hanc non sufficere causati. Fernelius cum sibi deesse pecuniam diceret, idque fingi milites sentirent. igitur, inquiunt, Deus nobis in necessitate orandus est,

(a) *Æmil. lib. 7. hist.*

eſt, tantum digneris nobiſcum precari, fortè preces tuæ acceptiores ſuperis futuræ ſunt. Poſt orationem mutuò loculos excutiunt; cumque apud Fernelium plures aureos reperiſſent, tanquam votis potito gratulantur, & cum illo pecuniam dividunt. Medicus Henricum II. Gallorum Regem de injuria ſibi ſuperiſque irrogata queſtum adiit; ſed cum autores indicare non poſſet, jucundam aulicis præbuit ridendi materiam. *(a)*

Sed tamen ſuperi hanc perverſitatem diu impunitam non ſuſtinent. Vno hanc rem exemplo ſignaſſe, in hac, quam ſpectamus brevitate, juverit. Kenelmi Regis Merciorum ſoror, extremis à fratre odiis diſſidens, ideoque illius etiam cædis machinatrix, cum ejus præſens corpore exequiis, mente ab illis averſa, execratione potius, quàm precibus fratri adſiſteret, diſſimulanter functa pietatis munere, pſalmum Davidicum 108. in deteſtationem illius etiam retrogradè legeret, Deus tantam impietatem repentino ſanguinis per oculos ipſos erumpente profluvio ultus, cruorem extorſit pro lacrymis, & utrumque ſimul lumen ſuſtulit, ut jam cœca ſuam certius calamitatem intueretur, ſanguinis notis in ipſo pſalterio ad memoriam facti relictis. *(b)* Cave igitur, ne ſacris literis abſque reverentia utaris. Deus ſibi contemptum illum irrogatum ſentit, quo verbum ipſius ſpernitur.

(*a*) *Guiliel. Aragoſij Acroam.* (*b*) *Ranulphus lib. 5. hiſt. c. 29.*

CAPVT XI.

Hominibus ingenuis prorsus indignum est argutè dictis in re obscœna inverecundè ludere.

NIhil magis obvium, quam in illa jocandi atque argutandi libertate ad obscœna devolvi: nihil magis ingenuis hominibus turpe, ac noxium. Nam ut naturæ vitio ad illa propendemus, quæ honestati adversantur; ita verbis in apertum proferre, quæ factis occultantur, hoc omnino inverecundi est; illa etiam ornare dicendo, quæ nefas est faciendo prosequi; hoc prorsus est profligati. His pudor verecundæ frontis deteritur, honestas spernitur, virtus despicitur, scelera commendantur: gravissima plerumque animarum clade, si in adolescentum consortio, jocandi tam scurrilis licentia usurpetur. Hi enim cum ad naturæ inclinationem, aliorum lenocinia vident accedere, suisque hos verbis exemplisque blando sceleri favere, ambabus ulnis suavissimam hanc perniciem amplectuntur, & Sirenum his cantibus adhærescunt. Non frustra Ambros. lib. 1. offic. c. 18. admonet. *In nostro vero officio, nullum verbum, quod inhonestè cadat, non incutiat verecundiam. Et non solum nihil ipsi indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus eiusmodi prabere dictis. sicut Ioseph ne incongrua suæ audiret verecundia, veste fugit relicta. quoniam, quem delectat audire, alterum loqui provocat.* Igni in materiam fomentorum aridam immisso simile est verbum lascivum & procax, incendit, ubicunque adhærescit, pulcherrimum castita-

tis decus, animæque innocentis ornatum destruit, sive scripto, sive ore spargatur, atque in miserandum denique prorumpit incendium. *O ignis infernalis luxuria,* exclamat D. Hieronymus in Epistolis, *cujus materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintillæ prava colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cujus finis gehenna est.*

Legimus de S. VVallerico Episcopo hoc illum improbæ levitatis consortium ferre non potuisse, & cum verbis corrigere non posset, fugâ declinasse. Concesserat ille viator ad diversorium vesperi, in quo dissolutis moribus presbyter unà cum hospite in obscœnas hasce nugas, quibus animum oblectabant, effusi, ab Episcopo, ad eundem ignem ob frigus recepto, semel iterumque de scurrilitate hac amovenda moniti, non obsequebantur. Ergo Præsul se Deumque spretum dolens, collectis sarcinis domo cedit, asserens sibi aliquantò frigus tolerabilius fore, quàm hanc verborum lasciviam. Vix se moverat, cum hospes repentina se cæcitate, presbyter gravi ad inguina ulcere percussum sensit. frustráque deinde viro sancto supplices, hanc pœnam deprecati sunt. hic etiam vitalibus sensim putredine corruptis tristissimam mortem perpessus est: ut impuritatem quam ore volverat, corpore dissoluto expiaret. (a)

Ratio sola Ethnicum hominem Epictetum ad hanc probitatem instruxit, ut inter aurea illa, quæ reliquit, morum præcepta, hoc unum sit. *Periculosum est ad orationis obscœnitatem progredi. Cum igitur tale quid inciderit, aut (si feret opportunitas) objurgabis*

(a) *Surius in vita Waller.*

bis enim, qui sermonem illum injecerit, aut taciturnitate saltem, & rubore, vultuque ostendes, eam tibi orationem displicuisse. (a) Nos Christiani ab Apostolo ad Eph. 5. præceptum habemus. *fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Nam, *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* 1. Cor. 15.

Erat vir egregiæ probitatus Petrus Danus Comes Scrinnensis, sed levior una linguæ prolapsio, ad quam provocatus à Uladislao II. Polonorum Rege fuit, magna illum calamitate pressit. Fuerat ille cum Rege tota die prosecutus in silvis feras, jamque tenebris & fatigatione occupati, excitato in silvis foco, & cibo, aliquo refecti, humi stratis ad quietem penulis incumbebant; cum Rex Petrum interpellans, inquit, *Melius tua uxor modo cum Scrinnio cubabit, quam nos:* cui Petrus ut jocum retorqueret, *& tua,* inquit, *cum Dobeslo.* qui erat primariæ nobilitatis non inelegans in aula juvenis, ob familiaritatem cum Christina suspectus. Pupugit hoc dictum Principis animum, neque uxorem reversus celavit. Regina vindictæ cupiditate flagrans, Petrum ex filiæ nuptiis abstractum carceribus includit, linguam, sua lubricitate lapsam, præscindit, oculum utrumque effodit: qui lenta deinde tabe, intra quinquennium piacularis suæ offensionis hostia, confectus est: documentum posteris, quàm cautè cum Regibus jocandum sit. (b)

Vix ejusmodi dicta excusationem admittunt, nisi fortè extorqueat quandam loquendi libertatem necessitas, quâ Græce mulier in bellis Italicis non illauda-

(a) *Epict. in Enchir. c. 55.* (b) *Cromer. l. 6.*

laudabili audacia uſa memoratur. anno ſalutis 922. Beneventanus Dux à Græcis oppugnatus Theobaldum Spoletanum Ducem in auxilium accerſierat, qui Græcorum bello victor, quos interceperat, hos caſtratos, atque ad Eunuchorum redactos ſortem Imperatori Græcorum remittebat, dictitans Spadones ſeſe, quos ipſi in deliciis eſſe videat, honoris causâ offerre. Mulier ergo Græca cum interceptum ab hoſte virum in eodem verſari periculo videret, Theobaldum adit, queriturque, *hoc cum mulieribus bellum illi potius, quàm cum viris ſuſceptum eſſe; cùm viros ſibi capos remitteret.* Vnde Dux cum proceribus in riſum ſolutus, juſſit intactum illi virum reſtitui. (*a*) Quod neceſſitas hoc pacto extorquet, aliquam poteſt excuſationem mereri: citra hanc procaciter dictis excuſationem non facilè reperies.

CAPVT XI.

Scurrilitas omnis, atque illa potiſſimum, quæ in parum honeſtis rebus verſatur, ab argutis jocis proſcribatur.

NOn ſola obſcœnitas, verum etiam ſcurrilitas, quæ prona eſſe ſolet, ab hac liberali argutandi & jocandi diſciplina ableganda eſt. Romani Oratoris monitum eſt. *Ludo,* ait, *& joco, uti illo quidem licet, ſed ſicut ſomno & quiete, tum cum gravibus ſeriiſque rebus ſatisfecerimus. Verùm, ut pueris non omnem ludendi licentiam damus; ſed eam quæ ab honeſtatis actionibus non ſit aliena: ſic in ipſo joco aliquod probi inge-*

(*a*) *Sigon. l. 6. regni Ital.*

ingenij lumen eluceat. Nam duplex est jocandi genus: alterum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. (a) Adjiciam huic Apostoli consilium, *Colos.4.* ut sacra non minus, quàm profana autoritate ad hoc studium compellaris. *Sermo*, inquit, *vester semper in gratia sale sit conditus: ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Eutrapelia hic præcipuè necessaria est, quæ decorum hoc in sermone atque actione nostra ita moderetur; ut nec profusa dicacitate scurriles, nec stupida taciturnitate morosi dicamur.

Quæ de Gonella, histrione perquam faceto, & Ferrariensi Principi grato, memorantur, multum sæpe scurrilitatis habent. cum Stercutium ille inter agrestia Numina sibi valdè haberet familiarem. ut cum nonnemini esset pollicitus, certo aliquo pretio deposito, se illi divinandi scientiam, intra horam, unius pilulæ sumptione, traditurum. Assensus alter, haud multò post accepit porrectam ore pilulam, quæ cum se odore ac sapore suo proderet; isque exclamasset; stercus est, quod porrexisti. Tum Gonella. verè, inquit divinasti: teneris igitur ad divinationis pretium mihi exsolvendum. Alterum pedore excitato, cum is perstrictus naribus, hoc quod erat, factum diceret, se divinum fecisse jactitabat. (b) Quod factum nonnemo imitatus est, postquam hoc ænigma suis collegis proposuisset, ut suâ illud obscuritate eruerent, & enodarent. *Res*, est inquit, *quæ neque mortalis est, nec immortalis: vivitque, sed neque ut Deus, neque ut homo, neque ut animal,*

(a) *Cicer. lib. 1. offic.* (b) *Gogipanus joc.*

mal, neque ut angelus. Cum nascatur in præsentia, perit in præsentia: invisibilis omnibus, nota tamen omnibus. Cujus ænigmatis investigatione, cum aliquamdiu præsentes fatigasset: tandem Gonellæ modo nodum solvit. Quæ ut ab omni ingenua honestate aliena sunt, ita procul ab omni etiam familiari hominum consortio sunt proscribenda. Iure Ambrosius nos commonefacit, *Caveamus, ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam & concentum virtutum.* (a)

Quanta obsecro illius scurræ libido fuit alios illiberalibus iocis oblectandi, qui sepulchrali epigraphe nugari etiam post fata voluit. Sergius is Polus fuit, sepultus in Istria, qui in prolixa inscriptione tumuli hæc etiam apposuit:

Si vixi vitam tam gratam vobis,
quàm notam orbi & urbi:
Adeste mihi & favete, edictoque hoc meo
subscribite, & obsignate.
Siquis sibi vesicam onustam senserit,
Domum suam onus hoc reportet in cloacam.
Et arenti meo cineri
Cantharo piaculum festinet vinarium.

Poteftne hac scurrili levitate inconsultius quicquam reperiri, quæ ad ipsum traducta sepulchrum, tam funesta spectacula in ludibrium convertat? Et tamen, hæc pro dolor ludendi insania, ita mortalium occupavit animos, ut vix effusior inter familiares, quam ad ejusmodi jocos lætitia reperiatur. Martinus Arragonum & Siciliæ Rex jam moriturus Borræ Morionis oblectamentis etiamnum pascebatur.

(a) *Ambr. l. 1. offic. c. 20.*

batur. Borram enim ingredientem conspicatus, cur tamdiu absuisset? interrogat: cumque is diceret se hinnulo suo ex ficu per caudam, à quopiam, suspenso, in periculis adfuisse: Rex in risum solutus, mox egit animam, læta videlicet morte defunctus. (*a*)

Turpior ille neque à Deo impunitus B. Gangulphi uxoris jocus: Ad hanc enim cum, post funebria à clero populoque solenni ritu persoluta, ancilla quod acciderat retulisset; multos scilicet ægrorum ex contactu funeris ipsius convaluisse: atque improbè dicax mulier subjiceret: maritus meus ita faciet miracula, sicut podex meus cantat: evenit deinde, ut quoties illa ad loquendum verba depromeret, toties solveretur in crepitus. idque constanter sextâ feriâ, quâ martyrium Gangulphus subierat. Vt Pipinus Rex explorandæ veritatis gratia, accersitam mulierem, non sine admiratione facti, audierit. (*b*) Quâ pœna si scurrilitas omnis plecteretur: plurium ora, aut honestas contineret; aut soluta pudor confunderet. Consultè suos Ephesios, c. 5. nosque cum illis, Paulus hortatur. *omnis immunditia nec nominetur in vobis: aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.*

CAPVT XIII.

Argutandi facultas, ad aliorum irrisionem & subsannationem vertenda non est.

QUibusdam inter jocos argutiasque familiares mira inest ridendi subsannandiq; alios voluptas. his rugare

(*a*) *Valla lib. 2, histor.* (*b*) *Vincent. lib. 23. c. 159.*

rugare nasum, ironicè torquere verba, explodere per cachinnum aliorum dicta usitatum est, atque in his nugis ingeniosè ludere, aculeatisque; seu dictis, seu factis aliorum existimationi illudere, pro oblectamento habent. Quæ altius quandoque animum, quàm aperta convitia penetrant, quòd non ex offenso concitatoque ingenio, sed meditato proficiscantur, & lepore quodam omnium in se mentem convertant. Talis ille Ciceronis per Ironiam jocus fuit, quo Caninium Revilium unius tantùm diei consulem notavit: *Vigilantem* inquit, *habuimus consulem, qui in toto consulatu suo somnum non vidit.* Idem de Vatinio paucorum dierum Consule, sic lusit: *Magnum ostentum anno Vatinij factum est, quod illo Consule, nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuit.* (a) Sic aliorum fortunæ, rusticitati, formæ, moribus, ingenio, generi, vitæ illuditur, ut risui & ludibrio habeantur. quæ tantò plerumque gravius feriunt, quantò minus in nostra sunt potestate. Hoc genere scurrilitatis inprimis delectatus est Heliogabalus, qui hospitibus nonnunquam in convivijs follicatas sedes apposuit, ut sensim subsiderent, ac sub mensis accumbere, & prandere cogerentur, quos aliorum deinde irrisioni exponebat. Nonnunquam octo calvos, octo nigros, octo luscos, octo surdos, octo longos, octo pingues, octo podagrosos, angustiori mensæ, quàm quæ omnes caperet, assidere jussit; ut dum pro loco & ferculis certamen esset, risum cieret, inter hominum tam dispparem habitum, moresque. Parasitis in mensa altera sæpe figuræ tantum esculentorum, in cera, marmore,

(a) *Macrob. l. 2. Satur. c 3.*

re, ligno, ebore scitè adumbratæ ad spectaculum appositæ, ut aliis edentibus esurirent ipsi, ac falsis tantùm ciborum imaginibus luderentur. Tam volupe illi erat, aliis fallendis ridendisque sese impendere. (*a*) Parasitos quandoque rotis aquaticis illigatos, nunc submergebat undis, nunc rursus in altum extollebat. Cum aliquando velut ad ingens spectaculum multos admisisset, millena aliquot murium emisit, tamque incompositis ipse omnia cachinnis excipiebat, ut unius inter omnes risus facilè emineret. (*b*)

Ironiis hæc deridendi acerbitas valde acuitur. Ita Crassus orator, (*c*) cum pro Aculeone reo adversus Ælium Lamiam accusatorem, hominem deformem planè atque indisertum, diceret. Et Lamia dicentem odiosè interpellasset: *audiamus* inquit, *pulchellum hunc puerum.* Cui dicto cum arrisissent omnes: iterum ait: *audiamus etiam disertum*; & multò arrisum vehementius est. ita ut hac exsibilatione confusum elinguemque adversarium redderet. Quod quidem in defensione illa suscepta gratiam habuit, quam extra hanc non obtineret. plus tamen scurrilitatis sapit, quam ingenuum propugnatorem deceret.

Quod siquis ridiculo quopiam facto, aut quod stultum quendam errorem complectatur, ad risum improvisò concitet: ut ille, (*d*) qui vesperi à pulicum vexatus morsu, his utcunque fugatis, ne se rursum deprehenderent, lumen extinxit; aut qui ollam dormi-

(*a*) *Lampridius in Heliog.* (*b*) *Sabell. l. 6. En. 7.* (*c*) *Eras. l 5. apoph.* (*d*) *Gilbert. Cognatus l. 1. Narr.*

dormituriens ſuppoſuerat capiti,eamque,quò mollius cubaret, implebat paleis: aut qui in navi feſtinans, ut celerius hanc promoveret, funem malo alligatum omni ipſe contentione in eadem trahebat. talis profectò juſto omnium riſu excipitur,ſive ficto, ſive vero errore his factis deliret. Neque enim ad hæc ipſa nos Stoa jubeat eſſe agelaſtos. Sine cauſa ridere ſtultorum eſt, cum ratione etiam ſapientum. Tantum, juxta Comicum,

Riſus levis grave eſt malum mortalibus.

Pacis illud belliq; temporibus compertũ eſt. Hugo Capetus Gallorum hoc princeps docuit,poſtquam Othonis Germanorum Regis vires ridicula aſpernatione ſpreviſſet. Nam cum ad liberandum Ludovicum Franciæ Regem affinem ſuum, quem Hugo carceribus manciparat, legatum Otho miſiſſet, & Hugo Saxones tanquam effeminatos ſperneret, ac plura ſibi arma eſſe diceret, quàm Otho vidiſſet; renuntiavit Hugoni, ſe *ſtramineos illi pileos oſtenſurum plures quàm vidiſſet hactenus, pro ipſius etiam capite congruum ſubmiſſurum.* Eduxitque brevi legiones triginta duas: omnes tali uſas pileo,in quo colos femineas ſubtili arte tornatas, unà cum fuſis geſtabant, ut probrum Gallorum, ſibi objectum exprimerent, (uti nunc quandoque haſtis caudæ vulpium appenduntur) Hugoni verò femineus hic excercitus tantum incuſſit terrorem, ut Ludovicum ipſe dimiſerit liberum, Remiſque Hugonis nepos ab ipſo conſtitutus Pontifex, vero ſubrogato, eliminatus ſit, ac terrorem latè Otho circumferret, hoſte ubique intra mœnia recondito. Hoc ſcilicet multorum ludifica-

ficatorum ingenium est, ut martem tantum in lingua circumferant. (*a*)

Par aut etiam deterior Flandros Regis Galliarum irrisores pœna afflixit. Ludovico illi Comiti rebelles arma sumpserant. Qui cum Philippum Valesium Galliarum Regem in auxilium advocassent, Gandenses Gallum in vexillo militari pictum cum hac inscriptione præferebant, *cum hic Gallus cecinerit, Rex repertus* (sic Philippum velut illegitimum nuncupabant) *Casletum occupabit.* Sed non tantum Casletum, verùm & alia illorum loca, cæsis propemodum ad 20. Flandrorum millibus, occupavit.(*b*) Quam verè sapiens monuit, Prov. 19. *Parata sunt derisoribus judicia, & mallei percutientes corporibus stultorum.*

Quid illusoribus Patrum Societatis Iesu Antverpiæ factum sit Bredenbachius memorat. (*c*) Factiosorum illic hominum insolentia Patres ex collegio recéns condito abegerat; cùm nonnemo è Calvini grege in domum penetrans, colligati straminis fasciculum ex fenestra suspendit, tanquam contagiosa domus lue (cujus hoc ex more gentis signum) infecta esset. Collegij foribus, ex composito, alter ejusdem religionis mox adfuit, impellitque ostium: dum alter è fenestra prospectans. *Vt quid foribus,* inquit *hisce molestus es, an non vides pestilentiæ hic grassantis appensum signum? Quidquid hic est hominum corripuit pestis.* Ludibrium illud non omnino vanum homo sensit, eodem die, nullibi illic compertam hausit pestem, domique propriæ intulit, manifesto

(*a*) *Crantz l.3.Saxon.c.23.* (*b*) *Ex Annalib. Francic.* (*c*) *Collat.sacr.lib.7.c.61.*

festo argumento, *parata esse irrisoribus judicia.* Quod alij de eadem Patrum ejectione insolito plausu exultantes senserunt. Illi enim cum in vico cochlearum circa elixum petasonem convivali licentia effusi, de infesto illo sibi hominum genere, ut ajebant, submoto, mirificè gratularentur: pestis quadraginta facilè homines illic occupavit, ut Libitinæ hoc epulum videri posset. *Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.* Prov. 3.

Heraclitum igitur te, quàm Democritum inter homines præstabit esse, nisi irridere magis vitia, quàm homines didiceris. Bias Philosophus cum Halyatto Regi Lydorum ludibrio esse nollet, invitanti ad Regem nuntio dixit, *Ego Halyattum cepas velim edere,* hoc est, flere, cum cepæ admorsu lacrymas eliciant (*a*) Aliud ipse Regi, quàm Parmeniscus Metapontinus vir locuples sibi optabat; postquam ex Trophonij luco rediens, omnis mæsto risus excussus esset. Percunctatus enim oraculum Apollinis, quo pacto risum amissum reciperet, accepit responsum:

De risu percunctaris me difficilis vir:
Ipsa tibi mater dabit: hanc venerare reversus.

Ergo ad Latonæ Matris Apollinis simulacrum contendens, cum, præter spem, deformem ligneamque Latonæ reperisset imaginem, in risum solutus, quod optabat, inexspectato eventu reperit, magnisque Deum muneribus, honoravit. (*b*) Risus illi lætabilis, at Philomeni jam seni lethalis fuit, qui cum Asinum ficus à puero relictos devorasse cerneret, ac mox

(*a*) *Erasm. in adag.* (*b*) *Athen. l. 14. c. 2.*

mox supervenientem puerum monuisset, ut sitienti quoque merum præberet, tam lepido senex spectaculo in risum effusus, simul ruptis vitalibus animam profudit. Vt nec risus quidem intemperans prudenti sit homini admittendus (a) Vulgatæ veritatis versus est.

Per risum multum, poteris cognoscere stultum.

CAPVT XIV.

Argutè dictis aliorum famæ per detractionem illudere improbum est.

ARgutus malevolentiæ magister, ipso se prodens nomine Diabolus, ab hac schola urbanitatis, ad quam se miro ingenio atque arte penetrat, est proscribendus. Ne illud in hujus palæstræ & magistri discipulos cadat Psal. 141. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.* Christianos inprimis Paulus monet, Gal. 5. *Si invicem mordetis, videte ne ab invicem consumamini.* Et sine hoc Venusinus te etiam Vates ad honestos sales, & alienæ famæ non iniquos, instruet. *serm. 4.*

—— Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante: solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest: commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Detractores arguti apes sunt, quæ aculeum aliis cum dolore infigunt, sed amisso in vulnere spiculo, malè

(a) *Eras. 6. apoph.*

malè intereunt; aliorum famam, suam conficiunt animam: levem plagam infligunt, gravissimam sentiunt. *Nunquid*, ait, D.Bernardus, *non lancea est lingua ista? profectò acutissima, quæ tres penetrat ictu uno.* (a) Vnâ enim eademque detrahentis lingua, & loquens, & auditor, & is demum is de quo loquitur, vulneratur. hujus existimatio, illorum læditur conscientia. Rarus ille casus est quo Godefridus Bullionius Lotharingiæ Dux Hierosolymam obsidens uno jaculo in turrim Davidicam directo tres aves transfixit, hodiedum in Lotharingicis insignibus conspicuas: at quotidianus inter familiaria animi laxamenta, salesque & facetias ille jactus convitiorum est, quo terni simul configuntur. Quare Augustinus sibi suisque hospitibus cautum volens, hoc disticho à suis conviviis illud hominum genus proscripsit, quod expressis in tabella versibus affixit:

Quisquis amat dictis absentum rodere famam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Sed ut lubrica mortalium lingua est, evénit nonnunquam, ut familiares in mensa Antistites, hujus immemores legis, ad carpendos aliorum mores delaberentur. quibus liberè Augustinus denuntiavit: aut illo temperandum sermone, aut sibi illísve cedendum, aut hanc tabellam refigendam esse. (b)

Ingenuo homini illa obtrectantium alienæ famæ petulantia ingrata est. Memnon Rhodius suis in castris militem adversus Alexandrum multa calumniosè evomentem audiit, indigna-

(a) *Ber. de tripl. custod.* (b) *Possidius in vita.*

mox supervenientem puerum monuisset, ut sitienti quoque merum præberet, tam lepido senex spectaculo in risum effusus, simul ruptis vitalibus animam profudit. Vt nec risus quidem intemperans prudenti sit homini admittendus (a) Vulgatæ veritatis versus est.

Per risum multum, poteris cognoscere stultum.

CAPVT XIV.

Argutè dictis aliorum famæ per detractionem illudere improbum est.

ARgutus malevolentiæ magister, ipso se prodens nomine Diabolus, ab hac schola urbanitatis, ad quam se miro ingenio atque arte penetrat, est proscribendus. Ne illud in hujus palæstræ & magistri discipulos cadat Psal. 141. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.* Christianos inprimis Paulus monet, Gal. 5. *Si invicem mordetis, videte ne ab invicem consumamini.* Et sine hoc Venusinus te etiam Vates ad honestos sales, & alienæ famæ non iniquos, instruet. *serm. 4.*

—— Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante: solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest: commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Detractores arguti apes sunt, quæ aculeum aliis cum dolore infigunt, sed amisso in vulnere spiculo, malè

(a) *Eras. 6. apoph.*

malè intereunt; aliorum famam, ſuam conficiunt animam: levem plagam infligunt, graviſſimam ſentiunt. *Nunquid,* ait, D. Bernardus, *non lancea eſt lingua iſta? profectò acutiſſima, quæ tres penetrat ictu uno.* (*a*) Vnâ enim eademque detrahentis lingua, & loquens, & auditor, & is demum is de quo loquitur, vulneratur. hujus exiſtimatio, illorum læditur conſcientia. Rarus ille caſus eſt quo Godefridus Bullionius Lotharingiæ Dux Hieroſolymam obſidens uno jaculo in turrim Davidicam directo tres aves transfixit, hodiedum in Lotharingicis inſignibus conſpicuas: at quotidianus inter familiaria animi laxamenta, ſaleſque & facetias ille jactus convitiorum eſt, quo terni ſimul configuntur. Quare Auguſtinus ſibi ſuiſque hoſpitibus cautum volens, hoc diſticho à ſuis conviviis illud hominum genus proſcripſit, quod expreſſis in tabella verſibus affixit:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere famam,
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

Sed ut lubrica mortalium lingua eſt, evénit nonnunquam, ut familiares in menſa Antiſtites, hujus immemores legis, ad carpendos aliorum mores delaberentur, quibus liberè Auguſtinus denuntiavit: aut illo temperandum ſermone, aut ſibi illíſve cedendum, aut hanc tabellam refigendam eſſe. (*b*)

Ingenuo homini illa obtrectantium alienæ famæ petulantia ingrata eſt. Memnon Rhodius ſuis in caſtris militem adverſus Alexandrum multa calumniosè evomentem audiit, indignatus

(*a*) *Ber. de tripl. cuſtod.* (*b*) *Poſſidius in vita.*

tus arreptam lanceam in caput dicacis inflixit: *ego* inquit *te alo, ut pugnes, non ut maledicas.* (*a*) Zoilus natione Macedo, homo ad maledicendum omnibus natus, cum laudatissimo Poetarum Homero suam invideret gloriam, obtrectatore calamo sese ejus speravit luminibus posse obstruere. Quare versibus malignis ejus cœpit existimationem perstringere, librumque Homeromastygem, spe magna laudis ac præmij, Ptolomæo Philadelpho dedicavit & obtulit. Verùm hic postulanti aliquod delati officij præmium. *Mirum,* inquit, *sit, te egere vivum, atque ipso Homero majorem; cum ille minor te Vates, & jam mortuus, tot hominum alat millia.* (*b*)

Nullo in vitio certius est malum suum in autorem recidere. Apud prudentem auditorem, existimationem amittit suam, qui carpit alienam: lacessit alios in se, aut pari infectos prurigine, aut vindicandi studio, dum cognoscunt, inflammatos. Vnde Comicus tales admonet. *Ter. Andr. in prol.*

Dehinc, ut quiescant porrò moneo, & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.

Veterum consuetudo erat, ut siquem maledicendo læsissent, huic satisfacerent maledicto in suum caput retorto. quod Seneca exemplo Rufi Senatoris factum exponit. Hic inter epulas liberalius potus, cum imprecatus Cæsari esset, ne ex suscepta peregrinatione incolumis ad suos rediret, & per jocum adjecisset, tauros omnes vitulosque id secum optare. Vbi manè factorum dictorumque ipsi

(*a*) *Plutarch. in Imp. apoph.* (*b*) *Suidas.*

ipsi revocassent memoriam, ideóque formidaret, ne observatus delatusque in Cæsaris offensionem incideret, hortatu servorum, Cæsari redeunti occurrit, sibique malam fuisse pridie mentem juratus asseruit, atque in se suorumque filiorum capita votum optavit recidere. (*a*) Quo facto Cæsaris iram avertere, seque sua maledictione onerasse est creditus, detractor aliorum, & ultor sui.

Vilium plerumque atque otiosorum hominum hoc studium est, alienæ famæ jocis aut dicteriis illudere, cum eruditi his sales desint. Quocirca Alcibiades cum plebeculam suis animadvertit actionibus observandis examinandisque intentam, cani, quem alebat pulcherrimo, caudam præputavit, atque ita per urbem vagari passus est. Quod factum cum plures mirarentur, ac nonnulli etiam amicorum parum prudens censerent. id se consultò ad plebeiorum hominum animos sermonesque, à se ad canem suum, avertendos fecisse monuit. *Loquantur*, inquit, *de cane Alcibiadis, modò Alcibiadem desinant lacerare.* (*b*) Communis mortalium labes est, quam Comicus notavit. *Plaut. in Capt.*

Quasi mures semper edimus alienum cibum.

Cum Sapiente concludo & moneo, ut tam vile hominum genus aversferis: *cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum* (Prov. 24) *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire: & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis* Eccl. 28.

(*a*) *Sen. l. 3. de Benef.* (*b*) *Plutar. de Alcib.*

CAPVT XV.

Argutè dicta ad convitia aliorum inflecti non debent, cùm perstringunt vitia.

VBi jocularibus verbis ad recreandos animos luditur, convitia procul abesse convenit; altissimo hæc vulnere animum subeunt, si cum sale atque argutia intorqueantur. *Levis*, inquit, D. Bernardus, *quidem sermo, & leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter profertur, sed non leviter revocatur.* Sunt qui tum demum se quam argutissimè scitissiméque putant ludere, cum infixo alteri præsenti aculeo, ipsius famam vellicant, aliisque vel ridendum, vel contemnendum exponunt. Qui si aliquantò potentiores sunt, ut Lupus cum Agno versantur in fabula, Convenisse hos ad eundem rivum potandi gratia memorant; cum Lupus Agnum obliquis designans oculis, *ut quid mihi*, exclamat, *aquam hauriendam perturbas? Quomodo*, inquit Agnus, *id possim, cum Superiorem tu rivi locum teneas, unde amnis ad me decurrit.* Vbi manifesti se convitij Lupus deprehensum vidit; *Attamen, teneo*, ait, *quàm infensum mihi geras animum, cùm ante semestre tuis maledictis appetitus sim? Id ego*, excepit Agnus, *quomodo fecerim, qui id temporis nondum natus essem. Tuum herclè patrem*, Lupus inquit, *fecisse compertum habeo, dignusque iccirco es, qui ex tam maligna nobis progenie intereas*; simulque infixis misellum dentibus laniavit. (*a*) Conviatiato-

(*a*) *Phædrus l. 1. fab.*

ciatoris improbitatem nullius satis subterfugerit innocentia.

Quorundam tam perversa est indoles, ut probare nisi sibi simillimos non possint, plerisque ceterorum lingua animoque infesti. Timon Atheniensis cum se solum crederet præ ceteris sapere mortalibus, ideoque super ceteros elatus animo, odisset ac convitiaretur omnes: Interrogatus aliquando causam; hanc turpi facto, ut videbatur honestam, prætexebat. *Malos*, inquit, *meritò aversor, quia mali sunt: ceteros ideo detestor, quia malos non oderunt.* (a) Quo judicio omnes, præter se solum, statuebat improbos esse; cum probum esse non senserit, qui improbos non aversetur.

Est verò inprimis illa quorundam secularium hominum levitas, qua facilè Ecclesiasticos, utpote à vitæ suæ instituto diversos perstringunt, quos cum aliqua florentes felicitate intuentur, invidia dicacitatem stimulante, non rarò jactis convitiis vellicant. Ita jus gladij, civilemque potestatem Ecclesiæ Præsulibus ab Imperatore Constantino, aliisque Principibus, religionem Christianam hac etiam autoritate ac potentia fulcientibus, collatam esse, nonnulli ægrè sustinent. Vt iccirco cavillis dicteriisque multorum petantur. Vt Fulgosus memorat à rustico etiam homine Archiepiscopo quondam Coloniensi illusum esse. hunc enim cum inter armatos sibi agricola occurrentem vidisset, substitit risuque dissoluto venientem excepit. Caussam verò interrogatus, respondit: *risum sibi excutere, illum habitum comitatumque*

(a) *Eras. l. 6. apoph.*

Supremi Pastoris, quod D. Petri longè fuerit dissimilis, quem in egestate mortuum, mirum sit, ita suos locupletasse posteros. *At ille*, excepit Princeps, *solùm fuit Episcopus; ego Dux & Episcopus. ut dux arma fero, ut Episcopus in templo, pedum.* Tum majori cachinno solutus arator. *Quid si*, inquit, *contingeret talem Ducem orco damnari, ubi, putas, Episcopus mansurus esset?* (a) Libertas profectò loquendi major, quam quæ à rustico exspectari possit. Non dissimile huic est, quod Corrozetus Iulio II. Pontifici Rom. obvenisse memorat. arma ille in quosdam sibi adversantes strinxerat. Cum nonnulli hoc illius factum reprehenderent, quòd D. *Petro, clavis in manum data fuerit, non gladius: solvendi, non interficiendi potestas concessa.* At, inquit Pontifex, *Petrum habemus clavigerum, & Paulum ensiferum, utrumque protectorem hujus Ecclesiæ. si Petrum antecessores, nos Paulum quoque sequemur. Verùm*, aiunt, *Christus Petrum jussit, gladium in vaginam recondere. Hoc*, inquit Iulius, *factum est, postquam Malcho auriculam amputasset. Nos quoque malè obsistentes feriemus, & recondemus.* Bellum pax secura excipiet. (b) Vterque horum Præsulum sua mansuetudine docuit, convitia dicacium, aut cum dissimulatione excipienda esse, aut cum moderatione refellenda.

Plus salis & aceti illud habet mordacioris linguæ dicterium, quo se duo aulicorum primi nominis petiêre. Landgravius quidam, florenti & solutiori ætate juvenis, cùm scurrili quadam levitate, verbis factisque, luderet, atque illuderet aliis;

(a) *Fulgos. lib. 6. c. 2.* (b) *Corroz. de dictis memor.*

liis; nonnemo Principum, moribus atque ætate gravior, acerbiore illum castigatione verborum perstricturus, ait: *videor mihi intelligere, cuinam stomacho cibus fores aptissimus?* cuinam? excepit Landgravius, *Leonum*, inquit Princeps, *meorum: nam vitulina libenter vescuntur.* Neque elinguis ad hæc Landgravius. *Et ego*, inquit, *novi, cui rei sua celsitudo perquam sit idonea, si venia dicto esse possit. Erit*, subjecit Princeps, *tantum exprome. Ego*, inquit Landgravius, *educandis simiis perquam aptum te censeo; ut fraudi & perfidiæ assuefiant.* Hæc convitia alternatim sparsa immortalis fuêre odii alimentum. (a) Ita Catulus Orator Philippo antagonistæ quærenti: *ut quid latras Catule?* respondit: *quia furem video.* Ita & Diogenes objectanti, quod monetam corrupisset: *fateor*, inquit, *talem me fuisse, qualis tu modo es: sed qualis nunc sum, tu futurus es nunquam.* Ita Anacharsis exprobranti Attico quod Scytha esset: non diffiteor, respondit; *mihi probro est patria, sed tu patriæ:* Vitâ scilicet Attico & sapiente homine indigna. Ita nobilis, magis genere, quàm opibus mercatorem opulentum in consortio aspernatus, spiritu naribus ducto: *olfacio hic*, inquit, *saccum piperis*: mox alter: *& ego, saccum mendicitatis.* Tales infestius lingua pugnant, quàm armis. Canis mordax lingua sæpe venenum spargit immedicabile. Serpentum morsus plerumque lethalis. Tales itaque, qui *acuerunt linguam suam, sicut serpentes*, ab humana & liberali jocantium societate sunt proscribendi. Si de

(a) *Manlius tom. 2. Collect.*

vitiis aliorum quicquam dicendum ſit, fiat ſine vitiis: proſcribantur, non augeantur.

CAPVT XVI.

Argutandi arte ad nugas abutendum non eſt, ſed aptè, ſuis perſonis, locis, temporibuſque utendum.

NUgas in rebus ſeriis actitare velle, res inſipida plerumque eſt, & cerebri parum, ad maturitatem, excocti. Quare ab hac palæſtra eruditæ recreationis, vel nugigerulos illos ſubmovendos, vel non niſi cum ſale & pipere aſperſo, ut cochleæ menſis ſolent, adhibendos cenſemus. Parmenionis celebrata nugacitas eſt, qui porci grunientis vocem adeo ſcitè efformare noverat, ut pro homine te ſuem audire juraſſes, hic rarò locum reperiet: multò minus illorum imitatorum nimis rudium, qui fictè grunnientes, audire coacti ſunt: *nihil ad Parmenionis ſuem.* (*a*) Quod ſiquis etiam ex Apuleij aut Luciani hic multa Aſino recitare inceperit, dignum Aſino merebitur pabulum, carduos pro lactuca. Neque fabulis hic Mileſiis, apud colum vetularum natis, locum fecero; quarum cum neque ex veritate, neque ex ſimilitudine ad mores idonea ulla ſit utilitas, neſcio quæ poſſit eſſe homini prudenti honeſta voluptas.

Perſonarum verò inprimis habenda ratio, ut à quibus hæ nugæ, & ad quos proficiſcantur adhibita deliberatione conſtet. Invenies quod juvenem

(*a*) *Plut. in 5. Symp.*

nem deceat, dedeceat ſenem;quod viri ſermonem ornet, mulieris dehoneſtet; quod ſeculari conveniat, ſacerdoti indecorum ſit. ætas , ſexus, officium, ſtatus, multa variant:quod hic repudiatur, illic admittitur. Et qui ſis, & apud quos ſis penſiculatè videndum eſt.

Arlottus Mainardus patria Florentinus natus anno 1396. in dictis factiſque jocularibus celeberrimus, quem & populares cum Antonino Archiepiſcopo, & exteri, tum Pontifices , tum Alphonſus Rex Neapolit. tum Eduardus Anglus ampliſſimis muneribus , eâ gratiâ, proſecuti ſunt: Perſonæ tamen ſuæ rationem habere viſus non eſt , quòd à lanificio ad literas ac presbyterium denique adhibitus, non ſatis dignam Eccleſiaſtico jocandi nugandique libertatem uſurparet. Vt cum illuſis quandoque pro concione auditoribus, vacuos domum in feſto S. Lautentii, dimitteret. Conſcenſa Oratoria exedra, *Hodie*, inquit, *dies eſt S. Laurentio Sacra, cuius res geſtas anno vobis ſuperiore hoc ex loco tradidi. interea verò cum nihil novi ab eodem geſtum ſit, vos olim à me dicta, & ab illo geſta recolite.* Quâ illos oratione dimiſit. Hujuſmodi nugacitate totam vitam, atq; ipſam adeo mortem traduxit. nam moriturus anno 1483. Florentiæ in hoſpitali presbyterorum ad S. Gallum, hoc ſibi epitaphium ſcribi voluit:

Hoc ſepulchrum Plebanus Arlottus FF.
Sibi, & omnibus iis,
Qui illud intrare voluerint.

Haud minus ineptè ab illo , ad aram nugatum memorant. Nobiles adoleſcentes venationis cu-

pidi, ante tamen S. Missæ officio adesse volebant. Mittunt igitur qui Arlottum roget, ut venatorum, hoc est breve atque expeditum sacrum, prælegat. assensus ille, ad aram progreditur, & post longam libri sacri evolutionem, cum tædio & mora auditores cruciaret; accedens illorum unus, causam cunctationis interrogat. Tum ille. nullum equidem venatoribus inscriptum, aut satis idoneum reperio: nisi illud de passione Christi, in quo Iudæi, tanquam Venatores, innocentem Dominum ceperunt, & afflixerunt: Si placuerit, jam nunc illud exordiar. Ita delusos exspectatione, & fatigatos morâ templo exegit. *(a)* Ejusmodi de rebus sacris nugæ, ab ore sacerdotis proscribendæ sunt, quibus divinus honor læditur, proximus ad contemptum sacrorum impellitur.

Reprehendit in Leone X. Pontifice hanc quoque nugandi profusam libertatem Iovius. In ceteris hæc in vita habet, de Bibienna Cardinale, Comicorum apud Pontificem ludorum egregio administro: erat, inquit, Bibienna mirus artifex hominibus ætate vel professione gravibus, ad insanam quandam stultitiam impellendis, quo genere hominum Pontifex adeò flagranter oblectabatur, ut laudando & mira eis persuadendo, donandoque, plures ex stolidis stultissimos, & maximè ridiculos efficeret. uti Euangelistæ Tarascono Parmensi ab epistolis honesto seni accidit, qui se repentè, novo studio ac levi persuasione, summum esse Musicum putabat. huic adeo suaviter est

(a) Autor vitæ.

eſt adulatus, ut vana inflatus opinione, incredibilia ac ridenda quædam muſices præcepta commentaretur: citharœdis etiam lacertos obligabat, ut quadam intenſione narvorum, in articulis & digitis argutias firmius & clarius exprimerent. Baraballum quoque Cajetanum, qui inſulſiſſimos verſus ab omni vocum & numerorum enormitate ridendos facere, & palam recitare ſolebat: ſeque alterum Petrarcham in Hetruſcis Rhythmis eſſe prædicabat, eo perpetuis adulationibus inflammatum gloriæ cupiditate perpulit, ut meritum geſtandæ laureæ honorem poſtularit: ac ſubinde, ut inſigni pompa in capitolium duceretur, quod illic Petrarcham coronatum quondam fuiſſe inaudiſſet. Cum ad famam publici apparatus legatio amicorũ & affinium Cajetanorum properè in urbem convolaſſet, ut hominem à concepto furore deterrerent, acerbiſſimis verbis eos repulit, tanquam malignè Pontificis benignitatem interpretantes, ac rariſſimi honoris immortali gloriæ ſuæ prorſus invidentes. Ergo ſexagenarius ſenex, honeſta ortus familia, proceritate, vultu, ac canicie venerabilis, togâ palmatâ, & lato clavo, auro purpurâque nitenti, ceteriſque triumphi ſumptuoſis inſignibus exornatus, in convivium præcinentibus tibiis deducitur, cum de more Pontifex diem feſtum Coſmæ & Damiani, Mediceæ familiæ Divis tutelaribus, dedicatum, hilarius celebraret. Ibi cum diu ad oſtentationem abſolutæ artis, ineptiſſimè multa carmina decantaſſet, omnibus jam in ipſa riſus compreſſione defatigatis, ad extremum in area Vaticana, deſpectante Pon-

tifice elephantem aſcendit, aurato ephippio, ſuperſtante triumphali ſella, intratum. Ceterum inter tympana, & tubas, & voces acclamantis populi, conſternatâ bellua, ultra pontem Hadriani deduci pompa non potuit. (a) Vt hæc beſtia præ hominibus denique ſapere viſa fuerit, cum indignum illis honoribus opportunè deponeret.

Plus laudis innoxius ille, neque indignus adoleſcentibus luſus habuit, quo Nigniaco Florentino ſtulto perſuaſerunt, jam ipſum ab hac ſolutum vita ad mortuos in ſepulchrum deferendum eſſe. quo ſe exequiarum officio diligenter ac cum honore debito functuros pollicentur. Funebris itaque apparatur pompa, & Nigniacus in tumba feretroque collocatus, inter encomia laudantium fictéque ejus morte dolentium adoleſcentum, magna hominum affluentia defertur. Cùm ex compoſito tabernarius occurſans, cujus illic hominis cadaver ſepulchro inferrent, poſtulat: cumque ingemiſcentes Nigniacum reſpondiſſent, dilectiſſimum omnibus ſodalem: ille in convitia ſolutus, *Deo*, inquit, *laudes*, *quod furem ac nebulonem, quem Florentia unquam tulit, peſſimum, mors oppreſſerit*. Hic vituperij impatiens, ſeſeque è loculis erigens. *Quam ego te*, inquit, *biſce pugnis contunderem, niſi hic mortuus occumberem!* Ita aliis aliiſque irritatum vexationibus è tumba & ſepulchro facilè hunc defunctum ad vitam revocarunt. (b)

Hæc ſine noxa cujuſquam, quamvis nugatoria ſint, ad relaxandos à ſeriis ſtudiis animos cum laude

(a) *Iovius l.4. vita Leon. X.* (b) *Poggius in facet.*

laude adhibentur ab adolescentibus, quæ tamen graviores ætate viros nequaquam deceant. Quæ ad colum aniculis conceduntur, pedo episcopali non convenient. Vnde Paulus Timotheum 1. c.4. monet. *ineptas & aniles fabulas devita.* Quod si tamen nugacibus quibusdam inventis ad seria præparari excitarique possint animi: non erit alienum à persona etiam graviore. Ita Demosthenes cum ad verba orantis concionem dormitare animadverteret. Causam, inquit novam recens in judicium perlatam attendite. Adolescens conducto pro sarcinis asino Megaram æstate contendebat, cumque fessus medios inter calores sub umbra asini quietem captaret, Agaso restitans, asinum se ipsi non umbram collocasse asserebat. Verùm ille cum asino umbram quoque conductam affirmans, jure cœpit contendere. Hæc ubi dixisset Orator, parabat discessum. Verùm instare auditores, ut rem pertexeret. Tum ad eosdem conversus, *ergo*, ait, *de asini vobis umbra audire placet; de re seria differentem piget attendere?* (*a*) Ita apud Albertum I. Imp. sacer Orator differens, cum oscitantem ac somniculosum Cæsarem excitatum vellet. Quæstionem hanc, diserta voce, à se paucis discutiendam monet. Fierine possit, ut hujus mundi Principes cælo aliquando potiantur? Quam rem, cum ancipiti sententia in utramque versasset patrem, ita denique conclusit. *Non videri dubium, quin cælo asseri Principes viri possint: modò baptismo suscepto, in cunis vagientes moriantur.* (*b*) Quare tam

(*a*) *Plut. in vita Demosth.* (*b*) *Æneas Sylv. l.3. Com. in Panor.*

tam apportunè usurpatis leporibus, etiam in re gravi locus esse poterit, si cum honestate & utilitate conjungantur.

CAPVT XVII.

Argutè dictis factisque ad fraudes abuti nefarium est.

NOn laudatur, hodie nisi à perversis Machiaveili asseclis Lysandri Lacedæmoniorum Ducis consilium: qui, cum ipsi probro daretur, quod plura fraude doloque, quàm virtute conficeret, subridens dixit: *quò Leonis exuvium non pertingit, hoc, assuta pelle vulpina, tegendum est*; sentiens illud quod virtute expediri non posset, fraude esse exequendum. (*a*) Fraus nunquam licita, nonnunquam tamen dolus: nam ut Poëta

—— Dolus, an virtus quis in hoste requirat?

Fraus enim contra legem est, dolus non semper. illa in verbis factisque, per imposturam plerumque, astutè alios circumvenit, ut propositum exequatur. Ita Ammon Davidis infelix soboles, ut sororem decipiat, ficta illam ægritudine ad se evocat; Absolon ut injuriam sorori illatam Ammonis cæde vindicet, convivalem apparatum instituit: ut seipsum adversus Patrem in solio collocet, ficta benevolentiæ specie, & amore æquitatis vulgus sibi conciliat. uterque sua denique fraude periturus. Rarus omnino qui fraudem aliis faciat, & non patiatur. Hannibal tot fraudum mirus

(*a*) *Plut. in Lacon.*

mirus artifex, non reperit, qui deinde ei fideret, nec hostes, nec amicos. At notiora severioraque fraudum artificia non prosequor, magis remissa quædam perstringo. Cleomenes Anaxander Græcus septem dierum cum hoste pactus inducias, securos dormientesque tertia nocte invasit, oppressit, cæsis, aut captis universis. cumque de fide violata argueretur: *de noctibus*, inquit *pactus non eram, sed de solis diebus.* Verum Dij hominis perfidiam ulti, tanto animum furore occuparunt, ut seipsum pro hoste persecutus, à talis ad superiores corporis partes carnem propriam disscinderit, laniaritque, atque inter hæc ridens ac lætabundus efflarit animam. *(a)* Melius cessit similis dolus Phœnicibus, qui cum Carthagine diem noctemque pro hospitio pacti essent: noluerunt deinde admissi cedere. quod semper diem, aut noctem esse prædicarent. ut *Phœnicum pacta* fraudulenta proverbio deinde locum fecerint. *(b)* Magis lepidum sortita fraus exitum est, quâ Phaliscorum adolescentes à Ludimagistro fuêre circumventi. Furius Camillus hos obsidebat, cum per speciem deambulationis Principum urbis filios Ludi moderator in castra Rom. deducit, eosqueCamillo tradit, ut hoc pacto Romanis urbem, sibi præmium proditionis compararet. sed Camillus fraudem detestatus, nudatum tergo, vinctumque hominem adolescentibus exponit, jubetque virgis ante se verberibusq; inflictis in urbẽ retroagere. Quæ Romani Ducis virtus adeò Phaliscos

(a) Bruson.l.3.c.29. *(b) Suidas.*

liscos tenuit, ut dignum existimarent, cui voluntaria sese deditione subjicerent. (*a*)

Ingeniosa hoc in genere doli plerumque habendi cupiditas est, & cœca adeo, ut quod non aperta vi, aut furto, sed quadam solertia occupat, hoc sæpe citra scrupulum ac conscientiæ remorsum sibi usurpet. Quæ, pro dolor, malitia, testamentariis defunctorum tabulis ac voluntatibus subruendis, non otiosè invigilat. Inter divites quotidianus hic morbus est. Nullum penè tam sacrum sanctumque est testamentum, cui, si ad votum non fuerit, evertendo fraudes non admoveantur. Nobis hic pro exemplo obscuræ mulieris non obscura perfidia sufficiet. Hæc ab agricola demortuo heres bonorum ex asse relicta, illâ lege, fuit, ut bovem aratorem venditum, accepto pretio, in egenos distribueret. Illa igitur, ne mariti voluntatem neglexisse penitus videretur, bovem in forum producit, simulque cum illo gallinaceum quem ipsius tergo imponit, unâ cum bove vendendum: & istum quidem viginti aureis, hunc uno tantùm licitantibus offert, ut qui bovem tantillo emeret, tanti quoque gallum cogeretur admittere. Invento emptore, bovis pretium, hoc est aureum, pauperibus est elargita, cetera sibi vendicavit. (*b*)

Ita reperies, qui cum astu aliquo suis illudere creditoribus possint, nihil pensi habeant, qua id demum via assequantur. Dionysius Siciliæ Tyrannus citharœdum, qui sibi caneret, eo pacto conduxerat, ut quò scitius caneret, tantò plus mer-

(*a*) *Livius dec.x.l.5.* (*b*) *Ioannes Paulus in Spudopædia.*

mercedis ferret. Annisus omni arte citharœdus est, ut cantu quàm optimo, sibi lautissimum pararet stipendium. At solutionem petenti responsum à Dionysio est, jam mercedem pactam illi esse persolutam, quòd quantò cecinerit dulcius, tantò plus ipse autor hinc hauserit voluptatis. Verùm Aristoteles (*a*) par pari hoc pacto relatum jure negat. Majorem præ se fert æquitatis speciem, quod de caupone & viatore hospite Poggius memorat. Hic cum divertisset hospitandi gratia, jamque famem sitimque liberali mensa abstersisset, ventum ad calculos & symboli solutionem. Tum viator, nullam sibi esse pecuniam asserit; Verùm sperare se, quod cantione aliqua suaviter modulata hospiti possit satisfieri. Negat hic canendo sibi has merces comparari, adeóque nec venales esse. Sed, inquit, Viator. si melodiam cecinero quæ placeat; nunquid acquiesces? Acquiescam, ait: Verùm talem nunquam repereris. Ille igitur unam modulatus: quærit, an ea placuerit? Cum abnueret hospes; addit alteram, tertiamque. Nullius sibi cantu satisfieri alter testatus est. Tum Viator. Ergo nunc denique eam canam, quæ sit placitura, simulque arrepto marsupio, pecuniamque educturo similis: illam Viatoribus usitatam canit: *Metti mano alla borsa, & paga l'hoste: Mitte manum in crumenam, soluturus hospiti* &c. Quid, inquit, hæccine tibi arridet? Ita verò, respondet hospes, hæc arridet. Tum Viator, recondità crumenâ, nihil æris promens: *satisfactum tibi*, ait, *ex pacto est. cecini ut placerem*: vale sis, abeo.

(*a*) *Arl. l. 9. Eth.*

abeo. (*a*) Longè illorum vafricies deteſtabilior eſt, qui arte quavis ditari quærunt. nihil plerumque his fidei, nihil religionis ineſt. Paucis, ad cautelam fraudis, hoc exemplis declarabo. De Florentino Notario tradit Poggius, adoleſcentem hunc quendam conveniſſe, quem ſciſcitatus ſit. Nunquid ei ſatisfactum eſſet, de quingentis florenis patri mutui causâ debitis à quodam jam defuncto? Negat adoleſcens, debiti inſcius, id in patris nominibus eſſe. Notarius hoc conſtare inſtrumento abs ſe facto aſſerens, juvenem perpulit, ut redempto nummis inſtrumento, apud Prætorem debitum peteret. Citatus alter filius debitor. ejus facti memoriam, aut penes ſe, aut in parentum rationibus extare negat, & ad Notarium profectus, eum de falſitate ſcripti arguit. Tum Notarius, *neſcis fili temporis illius acta, cum nondum videres lucem: ego rectius teneo. Pater tuus tantum æris mutuatus eſt; ſed eodem, dum penitius rem inveſtigo, liberaſſe ſe rurſum comperi. Cuius & ego facti inſtrumentum confeci.* Ita ab hoc quoque adoleſcente, ut inſtrumentum redimeret, pecuniam ſuſtulit. His accenſeri artibus illud poteſt, quod Aulicus quidam Ducis Mediolanenſis ad augendas per fas nefaſque opes molitus eſt. Hic cum videret plures fraude inter aulicos, quàm virtute ditari, pro fideli ſervitio hactenus præſtito à Duce petiit, ut Paſtor eſſe pecorum ſupremus poſſet, facturum ſe, ne quid illis ad pabulum curamque deeſſet. Impetravit facilè munus tam vile. Ergo Principis ſui inſtructus diplomate, ſimula-

(*a*) *Pog. in facetiis.*

mulabat cum regio se pecore vicinorum agros ingressurum, missisque literis purgari sibi imperabat pascua. Vicini hoc onus aversati, nequod suis pecoribus armentisque damnum ferrent, precibus ac pretio sibi hominem devinciebant. ut non multò post tempore magnas sibi is pararit opes, Duxque illius opulentiam admiratus quæreret. Vnde illi repentina hæc felicitas? cui Aulicus respondit. *Nullum tam vile officium est, ex quo solers administrator lucrum facere nequeat, si cum aliorum damno quæstum facere non reformidet.* (a)

Iudæorum in hoc genere perfidia est metuenda. quæ plurium historiarum exemplis constat, unum exponam, cujus ego testis præsens extiti. Fuit Treveris ad Mosellam Iudæus jam annorum circiter triginta. qui, ut erat germano ingenuoque magis vultu, quàm pectore, simulabat Christianæ sese velle religioni inaugurari. instructus igitur baptizatusque, atque à proceribus urbis non paucis donatus muneribus: navem sibi ac vina nonnulla comparat; tum deinde inductis aliis, ut sua ipsi vina jungerent, quæ illorum bono in Hollandiam venum transferret, implevit navem præstantissimi vini doliis, quibus fretus ad Batavos transiit, nunquam rediturus. Distracto enim illic vino, atque ingenti collecto ære novus ille fidei professor, sine fide humana divinaque evanuit, ostenditque à Iudæorum fraudibus cavendum esse. Hic illud nobis monitum recolendum est. *Fide, sed cui vide.* Iudæus Christiano fidus, rara avis est.

Non-

(a) *Io. Paulus in Spudopædia.*

Nonnulli aliquem fraudibus locum inter lusus indulgeri putant. neque pensi quicquam habent, si astu victoriam intercipiant, lucrumque referant. Verùm falluntur, dum fallunt. quod fraude occupant alienum est, nec quicquam furto habet clandestino dissimile. Invito hæc domino subtrahunt: & tantò magis invito, quòd in furtis ceteris rem solam sibi auferri doleat, hic etiam victoriam. Ex hac classe hominum quidam erat Coloniensis Diœcesis miles Thyemo dictus, qui cùm Susati moraretur, ludo tesserarum eo astu insueverat, ut vix quisquam sine damno ab illo discederet. nullum illi ludendi tempus interdiu noctuque importunum erat, plenis loculis, animo lucri fraudumque avido semper inhiabat. Adfuit igitur intempesta nocte personatus ad januã Dæmon, admitti in domum postulat, provocat lusorem hospitem turgente bursa; Hic ad lucrum vigil excubat, jacit tesseras, contendit sua arte doloque strenuè. Verùm magis vafrum collusorem nactus, adversam sibi ubique miratur primò aleam, ac deinde etiam execratur. postremò sciscitatur peregrinum: *nunquid Diabolus tu es?* Sum equidem, exclamat alter, simulque raptum hominem per tectum ædium, sparsis hinc inde per tegulas visceribus, secum eduxit ad calentem aleatorum officinam, ubi ferali jactu fraudulentis his lusoribus æternùm illuditur. (*a*)

Sed ut fraus omnis absit, contemptum lucri genus est, quod hac arte quæritur. Hac de causa eviluit Augusti Cæsaris apud plures autoritas. Cum Siculo

(*a*) *Heisterbac. l. 1. mir. c. 34.*

Siculo in bello bis malo eventu pugnatum esset, ipseque hæc nuntia inter aleatorum contubernium exciperet, nonnemo his in illum lusit versibus

Postquam bis classe victus naves perdidit;
Aliquando ut vincat, ludit assiduè aleam. (*a*)

Seneca Claudio Imperatori, aleæ dum viveret deditissimo, hoc impositum ab Æaco munus fingit, ut quemadmodum Sisyphus apud inferos saxum, ita ipse perpetuò tesseras volueret, ac sectaretur fugientes. (*b*) Alium testamento constituisse legimus, ut suis ex ossibus tesseræ formarentur, detracta verò pelle alveolus & fritilla vestirentur. ne notum in aleatorum contubernio nomen cum vita interciderct. (*c*) Non immeritò Plato *in Phædro* aleam, & reliquas ad fraudem perniciemque hominum compositas artes, à Dæmone, quem Theut appellat, inventas memorat.

Porrò omnes fraudum species prosequi longum sit. Vti mendacium, ita fraudem quamlibet divina lege proscriptam esse, à vita Christiani hominis, non ignoramus. Vt nec stratagemata illa militaria, quæ cum fraude patrantur, probari queant. Quale illud fuit Gallorum anno salutis 1551. quo adversus Carolum Imper. bellum auspicati sunt. Polinus enim architalassus Gallicus, Belgicis navibus obvius, significavit Reginam Scotiæ classe sua vectam adesse, postulavitq; honorem illi demissis velis, explosisq; tormentis haberi. quod cum

(*a*) *Suetonius.* (*b*) *Idem.* (*c*) *Paschasius Iustus l. de alea.*

cum fecissent, inermes imparatosque ad defensionem Polinus invasit & occupavit. (*a*)

Neque ad defensionem fraus ulla patrocinari jure poterit. Scribunt Romanum hominem Tremellium cum rure ageret, habuisse servos qui scropham vicini confecerant, atque ad ædes abstraxerant. Rusticus huc advocatis custodibus secutus, Tremelliū pro restitutione scrophæ compellat. qui repentè suem abdit sub centonibus, quibus uxor incubabat, simulque admissis in ædes custodibus facultatem investigandi facit, ac lepidè adjicit, *nullam sibi intra parietes scropham esse, præter illam, quæ cubet in centonibus.* Ita strophám misero villico texuit, & scropham mala fide retinuit. Ad facti tamen responsiq; facetissimi memoriam Tremellio scrophæ cognomentum perpetuò hæsit. (*b*) Quo spectare etiam potest juramentum furis, qui piscem quem abstulerat, socio adstanti dederat. Hunc enim, cum piscator de furto appellaret, juravit: *se neque piscem habere, neque alium qui piscem sustulisset, nosse*: cumque urgerent socium, non minus ille astutè jurat, *neque se piscem sustulisse, neque alium, qui piscem haberet, nosse.* Quorum uterque licet veris, tamen implicatis verbis fraudem rudioribus machinatus est, nulla lege defendendam. (*c*)

Procul omni astutia, quæ cum injuria proximi conjuncta est. Nullo artificio vel æquitas subrui, vel etiam veritas debet labefactari. Ingenium Deus homini ad malas artes non contulit. Laudetur

(*a*) *Surius in Comment.* (*b*) *Macrob. l. 1. Sat. c. 6.*
(*c*) *Eustachius Odyss. γ.*

detur arguta & subtilis ratio, sed cum bonis artibus ad sui aliorumque honestum emolumentum occupatur.

CAPVT XVIII.

Ingeniosâ se aliosque argutiâ tueri, aut stringere, vel deludere adversarios laudabile est.

ARguta dicendi agendique facultate, ad suum aliorumque commodum, opportunè uti, sine cujusquam injuria, magnam sæpe laudem meretur, innoxiamque multis voluptatem adfert. Dolus etiam aptè, citra veritatis offensionem concinnatus, per quem solerti, executione propositum nobis, præter aliorum opinionem, assequimur, hic locum habet. Vsus illo quondam, ad impetrandam Absaloni à Davide parricidij gratiam est Ioabus 2. Reg. 14. Nam ut Regem propriâ convictum sententiâ filio rursum conciliandum suaderet, Thecuitem instruxit hac parabola aptissima mulierem, quæ geminorum se filiorum matrem fingeret, quorum, cùm alter occidisset alterum, illo quoque qui superstes erat per iudicem, nisi Rex intercederet, damnando, obtinuit, mysterio denique evoluto, ut David Absaloni parricidij reo parceret: ne cum Ammonis filij mortem vindicaret, Absalone interfecto; non tam scelus punivisse in altero, quàm seipsum filiorum orbitate plexuisse videretur. Ingeniosum planè argumentum ad emolliendum patris erga filium animum.

Ad

Ad sui quoque defensionem ingenij subtilitatem convertere licebit. Fecit illud laudabili commento orientalis ecclesiæ adversus Arrianos columna Athanasius, quo iniquissimas illorum in famam vitamque suam machinationes dexterrimè elusit. Fuerat in Episcoporum perfidorum concilio de muliere per vim stuprata vir innocens accusatus, ut coram sceleris convincererur, inducta procax mulier. Non recusat venire Athanasius. adest, sed cum presbytero Timotheo. Cum hic repentè persona Athanasij sumpta, ad mulierem versus. *Egóne tibi vim attuli*, inquit, *ô mulier?* Mox illa, Athanasium hunc esse rata; *Tu verò*, respondit, *isto loco ac tempore vim mihi oppressæ intentare ausus es.* Quâ contentione, cùm manifesta omnibus Arrianorum perfidia, mulieris impudentia, ac denique innocentia Athanasij fieret, apparuit quantùm in dolo arte composito quandoque esset honustatis ac præsidij. (*a*) Non minori felicitate delusit persecutores suos, cum se illos navi ad fugam instructa declinare velle simulabat, hostes verò intenti ut opprimerent fugientem, nave altera subsequerentur. Versis enim subitò velis, habituque utcunque mutato iisdem occurrit, atque interrogantibus: *nunquid Athanasius visus fuisset?* respondit, *paulò ante prætervectum, haud procul abesse.* Ita Alexandriam tutò reversus, in patrio sepulchro inter mortuos vitam egit, ut vivis rectè consuleret.

Sed & dolum, tanquam gladium, ad pœnam ultionemque aliorum vertere nihil prohibet. Hoc, non

(*a*) Sozom. lib. 2. c. 24.

non inconvenienti exemplo, nos docuit Fabius Grimanus Patavij Venetorum nomine præfectus. Obvium ille, è templo domum repetiturus, pannosum habuit hominem, qui exosculata illius manu, fratris ipsum nomine salutat, auxiliumque suæ indigentiæ postulat. Iubet is hominem, nihil motus, ad arcem consequi, atque illic à studiosis adolescentibus hoc consilium, oblatis aliquot scutis, accepisse intelligit. Nec mora, quæsitos urbe adolescentes adduci jubet. Quos præsentes monet *conferendam esse symbolam. Vt quorum diligentia frater hic communis omnium repertus sit, eorum quoque subventione alatur.* Cujus rei gratia cuilibet scutatos centum imperat. Ita arte sua capti justas inconsultæ licentiæ pœnas dederunt. (*a*)

Non minori astu, graviori tamen ultione pressi, Manichæi in Persia suæ corruptionis pœnas dederunt. Rex enim Cabades cum intellexisset Phatuersam filium, regni propositi spe, ab eis ad suam esse religionem amplexandam provocatum, simulat illorum se votis obsecuturum, concesso in Regem filio, jubetque iccirco cum uxoribus liberisque atque Episcopo Indagara solemni conventu adesse. Qui cum rerum successibus læti, ad hanc celebritatem alacres convolarent, immisso in congregatos milite, universi sunt trucidati. (*b*)

Plus humanitatis ingeniiq; consilium habuit, quo Constantinus Mag. Imperator recéns ad orthodoxam religionem traductus, adversus idololatras usus est. Etenim ut hos ab illis discerneret, simulata in Christi fideles offensione, solenne indicit

D dicit

(*a*) *Ens Epidorp. l. 1.* (*b*) *Paul. Diaconus lib. 15. hist.*

dicit ſacrificium, monetque illis, qui Diis nolint adolere thura, ab aula eſſe diſcedendum. Ita dum Chriſtianos ſeparari videt, reliquoſque, ſeu palam, ſeu occultè idololatriæ addictos adeſſe, ac cooperari ſacrificio: Verſa mox ſorte, & declarata animi ſententia, hos omnes à ſua abeſſe aula: illos jubet adſiſtere. (*a*)

Laudem quoque dolus iſte meretur, quo ex laqueis ſeſe adverſariorum atque inſidiarum feliciter quiſquam expedit. hac Euſebius Vercellenſium Antiſtes uſus eſt, poſtquam Arrianos à Dionyſio Albanenſium Epiſcopo ſubſcriptionem ſui dogmatis fraude impetraſſe cognovit. Siquidem eodem ſeſe inclinatum ſimulans, cum tanquam ſubſcripturus catalogum legeret, & ſignatum in illo videret Dionyſium multò ſe juniorem. Velut ſtomachatus inquit, *Vos patrem in divinis filio majorem dicitis; & hunc juvenem, quondam mea in diſciplina verſatum, me vultis præcedere? Alio rem Catalogo agamus, quo ſuo quiſque ſubſcribat ordine, prior aboleatur.* Suſtulerunt hunc igitur, ſurrogato altero. quem cum Euſebio deferrent, ſubridens ille. *Nec ego*, inquit, *nec filius meus Dionyſius, impietati veſtræ ſubſcribemus.* Ita ſe illumque inſigni ſolertia à pedibus Arrianorum expedivit. (*b*)

Quamvis igitur ſimulatio ac dolus plerumque iniqua uſurpatione ad malitiam (quæ eſt humani ingenij perverſitas) inflectatur: tamen à ſapiente adhibitus, ut admirationem amoremque ſæpius, ita & honeſtam quandam voluptatem conciliat.

(*a*) *Euſeb. l. 1. c. 11.* (*b*) *D. Ambroſ. ſerm. 69.*

ciliat. Lætatur hac se arte Corinthios ad fidem salutemque traduxisse Apostolus, *cùm*, inquit, *astutus essem dolo vos cepi.* (a) felix astutia, quæ virtutem persuadet. non decipitur, quicunque hoc eventu decepitur.

CAPVT XIX.

Iudicia, deliberationes, ac contentiones ambiguæ, ac difficiles, arte sæpe, & argutia facilè expediuntur.

IMplicata sæpe judicia, ex quibus leges, & perspecta minus veritas æquitasve exitum difficilem aperiunt, arguto explicantur feliciter ingenio, laudemque & gratiam assequuntur. Cujus illustre nobis exemplum in sâcris literis sapientissimus mortalium Salomon exhibet, cum mulieres binæ, quarum alterius infans, per quietem, oppressus erat, alterius filius superstes in litem trahebatur, cujusnam esset; pro infante sibi debito contenderēt: in re verò ancipiti testis idoneus deficeret. Siquidem Rex, ut veræ matris sensum naturamque exploraret, gladio in judicium allato, *Dividite*, inquit, *infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam alteri.* Tum germana mater pietatis sensu tacta, *obsecro*, ait, *Domine, date illi infantem vivum.* altera verò assensa Regi; *nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed dividatur.* Vnde Rex solertissimo ingenio perspexit, priorem feminam veram esse parentem, illique,

 cum

(a) 2. Corint. 12.

cum admiratione prudentiæ apud omnes concitata, infantem vivum exhiberi imperavit. (*a*)

Neque in profanis nobis historiis exempla desunt, quibus implicata suis causis judicia, felici decisione, quamvis lepida & inexspectata, fuêre absoluta. Nota illa de tegulario ex tecto præcipiti est, qui cum in prætereuntem fortè casu graviore incidisset, hic quidem oppressus lapsu atque exanimatus est, ille hujus ruina servatus. Res in judicium adducta, & hinc ambiguis disceptatum rationibus; mortísne ille reus declarandus esset? cúmque importunius urgerent adversarij, lege talionis decretum est; ut si omnino læsis vindictam à labente placeret sumere, *pari casu in hunc prætereuntem se illorum quispiam è tecto devolveret.* Quæ sententia, cum voluptate aliorum excepta, iniquis accusantium postulatis illusit.

Plus etiam commendationis hæc sententiarum in judicio argutia meretur, quando improbitati quorundam, aut nefariæ fraudi pœna digna rependitur. Ita nonnemo ob amissam dolens pecuniam, inventori, qui illam retulisset, sex promissit pro munere aureos. relata igitur ab inventore est, atque exspectatum promissum ex ære præmium. Verùm Dominus, ut restituentem vacuum dimitteret; apertis loculis, numeratâque pecunia, sex ait deesse aureos, quos asseruit repertorem jam subduxisse. Re igitur in judicium delata; cùm hic idoneis testibus evinceret, plus se in repertis loculis non invenisse; judicatum est, hanc non esse pecuniam ab isto amissam, sed alterius Domini etiam-

(*a*) 3. Reg. 3.

etiamnum incogniti, quem inventor receptis loculis possit exspectare. Ita sua se fraude infelix omni ære multavit. Pari solertia quibusdam nebulonibus sententia in judicio, Senis in Italia, ut *in Arlotti Florentini vita* est, lata fuit. Tres eorum erant, qui, interversis Patroni mercibus, Senas confugerant, & trapezitæ ad octo millia aureorum, eâ lege, commiserant, ut eandem non nisi præsentibus his tribus numeraret. Ex his unus lapso tempore, ut socios pecunia exueret, trapezitam adit, monetque fore, ut nummos brevi emendo impenderent prædio. Deinde, cùm alios profectioni alicui maturandæ intentos videret, postulat sibi in rem communem necessariam septuaginta aureorum pecuniam; illi igitur festinè, unà cum socio, trapezitam adeunt, jubentque postulatum æs collegæ exhiberi. Quo fretus monito, omnem ille pecuniam solvit, hic accipit, ac fugæ se committit. Ita reduces collegæ postquam se delusos animadvertunt, trapezitam traditæ præter spem fidemque pecuniæ reum agunt, quæ causa ultro citroque jactata, illâ denique sententiâ absoluta est: ut, *cum ex pacto tres illi sese trapezitæ simul sisterent, tum ad pecuniæ totius iteratam solutionem teneretur.*

Quod si iniquis quorundam pactis, ingenio sapientiâque æqui Iudicis, ita fuerit interventum, ut sua autor fraude plectatur, multum habent ejusmodi judicia honestæ apud audientes voluptatis. Quale illud est, quod Turcarum Princeps adversus Iudæum pro Christiano tulit homine. Hic indigens pecuniæ illum convenerat, ut quingen-

torum sibi ducatorum summam, cum æqua pensione fenoris restituendam, concederet. Iudæus Christianæ carnis appetens, sibi, pro usurâ, duas ab illo carnis uncias pendi postulat. Christianum, ut assentiretur tam iniqua cupienti, necessitas impulit. sed cum solvendum jam esset, horrore pacti hæsit ac tergiversatus est. Iudæus moræ impatiens appellat Iudicem. Turcarum princeps, pactum tam insolens aversatus, illâ sententiâ litem absolvit. *Stet pacti conditio, duasque sibi carnis uncias Iudæus ex Christiano amputet, verùm ubi plus minúsve, quam pactum est, exsciderit, reus esto capitis.* Hoc vero periculum cùm subire deinde Iudæus nollet, Christiano est parcitum. (*a*)

Deliberationes quorundam parum consultæ, vel seriò, vel ridiculè cum argutia & sale corrigi possunt. Narrat Xenophon (*b*) inter Persarum olim adolescentes, fuisse grandiorem, qui breviore cinctus tunica, cum videret minorem se puerum grandiuscula utentem toga, quòd hanc aptiorem duceret, exutum illâ puerum, suâ eum magis ipsi conveniente induisse. ideoque contentione de togis nata, deliberationem, Cyro adolescente arbitro ac Iudice, institutam: cuinam duorum quælibet toga esset adjudicanda? Cyrumque ita demum tulisse sententiam. Permutationem hanc æquam videri. *quòd cuique per illam tribuantur, quæ magis conveniant.* Verùm Cyri Moderator hanc verberibus in Cyro argutiam plexuit: & *hoc,* inquit *quod debetur cuilibet; non quod*

(*a*) *Novarinus in Schedias. l. 10. n. 105.* (*b*) *In pædia Cyri, lib. 1.*

quod maximè convenit, adjudicandum est. aliàs proprio tibi peizomate carendum erit, si alteri magis conveniat, quàm tibi.

Et Morionum quandoque hac re ingenium valuit, ut ineptè judicatis illuderent. Erat Friderico Saxoniæ Duci cum fratribus de regione simul & religione suscepta deliberatio, quâ hoc agi videbatur, ut suam quisque Spartam & haberet, & tueretur. Morio dum inter hæc consilia obambulat, Principis togam alicubi nactus induitur, atque hoc se habitu in conspectum offert, interrogatque Principem cum fratribus consultantem: nunquid sat ipsis ornatus hoc in cultu videatur? Cumque superbè ingrediens laudaretur in veste electorali, conclavio rursum egressus, togam diffuit, disscinditque, ut lacera, deformisque penderet; ac sic denique reversus, sciscitansque: quis hoc modo in cultu ipsis appareat? Postquam verò Electorem indignantem minitantemque pœnas tam insolentis facti audisset. *Ne mihi*, inquit, *ô princeps, sed tibi potius indignare, qui vestem longè pulchriorem tui principatus laceras, cum tot eam partibus disscindis, ut uni denique honestè ornando non possit sufficere.* Quò symbolo dictoque tam opportuno, mali consilij admonitus Fridericus à stulto sapientiam discere potuit.

Contentionum quoque inutilium terminatio aptissima per argutum aliquod dicterium, quo illarum ineptia perstringitur, haberi potest. ita apud Franciscum Sphortiam Ducem Mediolanensem lis inter Advocatum & Medicum, ut solet inter epulas & recreationem, nata est: uter al-

teri præferendus in rep. sit, si boni communis ratio & emolumentum spectetur? Cumque inter se argumentis contenderent, quibus sese Advocatus Medico, Medicus Advocato præferret, jamque ad fastidium concertatio produceretur, Ducis Morio intercedens. *De præcedendi*, inquit, *prærogativa contentio, olim inter latronem & carnificem nata fuit, cum ad supplicium prodeundum esset; sed prudens magistratus constituit, ut latro præcederet, & carnifex sequeretur.* Qua comparatione, reliquis in risum versis, utrumque confusum ab inutili contentione revocavit. (*a*)

Litigantium tanta cæcitas, tanta ad Iudices provocandi, & controversiis inhærendi pertinacia est, ut nullo hæc ingenio satis corrigi posse videatur. Græci in suis epigrammatis, ut sæpe non illepidi sunt, ita quoque ejusmodi hominum generi, parabolâ, nescio, an historiâ non ineptâ, hujus insaniæ imaginem proposuerunt. Cœcum fuisse memorant, qui dum claudum ferret, hic oculorum beneficio ostreum in via observavit, quod indicatum sibi cœcus apprehendit. Lis subinde nata. cujusnam esset ostreum? Cæcus suum illud esse, utpote possessoris primi, contendit: nec minus idem sibi tanquam repertori vendicavit claudus. Tertius igitur hujus causæ delectus judex & arbiter. *Difficilis*, inquit, *causa est, primumne sibi locum index, an possessor vendicet? proinde ut hæc lis tantò absolvatur citius, ego ostrei medullam hauriam: vos de cortice facilius convenietis.* Hæc litigantium plerumque stultitia est, dum contentiones

(*a*) *Corrazetus in dict. fact. mem.*

tiones quaslibet ad judicia & causidicorum arbitria rejiciunt, qui postquam diuturna causarum mora & agitatione omnem exsuxere medullam, corticem deniq; inanem litigantibus relinquunt. Quis non rideat illorum hominum amentiam, qui res quaslibet, quæ arbitrio prudentum amicorum componi facilè possent, ad Iudicum tribunalia avocant? Ejusmodi & illud est, quod alij inter historias, inter fabulas reponunt alij. Asinus ad vas musteum & torculari plenum delatus, Agasonis incuriâ, largius hauserat, & siti, & potus illectus dulcedine. Vinitor de damno cum Agasone expostulans, cum præter verba nihil referret, & verbera, quibus delinquentem puniret Asinum, ad judicium provocat. Iudicibus, ut ridicula res visa est, ita lepida utrumque sententia expediunt. Quærunt, *stansne Asinus, an sedens mustum exhausisset?* cumque vinitor à stante id factum responderet. *Non igitur*, inquiunt, *tenebitur ad solutionem; cùm potantium symbola non nisi à sedentibus exsolvantur, stantium honoraria judicetur esse potio.* Ita dimissus litigator ille, dignum tam futili provocatione ad Iudices responsum tulit. Si Romanæ facundiæ principi, ad *Atticum*, credimus: *nihil bono viro ac quieto magis convenit, quàm abesse à civilibus controversiis.*

CAPUT XX.

Viris principibus ab argutè dictis factisque magna gratia ornamentumque accedit.

Magnum est virorum Principum, ad conciliandos vulgi animos, præsidium, jocis opportunè & argutè uti posse, iisdemque etiam perferendis patientem animum exhibere. Hoc Augusto Cæsari illustre humanitatis & clementiæ nomen peperit, fuitque in ceteris dotibus non postremum, quibus supremam imperij majestatem, primò in decennium, postea in perpetuum vitæ tempus sibi posterisque stabilivit. Patrem enim patriæ, suique amantem, neque fastu arroganti aspernantem ceteros, non inviti sibi imperare patiebantur. In his ille censeri lusus potest, quo Herodis crudelitatem in filios aversatus, *satius esse* dixit, *Herodis porcum esse, quàm filium.* Quod Iudæi porcis abstineant, ipse proprios filios interemerit. Mollior aliquantò jocus fuit, sed ut levitate quapiam, sic humanitate conditus, quo adolescentem excepit peregrinum, quem advenisse recens in urbem, sibique quam simillimum prædicari audiebat. Vocatum enim, cum didicisset unde, & qua causa veniret, ac denique subjiceret. *num aliquando, mi adolescens, mater tua Romæ fuit?* Ioco hic percepto, neque ingenio ad sales imparato, respondit. *non illa quidem,* inquit, *sed pater fuit.* Vt si dixisset: tu me spurium ex te & matre; at ego te forte ex patre meo talem, tamque mei similem,

milem, prodiisse autumo. Sensit & arrisit argutè retorquenti jocum Cæsar. (a)

Par Vespasiano Imperatori & humanitas erga suos, & jocandi liberalitas, quæ salva tamen majestate deceret virum principem. Hac usus est, cum nonneminem ex suis domesticis pro alio quopiam germanitatis obtentu beneficium postulare videret. suspicatus enim, quod res erat, illum pecuniæ magis, quàm consanguinitatis studiæ impulsum esse, petitorem accersit, jubetque sibi illud, quod supplicaturo pro se aulico spopondisset, pendere, & sic voti compotem dimisit. Brevi reversus intercessor, facti ignarus, instare precarique, ut postulata Cæsar indulgeat. Cui Vespasianus respondit: *Abi verò, aliumque tibi fratrem quære; nam quem tuum esse putas, meus est.* Ita sensit in itinere Aurigam suum, munere aliquo inductum, hærere, ut petitori ad Principem accessum faceret. Nam repentè ille, tanquam ad solutas muli soleas rursum firmandas, ex curru desiliit, atque interea hærente vehiculo, alter sollicitator se Principi supplicem admovet, otium rei exponendæ nactus. Animadverso igitur Cæsar commento, ad aurigam versus, *quanti*, inquit, *mulum calciasti? illius ego lucri mihi partem deposco.* Iam ægrescens, de veniente etiam morte jocari visus est. Cum enim nuntiaretur, derepentè Mausoleum Cæsarum infausto omine patuisse, & stellam in cœlo apparuisse crinitam: illud quidem ad Iuniam Calvinam, quæ Augusti ex sanguine esset pertinere, alterum ad Parthorum Regem capilla-

(a) *Macrob. l. 2. c. 4. Satur.*

pillatum, spectare dixit: se nondum à fatis ad mortem deposci, cúmque æger iccirco à solitis functionibus non discederet: monitus, ut quieti indulgeret plusculum, *Imperatorem*, ait, *stantem mori oportere*. Et verò sic accidit, cùm soluta repente alvo, deficienteque animo, inter manus sublevantium exspiraverit. (*a*)

Rodolphum I. Imperatorem Austriacæ familiæ summum decus, ut magnis virtutibus, atque inprimis comitate erga omnes præditum accepimus, ita argutè dictis factisque impensè novimus delectatum, ut hæc distincto etiam libro, autor quidam factorum ipsius collegerit. ideóque nec mortis terrore, ab hac lepiditate abstractus est. Etenim jam tabe invalescente deficiens, cùm Erfurdia Spiram, ad priscam Imper. sedem & sepulchra, festinaret: *sibi esse properandum*, asseruit, *ut Reges illic conveniret sepultos*. Verum priusquam attigisset Germershemij diem supremum clausit, Spiræ tamen, in Cæsarum monumento tumulatus. an. 1291. (*b*) Hos aliosque viros, suprema licet majestate insignes, magnam sibi vulgi collegisse gratiam novimus, facilitate illa, & liberali jocandi consuetudine, quæ fastum removet, seque ad aliorum humilitatem humana quadam demissione inclinat. Iam verò quod plerumque raram prudentiæ virtutumque suarum æstimat omnem, per apophthegmata sapienter & opportunè usurpata reliquerint, tot libris testatum nobis est, quot illustrium virorum historias complectuntur.

(*a*) *Sueton. in vita.* (*b*) *Cuspin. in hist. Cæsar.*

CAPVT XXI.

In rebus adversis facetè nonnunquam jocari gloriosum est, & magni animi argumentum.

GEnerosi infractique plerumque est animi argumentum in adversis jocari, illorumque vim atque acerbitatem facetâ illusione sublevare. Thomas Morus Angliæ Cancellarius, vir fortissimus sapientissimusque, cùm, aversus ab Henrici VIII. fœdis amoribus, nollet matrimonium cum Bolena probare, non tantùm inclusus est carceribus, sed etiam sublatis libris, quod erat solitudinis lenimentum, prohibitus omni studio, clausit ipse fenestras carceris, atque in tenebris meditationi rerum piarum intentus hærebat: quæ res cum invisentibus nonnullis admirationem monuisset, lepidè respondit, *sublatis mercibus, officinam claudendam esse*. Quod dictum in tanto viro iniquissimi Regis injurias sustinente, erecti inter adversa animi signum erat. Ita Ioannes Galliæ Rex cum infelici prælio superatus captusque ab Anglis detineretur, ad mensam, magno quandoque honore adhibitus, Fratre Regis Eduardo, nudo etiam capite eidem assistente: aliquando his apud Regem verbis lusit: *sperasse se, quòd illum honorē Regi Anglorum sua in mensa habiturus fuerit, at nunc illum hoc facto prævenisse.* (a) Hoc nonnunquam exemplum Franciscum Regem Galliarum, à Carolo V. ad Paviam interceptum, tradu-ctum-

(a) *Corroz. in dict. & fact.*

atque existimationis detrimentum possunt vergere, sapientissimè arguto aliquo joco refelluntur. Stratonicus Philosophus scholas aperuerat studiosis sapientiæ, verùm adeò infrequentes, ut præter duos non numeraret discipulos; ludum tamen, ut poterat cultu omni ad trahendam juventutem exornaverat; & ne Deos negligeret propitiandos, Musarum illic statuas, Apollinisque Sapientiæ Præsidis excitaverat. Interrogatus ergo, quot numeraret discipulos, usitata Græcis loquendi usus formula, ait, σὺν θεοῖς δώδεκα, cum Diis duodecim, velut nos dicimus, favente Deo duodecim. Ita ambiguitate responsi, & opportuna argutia elusit quærentium vel dicterio, vel curiositati. (*a*) Illustriori hæc exemplo Rodolphi Ducis egregij Camerinensium declarabo. Hic cum à Florentinis contra Gregorium X. pugnantibus, ad Pontificis partes transiisset, quibus priusquam Florentinos sequeretur, etiam favere visus fuerat: atque iccirco rogaretur: ut quid toties in omnem se versaret partem? respondit, *quia uno in latere diutius quiescere non poteram.* At Florentini, qui illum tanquam proditorem in compitis depinxerant, coacti sunt ad (*b*) Ducem pro pace impetranda demum confugere. Qui, ut sensit illorum adventum, ingressus thalamum, clausit fenestris, calente adhuc anno, luculentum accendit focum, & pelliceis juxta coopertus in lecto vestibus, oratores admisit. His deinde morbi genus percunctantibus, respondit, *nimio se frigore constringi, quòd tanto jam tempore diu noctuque in muris*

(*a*) *Athen.l.8.* (*b*) *Poggius in Facet.*

muris Florentinorum nudus hæserit. Ita suo in opprobrio lusit, obtinuitque, ut expositæ ad ignominiam imagines tollerentur. (*a*) Longè hac in re consultius, majorique cum animo & laude versans, quam si calente adversarios bile perfudisset, aucturus non expuncturus ignominiam.

Ipsum quoque, vel defectum, vel errorem suum per facetam expositionem fateri, plus gratiæ habet, quàm, in perspecta licet virtute, laudem propriam venari, aut gloriari de sapientia. Sic de Aufidio non illepido *Sannazarius* canit,

Dum caput Aufidio chirurgus tractat, & ipsum
Altius exquirit, quò videat, cerebrum.
Ingemit Aufidius, quid me, chirurge, fatigas?
Cum subij rixam, non habui cerebrum.

CAPVT XXII.

Argutè dictis factisque honestæ sæpe excusationi, in errore & delicto, fit locus.

EXcusationi honestæ, in errore aut delicto quopiam, arguta sæpe facetia modestè opportunéque deservit, ut faciliorem facti veniam merearis. Ejus generis fuit, quòd Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, publicè apud Spartanos Palladi sacrificans fecit. Cum enim pediculi vellicantis morsum ægrè sustineret, eum captans occidensque, ut honestate aliqua velaret factum, adjecit, *insidiatorem Regis, ante ipsam etiam aram occidendum esse.* (*b*) Ciceroni Rom. eloquentiæ prin- cipi

(*a*) *Poggius in Facet.* (*b*) *Plut. in Lacon.*

cipi familiare in causis erat, illorum quos tueretur laudes, quos verò oppugnaret horum perstringere vitia. Ita cum aliquando eundem M. Crassum nunc causæ, quam susceperat patronum: nunc haberet adversarium: contigit, ut quem nuper laudaverat, nunc reprehenderet. Quæ cum illi objiceretur inconstantia, Crasso interrogante: *an non,* inquit, *ex hoc loco, non ita pridem, me laudasti, quem nunc perstringis convitiis? Laudavi,* respondit Cicero, *sed, ut solet infame argumentum, declamationis gratiâ exornavi.* (*a*)

Ita alienos errores facetè tueri, modò tuum ad defensionem scelus abfuerit, cum gratia licebit. Quemadmodum Veronæ in Italia Dominus Facinus Canis, cum præesset militiæ, & nonnemo quereretur sua se chlamyde à militibus spoliatum; cùm difficilis appareret restitutio, Facinus animadvertens honesta hominem indutum toga; quærit an hanc cum spoliaretur, gestasset? annuenti verò inquit. *Abi,* igitur, nam *hi mei nequaquam fuerint milites, qui adeò probi sunt, ut togam tibi hanc intactam reliquerint.* (*b*) Sic Prosper Columna præfectus Mediolanensibus, cum nonnulli gravius de tributorum exactoribus, nimium duris molestisque, sibi questi essent, intolerabilemque hanc sibi videri servitutem liberiori voce jactarent: *Qua, malum,* inquit ille, *vestra hæc impatientia est: anseres quò frequentius deplumantur, eò molliores plumas referunt. mirum igitur vos hinc nihilo factos mitiores.* (*c*)

Quod

(*a*) *Id. in Vita Cic.* (*b*) *Poggius in facet.* (*c*) *Corroz. de dict. mem.*

Quod si manifestior error fuerit, quàm ut occultari levarique arguta discussione possit, in alium facetè nonnunquam poterit derivari. Vt cum Astrologus Petrus de monte Ilicino, tempore Constantiensis Concilij, de futuris quædam rebus pronuntiasset, quorum eventus falleret. Quale erat, quòd Sigismundum eo anno in Italia coronandum, & Ioannem 23. Pontif. ad Concilium vocatum, cum gloria rediturum affirmasset, cum tamen Synodus hunc abdicarit: ille pluribus annis Italiam non viderit. In his itaque erroris convictus, *nihil mirum*, inquit, *cum de duobus mihi stultis judicandum fuerit, qui, cum ut luna mutantur, nec Ptolomæus qnidem de iis certa pronuntiasset.* (*a*) Argutissimum qu dem in hac erroris, vel delicti excusatione est, si in ipsum objicientem scitè regeratur. Sed plerumque non solet hic lusus esse innoxius, atque ab offensione alienus, quæ hac in re cavenda est, ne malum declinando non imminuisse, sed auxisse videaris. Hac arte Pausanias Lacedæmoniorum Rex apud Tegeates exulans salsiùs aliquantò exilij sibi objecti probrum diluit. Cum enim suos intempestivius Lacedæmonios extolleret, nonnemo Tegeates subjecit. *Quin igitur manere Sparta, quàm ad nos fugere maluisti?* respondit, *quia medicum ægrotis magis, quàm sanis putavi esse necessarium.* Quo dicto corruptos gentis Tegeatorum mores perstrinxit, seque suosque arrogantius, quàm par erat exuli, iisdem prætulit. (*b*) Modestius illa mulier delictum purgavit, quæ accusata, quod marito immorigera illi in omni-

(*a*) *Æn. Sylvius. l. 4. de Alph.* (*b*) *Plut. in Lacon.*

omnibus adverſaretur: *mirum*, ait, *quæ nihil magis volo & ago, quàm maritus, qui ubique & præeſſe vult, & imperat; idem igitur cum volo, & ago: quis nos neget conſentire in omnibus?*

Cavenda tamen illa erit delicti, ſeu erroris per ingenioſam reſponſionem declinatio, quæ probare magis crimen, quam averſari videatur. Ita Siſinnius Novatianorum Epiſcopus, ut erat argutus dicaxque, in victu veſtituque cultus, atque indies lavare ſolitus: cum interrogaretur. *Vt quid ipſe, qui Epiſcopus eſſet, bis lavaret quotidie?* reſpondit. *quia temporis excludor anguſtiis, ut ter lavare nequeam.* Quod erat hanc levitatem, nimiamque corporis curam, argutando probare magis, quàm rejicere. (*b*) Dignum hæretico homine, ad cuticulam bene curandum, patrocinium.

Verùm laudatiſſimum in hoc argutandi genere illud arbitor, quo aliorum delicta, vel diſſimilamus coram aliis obtrectatoribus, vel imminuimus. Sic M. Cato Romanæ nobilitatis vir ſummus, cum Albidius ſuâ ab aliis profuſione traduceretur, ut qui noviſſimè pleriſque omnibus prodigè conſumptis, à Diis ipſis incendio domus reliquæ punitus eſſet, arguto luſu hominis intemperantiam ita eſt moderatus, ut negaret Diis ingratum eſſe, qui gratiſſimo illis ſacrificio, *protervia̅m fecerit.* Hoc enim ſacrificium apud Veteres gentiles in honore fuit, quo illud quod ex epulis ſupererat, ad Deorum venerationem igne conſumebatur. (*b*) Quæ illuſio dicacium (niſi fortè magis ironicè placeat) talis erat, ut reliquis gravius ali-

(*a*) *Suidas.* (*b*) *Macrob.l.2,Sat.c.4.*

aliquid in Albidium dicendi occasionem subtraxerit. Quando enim ita quicquam aptè ad rem præsentem dicitur, ut reliquis aptius quicquam dicendi spes prærepta sit, silentium ea de re plerumque imperatur.

CAPVT XXIII.

Lepidè facetéque dictis ac factis errores multorum levissimè corrigi, cum gratia & facilitate insigni, possunt.

DElictis erroribusque leniter castigandis argutè etiam inventa servient. Quæ correctio, cùm aptè ceciderit, hæret diutissimè, & memoriam à perstricto scelere aut errore avocat; cum acriter sæpe intentata verba, aut verbera, post terrorem ac vibices abstersas, evanescant. Gallos novitatum in vestitu amantissimos Carolus Magnus, cum in Foro Iulio hibernaret, lepidè correxit, ut suæ affectationis tæderet. Exoticas illic pelles aulicos suos à Venetis mercatoribus comparasse animadverterat, quibus peregrino sese more certatim vestiverant. Quare ad Venationem egressus, cùm pluviam præsagiret, inter imbres lutumque eosdem detinuit, donec probè immaduissent: mox domum reversus eosdem secum cœnare jussit, & quòd frigus urgeret, luculentum in aula focum excitari. Ita vestes pluviâ, sordibus, cruore oblitæ, ad ignem contractæ sunt, ut cum die postero, eodem in habitu, ad Imperatorem revocarentur, sibi mutuò aliisque ridiculum fuerint ineptæ

eptæ novitatis ſpectaculum. Tum ſuum Carolus lupina, ſolidaque, & inculta in pelle oſtentans habitum; *Quod nunc*, inquit, *veſtimentum dignius, ſutiliuſque viro eſt, meumne paucis drachmis, an veſtrum multo auro comparatum? videte, & erubeſcite ſtoliditatem veſtram.* (a) Memorant Iulium II. Pontif. Rom. Cùm omnium fere gentium ſuo in habitu perſonas depingi curaſſet, neque pictor certo Gallum veſtitu, quem variarent quotannis, potuiſſet effingere, nudum illum propoſuiſſe, juxtaque, hinc varij generis pannos, inde pilam eum reticulo formaſſe. Alij hoc factum ad Turcarum referunt Imperatorem, ac de Germano factum aſſerunt. Verum in Gallis, ut comperta magis novitas eſt, quæ à nonnullis tantum Germanorum imitatione facti aſſumitur, ita certior hiſtoriæ eſt veritas. Averſabatur hanc levitatem in Aulico Germanus Princeps, quem cum iccirco reprehendiſſet, iſque reponeret: *an non pendet ex meo arbitratu, quomodo induar? Omnino*, inquit, *ſed ex meo etiam pendet talem in aula, aut retinere, aut eliminare.* quod & ejecto poſtea factum eſt. (b) Homo ſordidus in Gallia, ut nobilitatis honorem vulgo aucuparetur, ſe aliquando novo ſplendidoque efferebat foras in habitu; & ſalutatus ab ignotis honoratuſque, ad ſuos inquit: *an non videtis, quod veſtis virum faciat?* (c) Ita Londini ad epulas prætoriales admiſſus ſplendidâ in togâ civis, qui viliori in habitu excluſus ante

(a) *Avent. lib. 4. Annal. Boior.* (b) *Camerar. in declam.* (c) *Richter in axio. pol.*

antè fuerat, postquam finitis epulis reliqui Prætori ex more gratias agerent, ipse exutæ depositæque in conspectu omnium togæ venerationem exhibet, & gratias pro honorifica & liberali tractatione habet; cumque alij ad tam lepidum versi spectaculum, ex vino hominem delirare crederent: expositâ facti causa, omnes in risum effusum soluti sunt, atque hunc suum vulgique errorem agnoverunt. (*a*)

Diogenes adolescentem mollius vestitum, qui philosophicæ quæstionis responsum à Cynico exspectabat, suo in habitu aliquantum contemplatus. *non dabo*, inquit, *responsum, nisi prius ostenderis, vir sis an femina*? Idem indoctos elegantius pretiosiusque cultos appellabat, *oves aurei velleris*. (*b*)

Cræsum sublimi in solio inter aurum gemmasque conspicuum intuitus Solon, inter Græciæ sapientes celebris, cum is sciscitaretur: nunquid unquam vidisset spectaculum pulchrius? respondit *Pavones in fimeto*. quòd hi naturali ornatu; ille adscititio solum splendeat. Ita molli admonitione ipsius vanitatem arguit.

Lepidissima fuit correctio Angelotti Cardinalis S. Marci, cum ejus familia, quæ deducendi Domini gratia, ad signum campano ære datum non comparuisset. Nam hora prandij appetente, vulpinâ caudâ, æra percuti mandavit; ut cùm pauci præsentes discumberent, aliique deinde, citra aliud signum advolarent. *mirari se*, Cardinalis diceret;

(*a*) *Stapleton. in pomp. dom 2. advent.* (*b*) *Laert. l. 6.*

eeret; *tam auritos ſibi eſſe miniſtros, qui cùm prandendum eſſet, vulpina accerſiri cauda; cùm verò Domino ſerviendum, ne æreo quidem malleo poſſint excitari.* (*a*) Meretur hoc in loco humaniſſima Maximiliani Cæſaris correctio, quâ adverſus pauperem ſatis protervum uſus eſt, commemorari. Cum enim audaculus nonnemo Cæſarem accederet, illumque ſalutaret ut fratrem, atque obnixè peteret, ut jure conſanguinitatis ſibi omnium indigo ſubveniret, arridens Cæſar, *faciam*, inquit, *ex parte mea, quantum jus ſanguinis æquitaſque requirit*, ſimulque obolo illi porrecto, ſubjicit, *I porrò ad reliquos omnes fratres tuos, qui ſi tantundem largiti fuerint, jam me etiam futurus es ditior.* (*b*) ita pœna, quàm præmia digniorem à ſe dimiſit, maluitque arguta reſponſione, quàm acerba caſtigatione procacem refellere.

Non minus ingenioſa ad ſimplicitatem data inſtructio quibuſdam politicis ſimulatoribus ab Hiſpalenſis nobilitatis viro fuit. Canonicatum ille primariæ illic diu prenſabat Eccleſiæ, utque canonici faverent poſtulatis, nunc ſingulos, nunc pleroſque, frequenti epulo, amicaque compellatione ſibi demerebatur. Magnam ſpem ſuâ promiſſione concitabant ſinguli; Verùm ubi in rem præſentem ventum eſt, nihil obtinuit. Ergo opportunitate captata invitat univerſos, qui, ex more, ſymbolam aliquam, hi carnium, illi piſcium, nonnulli ovorum, olerumve contulere. Hæc ille cum in unam, ut ferebantur, ollam congeſſiſſet, ac

(*a*) *Volat. l. 23. Anthr.* (*b*) *Corroz. in dict. & fact. memor.*

ac loco singulorum missium decumana in patina mensæ intulisset, res insipida omnibus visa est, frustra aliud ad cœnam operientibus. Questi igitur de ingrato hoc epulo, confusisque malè eduliis, quæ singula placere poterant; monentur ab hospite, ita se ab ipsis quoque exceptum esse, singulatim suavissimis, conjunctim acerbis. (a) Erat hæc amœnitatis plena reprehensio, quâ de majori synceritate illos commonefecit, qui ut ollares amici, verba ad mensam loquuntur coquinaria, & coram os alienum oblinunt, dum suum tergunt; sed quorum plerumque, cum olla, friget amicitia. Quæ lues hoc tempore etiam politicorum hominum mores occupavit, altiusque hæsit, quàm ut facili curatione sanari possit.

CAPUT XXIV.

Argutiæ quoque ad acrem justamque reprehensionem, & correctionem prosunt, modò circumspectè adhibeantur.

HAbet nonnunquam argutum ingenium tela acutissima, quibus aliorum facinorosorum hominum mores aptissimè perstringuntur, ut magis se, quàm ullo gladio sentiant vulneratos. Quæ cum justæ defensionis aut emendationis ratio postulat, ad malitiã humanam castigandam licet adhibere. (a) Magna tamen hic cautela opus, personarumque inprimis habenda ratio, ne decori honestatisque metas præterveharis, & quod sanare

(a) *Beyerl. de Vrban. in Th.*

nare malum debet, augeatur. Erat Satyri Sophistæ inquietum turbulentumque ingenium, ideoque multis receptus locis, multis quoque ejectus fuerat; cujus levitatem falſo Stratonicus citharœdus dicto aliis ridendam propoſuit: cum diceret. *mirari ſe quemadmodum mater illum menſes decem in utero tuliſſet, quem nulla civitas decem ſuſtinere diebus poſſet.* (*a*) Mediolanenſis cujuſdam equitis, pluribus catenis aureis ornati, ſuperbiam, Nicolaus Nicolus, vir inprimis doctus facetuſque hoc dicterio acutè perſtrinxit. *Ceteri*, inquit, *ſtulti una catena egent, hujus tanta eſt inſania, ut vix multis queat coerceri.* (*b*) Paulò id quidem acerbius dictum, niſi indigna arrogantiæ oſtentatione Nicolao aliiſque illuſerit, ut hanc jure reprehenſionem mereretur. Dignior ſimili caſtigatione fuit Petrus Luna pſeudopontifex, qui concilio ſe Conſtantienſi objecit. Miſſos enim ab hoc legatos, qui illum ad concilij ſententiam audiendam inclinarent, arroganter ſprevit, atque *hic*, inquit, *arca Noë*, per quam orthodoxam deſignabat Eccleſiam, *apud me eſt.* tum verò legatorum alter opportunè ſubjecit, ſed *in arca Noë permultæ fuerunt belluæ.* Quod ſcomma ad ſuperbam illius pertinaciam arguendam erat aptiſſimum. quo jure perſtrictus eſt, cùm injuriâ obluctaretur. (*c*)

Sic cum improbi in nocentibus protervè inſultant, acuti aliquod ingenij telum, quod ſine ſanguine vulneret, juſtæ defenſionis locum obtinebit. Ita cum fur quidam Athenienſis cui nomen Calcho, hoc eſt æreo, vigilias & lucubrationes

E Demo-

(*a*) *Athen.l.8.c.10.* (*b*) *Poggius in fac.* (*c*) *Gogipanus.*

Demosthenis maligno dente perstringeret. *Novi,* inquit, *molestam tibi esse lucem mea lucerna: at vos Athenienses nolite mirari, quod furta committantur; cùm fures habeamus æreos, parietes luteos.* (a) Ita improbum os compescuit. Sed neque nocentibus id vitio dabitur, si ab iis quos minimè læserunt, petulanti lingua petantur. Ita Galeottus Marcius Narniensis Matthiæ Corvini quondam præceptor, hæreseos reus Venetiis ad columnas geminas deducebatur, ut palinodiam caneret. qui cum præpinguis esset, vir patricius strigosus, atque impudicæ uxoris probro insignis, Galeottum per ludibrium *præpinguem* appellabat *porcum.* nec imparatus ille ad referendum ictum. *porcus*, inquit, *pinguis esse malim, quàm macer hircus.* Tota igitur turba in risum conversa, fecit, ut palinodiæ contumelia Galeotto minus gravis esse videretur. (b)

Temerè tamen hac correctione utendum non est, neque tam spectanda est ultio, aut dolor pœnáve adversarij, quàm ipsius emendatio, quæ ejusmodi reprehensionem plerumque tuetur, aut cohonestat. Poterant gravius offendisse Aulici Suenonis II. Danorum Regis, nisi id spectare visi fuissent. Promoverat ille hominem sibi carum, Suenonem quoque appellatum, ad sacerdotium, sed literarum omnino rudem. Vnde nonnemo, ut hujus facti absurditas magis emineret, lecturo sacrum in consueta pro Rege deprecatione ex formula, *Deus famulum suum Regem protegat*, priores duas in voce *famulum* literas expunxerat; ita ut rudis

(a) *Plut. in Demost.* (b) *Iovius in Elog.*

rudis homo *mulum suum* legeret. Quæ res omnibus risum, Regi verò & sacerdoti confusionem peperit; ut hic erroris turpitudine ad literarum studia impulsus, brevi profecerit plurimum, & deinde ad summa adhibitus Roschildensis etiam Episcopus factus, ac postremo devotionis causa Hierosolymam profectus, gloriosè in hac profectione diem extremum clauserit. (*a*) Tantum illi emendatio, ex hac correctione secuta, momenti ad gloriam simul & salutẽ visa est attulisse.

CAPVT XXV.

Gravissima sæpe, atque exitialia dissidia leni argutoque dicto, aut facto fuere composita.

FAcilè ad evitanda, vel tollenda etiam, sicubi irrepserint, dissidia, ab argutè dictis factisque præsidium petitur. Perversissima illa est nobilitatis, ex levissimis sæpe causis ad duella & internecinas clades prosilientis temeritas; quæ ut honoris defendendi gratia pleumque assumitur, ita cum dedecore, apud omnes probatæ vitæ salutisque amantes homines, semper absolvitur. Non est pertinacius dissensionis malum, & cui, dum in impetu est, difficilius remedium exhiberi possit. At provocato, arguto sæpe joco, & delusione adversarij totum hoc licet incommodum declinare, salvâ non tantum existimatione, & virtute; sed magna etiam prudentiæ commendatione. Quid enim infelicius magisq; inglorium illo potest esse

E 2 homi-

(*a*) *Saxo. Gram. lib. 11. & 12.*

homine, qui tale se in periculum volens præcipitat, in quo dum perit, æternum perit. sententiâ certè gravissimâ proscripsit duella orthodoxa Synodus Tridentina. *Detestabilis*, inquit, *duellorum usus, fabricante Diabolo introductus , ut cruenta corporum morte , animarum quoque perniciem lucretur, à Christiano orbe exterminetur.* Manifesto igitur damnatoque in scelere, quod odio, invidia, superbia, atque indignatione, teterrimis omnino vitiis, animatum conflatumque est, concurrunt; Ut salutem sic occumbens sperare non possit , ideóque tam superstes, quàm cadens dum inanissimæ, imò nefariæ, victoriæ laudi inhiant, execrabilis facinoris ignominiâ notentur. Quocirca hoc scelus declinare, ingenioso aliquo dicto factóve, egregiam sanè commendationem meretur. Perditorum ferè , aut ad ruinam proximè inclinantium hominum est, illa provocandi levitas, qui ad sepulcrum infernumque, citato plerumque pede festinant. Novi ego vidique in civitate propinqua, ante annos aliquot, nobiles tres , in primo ætatis flore vernantes , qui ad compotandum ludendumque cohærebant indies; sed diu , ut solet inter tales, pax & amicitia stare non poterat. Unus erat in his, ut ætate, sic corpore firmior , qui jam duos antehac per duellum gladio confecerat. Is nonnunquam provocatus ab alio feroci juvene ad vicinum campum, provocatorem risit , & *mirari se*, dixit , *quod locum, tempus, & arma quærat, ut pereat, cum omni loco hoc fieri possit.*

Ita tunc quidem elusit , sed alias ab eodem ferociente summo mane , post apertas portas desi-

gnato loco provocatus. omnino, inquit, adercturum verò domi suæ obseratis hærens ostiis, cum ab alio exspectatione fatigato nuntium acciperet, egressus denique insedit equo, jamque vulgata duelli fama post se spectatores multos trahit. Vbi accessit locum certaminis, miratur alter, quod pedes non veniret: tum ille; properandum ad nuntium censui. Si properabas, reponit, cur apertis portis non statim aderas? *Non ante*, inquit, *domus nostra patuit: primæ hæ erant portæ, quas transgredi oporteret, priusquam ad alias urbis pervenirem.* Alia deinde lis nata est, solisne gladiis, an sclopis, an utrisque pugnandum esset? provocato semper per jocum alterius inconsultam audaciam explodente. Ita ut risu denique tota hæc fabula peracta sit, & uterque amicus eodem in equo in urbem revectus fuerit. Quæ res magno omnium applausu, & honore declinantis majore, quàm provocantis gesta est. ut illam, quam ex duellis victor collegerat aliàs, apud prudentes, ignominiam, hic utcunque sarciret. Verùm inquietus ille provocator, semel alterius in duello victor, post ab intimo sociorum in eodem infelix occubuit. nec tertio huic impunè fuit vicisse; nam & hic brevi à longè infirmiori confectus est. ut quæ ab his victoriis inter improbos colligitur gloria rarò alicui visa fuerit diuturna. Ille etiam, quem supra bis memini in duello victorem, postremò in paucorum militum, quos ducebat, concursu repentè oppressum accepimus. Ita jocis aliquantò felicius, quàm gladio usus est. Parco hominibus, ne familiis, quarum aliquæ hoc loco illustres titulo ac

n omine, hæc macula adhæreſcat. Non diſſimile factum reſponſumque Gabrielis Zapatæ nobilis Hiſpani, à collega inter luſum rixamque, ſummo mane ad ſextam horam provocati: *Quid*, inquit, *an inſanum me putas, ut qui tam manè nunquam ſurgo, id faciam, ut corpus & membra mutilari patiar?* Ita indignatio in riſum converſa eſt. (*a*)

Non minus gratiæ & voluptatis habuit adverſarij ad duellum convenientis eluſio, cum inter duos ob inſignia certamen ſuſceptum fuiſſet. Nam ut Poggius (*b*) memorat: Ianuenſis quidam Navarchus, Anglico bello Gallis militans, ſcutum, in quo caput bovis depictum eſſet, geſtabat. Gallicæ nobilitatis homo, cum idem ſibi armorum vendicaret inſigne; alteratione incaleſcente, ad duellum provocavit. Ianuenſis conditione accepta, in campum ad certamen nullo apparatu deſcendit, cum Gallus, magnis impenſis ornatus in campum conſtitutum veniret. Occurrit Ianuenſis. & quæ, inquit, lis noſtra eſt, pro cujus definitione feralibus armis concurremus? Vtrius; ait, alter, gentis hæc ſint inſignia: quæ meæ jam olim fuiſſe contendo. Quæ igitur dicis, excipit ille, tuæ gentis eſſe? Caput bovis, ait Gallus. Tum Ianuenſis, *nullo itaque nobis certamine opus eſt, cum hoc, quod fero, non bovis, ſed vaccæ caput ſit.* Ita duello cum riſu ſoluto, ad ſua quiſque digreſſus eſt. Magis etiam lepidum, quòd Princeps Chimæus duobus ex nobilitate ad duellum provocantibus, ſeſe arma utrique paria in ſolenni duello exhibiturum dixerit, atque indicto tem-

(*a*) *Ens Epidorp. l. 1.* (*b*) *In facetiis.*

tempore locoque, coram tota aula comparentibus, scapulasque, ut jubebat, nudantibus *virgas* denique porrexerit, cum adjuncto, *hinc vulnera non infligi lethalia.* Qui ludificationi omnium hoc facto expositi sunt, postquam egregiè sese mutuo virgis concidissent.

Ad alias quoque dissensiones ac discrimina, levi opere discutienda, argutum ingenium sufficit. Pragensibus nonnunquam civibus, gravior à Rege servitus imminere visa, lepido Zisconis illic divertentis nobilis ingenio discussa est. Iam enim imperatum à Rege civibus erat, ut arma ad arcem ab iisdem deferrentur. Audit Zisco sollicitos de hac re Pragenses, & de imperio exequendo ambiguos. *facite*, inquit, *quod imperatum, sed induti armis vestris unà comparete, non jubebit Rex exuere, quod sic attulistis.* Et ad votum ex consilio Zisconis res cecidit. Apparuerunt suis in armis, tanquam sic à Rege imperatum esset, isque dissimulata re, non censuit irritandos, & Zisco magnam apud Pragenses ingeniosi consilij laudem tulit, quòd cladem illis imminentem tam arguta facilitate discussisset. *(a)*

Sic in levioribus etiam ac quotidianis, inter familiares dissensionibus evitandis, nihil arguta elusione est promptius jucundiusque. Mirus hac in re, ad contentiosissimæ uxoris Xantippes jurgia declinanda, artifex erat Socrates. nam cum aliquando post exaggerata probra, nihil motum, sordida etiam perfudisset, ad præsentes conversus, *sciebam*, inquit, *post tonitru secuturam esse pluviam.*

(*a*) *Dubrau. l. 23.*

Quo consultius dicto occurrit, quàm si mutuis furentam probris exagitasset. (*a*) Magis tamen sanavit hoc malum in uxore Alatæ nobilitatis homo, qui rixosæ sociatus conjugi, lepidissimo illam artificio ad summam tranquillitatem composuit. Nam cunis ejus corpori æqualibus curatis, ubi bile jam æstuantem verbisque mansuetis intractabilem reperit, famulis mandavit, ut uxorem cunis impositam, earum exagitatione ad quietem disponerent. Ergo incunabulis volens nolens inclusa, diuque nequicquam obluctata, cum pueri vociferantis instar rideretur, nec nisi pacata animo silentioque sibi imperato libertatem reciperet, mitius inter cunas sapere didicit. ac deinde satis fuit ad murmur querulæ compescendum cunarum à marito memoriam subjici. Paulò atrociori remedio alter inferioris Saxoniæ nobilis usus est, ut uxorem, quæ intractabilis videbatur ingenij, ad mansuetudinem erudiret. Præclaræ illa stirpis puella, sed singularis ferociæ contumaciæque viro prærepura credebatur imperium. Igitur occasione capta secum iter breve jubet capescere. Ipse ferebatur equo, illa cum eodem ferri nollet, non sine indignatione querula juxta incedebat. Equum ille de industria obluctantem restitantemque, postquam verbis verberibusq; furiosè compositis perstrinxisset sæpius, tandem, velut immorigerum, suo sub corpore, eductis sclopis, trajecit confecitque; furiis irarum tam atrociter fictis, ut conjux horrore spectaculi concussa prorsus hæreret, postremò succumbenti equo ephippium

(*a*) *Lært. in vita.*

pium detraxit, uxorique ferendum imposuit, quod illa citra tergiversationem capite excipiens domum retulit, deinceps ad omnem modestiam composita, ne hos in viro crabrones in se concitaret. Ita vir prudens unius equi, quàm disciplinæ & pacis domesticæ jacturam facere maluit. Grave profectò malum imperiosa & superba in domo mulier: Vt Pythagoras ejusmodi nactus filiam, illam inimico cuidam suo in matrimonium concesserit, *quia*, inquit, *malum ei dare non poteram deterius.* (*a*) Et Democritus vir grandis minimam sibi uxorem delegerit, minus illius imperium veritus, quam sola fronte & habitu corporis terrere posset: causamque subjecit, quòd *ex multis malis minimum sibi eligendum putaverit.* (*b*) Quare laudabile est ingenioso aliquo commento potius, quàm plagis verberibusque obsequium ab illis obluctantibus principio extorquere, dum assuetæ jugo, sine obtrectatione illud suscipiant. Et consultius illud certè, quam istorum Iudæorum imitari factum, quod Neostadij non ita pridem visum memorant, ubi nuptiarum die, à certa meta sponsus cum sponsa decurrit, ut qui prior ansam in domus ostio apprehenderit, illi quoque cedat imperium, &, seu vir, seu mulier fuerit, alteri in omnem vitam dominetur, (*c*) contrà, quàm à Deo mulieri præceptum est, *sub potestate viri eris & ipse dominabitur tui.* Gen. 2.

Porrò quemadmodum in una alteraque dissidiorum materia, hæc facilè arguta quapiam de-

(*a*) *Anton. ser. 34. p. 2.* (*b*) *Idem ib.* (*c*) *Georg. Stengel. de Mat. c. 7.*

Quo consultius dicto occurrit, quàm si mutuis furentam probris exagitasset. (*a*) Magis tamen sanavit hoc malum in uxore Alatæ nobilitatis homo, qui rixosæ sociatus conjugi, lepidissimo illam artificio ad summam tranquillitatem composuit. Nam cunis ejus corpori æqualibus curatis, ubi bile jam æstuantem verbisque mansuetis intractabilem reperit, famulis mandavit, ut uxorem cunis impositam, earum exagitatione ad quietem disponerent. Ergo incunabulis volens nolens inclusa, diuque nequicquam obluctata, cum pueri vociferantis instar rideretur, nec nisi pacata animo silentioque sibi imperato libertatem reciperet, mitius inter cunas sapere didicit. ac deinde satis fuit ad murmur querulæ compescendum cunarum à marito memoriam subjici. Paulò atrociori remedio alter inferioris Saxoniæ nobilis usus est, ut uxorem, quæ intractabilis videbatur ingenij, ad mansuetudinem erudiret. Præclaræ illa stirpis puella, sed singularis ferociæ contumaciæque viro præreptura credebatur imperium. Igitur occasione capta secum iter breve jubet capescere. Ipse ferebatur equo, illa cum eodem ferri nollet, non sine indignatione querula juxta incedebat. Equum ille de industria obluctantem restitantemque, postquam verbis verberibusq; furiosè compositis perstrinxisset sæpius, tandem, velut immorigerum, suo sub corpore, eductis sclopis, trajecit confecitque; furiis irarum tam atrociter fictis, ut conjux horrore spectaculi concussa prorsus hæreret, postremò succumbenti equo ephippium

(*a*) *Zwingl. in vita.*

pium detraxit, uxorique ferendum imposuit, quod illa citra tergiversationem capite excipiens domum retulit, deinceps ad omnem modestiam composita, ne hos in viro crabrones in se concitaret. Ita vir prudens unius equi, quàm disciplinæ & pacis domesticæ jacturam facere maluit. Grave profectò malum imperiosa & superba in domo mulier: Vt Pythagoras ejusmodi nactus filiam, illam inimico cuidam suo in matrimonium concesserit, *quia*, inquit, *malum ei dare non poteram deterius.* (*a*) Et Democritus vir grandis minimam sibi uxorem delegerit, minus illius imperium veritus, quam sola fronte & habitu corporis terrere posset: causamque subjecit, quòd *ex multis malis minimum sibi eligendum putaverit.* (*b*) Quare laudabile est ingenioso aliquo commento potius, quàm plagis verberibusque obsequium ab illis obluctantibus principio extorquere, dum assuetæ jugo, sine obtrectatione illud suscipiant. Et consultius illud certè, quam istorum Iudæorum imitari factum, quod Neostadij non ita pridem visum memorant, ubi nuptiarum die, à certa meta sponsus cum sponsa decurrit, ut qui prior ansam in domus ostio apprehenderit, illi quoque cedat imperium, &, seu vir, seu mulier fuerit, alteri in omnem vitam dominetur, (*c*) contrà, quàm à Deo mulieri præceptum est, *sub potestate viri eris & ipse dominabitur tui.* Gen. 2.

Porrò quemadmodum in una alteraque diffidiorum materia, hæc facilè arguta quapiam de- E 5 clina-

(*a*) *Anton. ser. 34. p. 2.* (*b*) *Idem ib.* (*c*) *Georg. Stengel. de Mat. c. 7.*

clinatione, aut eiusione sopiri posse ostendi, quæ citra hoc artificium in gravius facilè incendium exardescunt; ita in variis occasionibus contentionum quotidie fieri ipsa nos docet experientia, dum arguto lepidoque responso, multorum furor atque offensio componitur, quæ aliàs diuturnis contentionibus, aut sanguine fuisset alenda. Vt enim grandium in pugna balistarum, cum in mollem lanarum globum incidunt, vis infringitur, sic furentium indignatio vano impulsu concidit, si molli potius argutoque responso, quàm duro exacerbatoque animo occurratur.

CAPVT XXV.

Argutè dictorum factorumque magna vis ac facultas est, in consiliis ad omnem actionem persuadendis.

AD consilium dandum prudentia, ad persuadendum ingenio etiam opus est. Multis consilia sæpe bona in promptu sunt; sed qui hæc admittat, deficit. Ludovicus Sphortia Dux Mediolanensis, cum bellum sibi à Ludovico XII. Galliarum Rege impendere cerneret, à Sacco Cancellario viro gravi & sapiente, ideoque subditis Sphortiæ populis charissimo, petiit: *quodnam sibi tutissimum, post Deum, fore crederet adversus hostes præsidium?* respondit, *subditorum amorem.* Sphortia cum non ignoraret, se parum gratum populo, atque in amore omnium Saccum versari intelligeret: non tantùm non admisit salubre consilium;

sed

ſed percitus invidia, & affectati à Sacco (hac, quam ipſe laudaret, & prenſaret, via) imperij ſuſpicione, innocentem ad carceres & ſupplicium condemnavit. Quod cum magna conſtantia adiret, his ultimis Ducem verbis affatus eſt, *à me caput, à te ſtatum auferes.* Nec vanus augur fuit, à Ludovico Rege victus, exutuſque ducatu, in carcerem innocenti paratum, nocens ipſe conjectus eſt. Romani Oratoris prudens dictum eſt. *Parum ſunt arma foris, niſi conſilium eſt domi.* Offic.l.1. Nec pax in bello, nec bellum in pace ſine maturo conſilio rectè ſuſcipitur.

Vis conſili expers mole ruit ſua. Hor.l.3.Od.4. Maximilianum I. Romanorum Imperatorem Rex vicinus, adverſus potentem quendam Principem, ſocium armorum invitabat, ea lege, ut illo victo profligatoque ducatus opulentiſſimus cederet Imperatori. Sed hoc Apologo ipſe uſus, ſeduſque eſt averſatus. *Tres,* inquit, *robuſti in Germania juvenes, poſtquam in quadam caupona liberaliter indulſiſſent genio, jamque de ſymbola agendum eſſet, cum hoſpite pacti ſunt, urſi ſeſe pellem, qui in vicinia damni plurimum dabat, pro ſolutione allaturos. Ad ſilvam igitur profecti. cúmque novitiis hiſce Venatoribus ſeſe urſus fudiſſet obviam, adeò conſternati ſunt, ut in effuſam ſeſe fugam verterint. at illorum unus, ex fuga ſalutem deſperans, pronus in terram, repentinam mortem ſimulabat. Adeſt mox urſus, exploratque odoratu hominem: num quod vitæ argumentum ſuperſit, quo non reperto, diſceſſit.* Hoc cum obſervaſſent ſocij, interrogant ad ſe reverſum. *quidnam auribus inſuſurraſſet urſus?* re-

 ſpon-

spondit: *hoc monuit, ne posthac vendamus pellem, antequam capta sit fera.* Ita Cæsar incertum belli fructum, ex Duce nondum capto, vanè sibi promitti, legatis hoc Apologo declaravit, & consilium sibi honestum, alteri etiam Regi salutare communicavit. (*a*) Sapienter Comicus ait, Terent. in Eunucho

Omnia prius consilio experiri, quàm armis sapientem decet:

Non dissimili ingenio M. Andreas Turinus summi Pontificis Pauli III. Medicus, iter Niceam, ad pacem inter Regem Galliar. Franciscum, & Carolum V. Imper. componendam, dissuasit: quòd irritum hunc laborem esse sentiret. *Vereor,* ait, *sanctissime Pater, ne idem tibi eveniat, quod Eremitæ cuipiam, qui Dei cum Sathana reconciliandi negotium susceperat. Oppugnatus ille ab hoc visibili etiam specie, sæpius, Dei præsentiâ atque ope superabat. Vnde utrique non rarò loqui solitus, & sibi, & illis consultum fore credidit, si depositis inimicitiis Sathanas cum Deo in gratiam pacemque rediret. Deum igitur primò inflectendum ratus: Vides, inquit, Domine quam multas hostis ille animas ad tui imaginem conditas, in opprobrium creatoris sui à te avertat, atque in æternum exitium præcipitet; vides irritam hic redemptoris Christi mortem, pretiosumque hoc pignus fusi sanguinis tibi tuoque filio eripi, orco Dæmonique adscribi. Quin agis, mi Domine, atque odiis hisce positis, pœnæ modum in Diabolo, seductionis in homine statuis. condona offensam, pristinam offer gratiam, & universa hæc mala, uno nutu amputasti. Nec difficilis ad hanc orationem Deus, faciam, inquit, quod postu-*

(*a*) *Ens lib. 2. Epid.*

postulas: tantum suam agnoscat Diabolus culpam, & deprecetur. Exultabat lætus Eremicola, jamque se rem confectam habere est arbitratus, quod à Deo levius faciliusque nihil posset exigi. Redeuntem itaque Diabolum his verbis aggressus est. Quid, ô infelix, tantum laboris operaque consumis, ut mortalium animas in æternam tecum ruinam pœnamque devolvas? quod obsecro tibi lucrum ex illarum pernicie, quod ex pœna gaudium est? an non intelligis te illis quidem nocere gravissimè; tibi verò nec hilum prodesse? Quantò magis è re tua fuerit, ad amissam cum Deo redire gratiam, tantisque curis, laboribusque, ac cruciatibus, quibus nequicquam affligeris, contra Deum hominesque pugnando, tete subducere? Equidem hanc inimicitiam levi negotio, paucisque verbis componi, absolvique posse sentio. Tum Diabolus non aspernatus Eremitæ consilium, sciscitatur; quis igitur modus conditioque futura reconciliationis esse possit? Quatuor, inquit *Eremita, verbis res transigi poterit: his videlicet: peccavi, Domine, miserere mei. Bene habet, excepit Diabolus: sed à quo vis dici illa, à me, an à Deo? A te verò, inquit Eremita. Mox Diabolus indignatione plenus, hoc ait, in æternum futurum non est, atque Eremicolam, sua exspectatione delusum, reliquit.* (a) Quam appositè hac fabula usus sit, eventus pacis frustra inter Cæsarem Regemque tentatæ demonstravit.

Nescio tamen, an non Turini hoc consilium plus ingenij, quàm honestatis & utilitatis publicæ complectatur. Etenim non una machina obstinati ad bellum animi expugnandi erant: & utcunque

(a) Ens lib. 2. Epid.

cunque res eventusque caderet, gloriosum Pontifici futurum erat, nihil ad pacis consilia intentatum prætermisse, quando funesta illa Europæorum Principum dissensione, hinc Turcarum, inde hæreticorum illuvies Christianum orbem inundabat. Hoc universim in consiliis dandis accipiendisque observandum est, quæcunque bellum suadent, magis semper debent esse suspecta, quam quæ pacem. quod bellum, nisi ad hanc denique obtinendam suaderi nullum possit: hæc cum salute, illud cum exitio reip. conjunctum sit, nisi in hac denique acquiescat. Themistocles quondam Athenis pro concione dixit, repertum abs se consilium, quod cum summa dignitate Atheniensium conjunctum esset; sed eius esse generis, quod proferri in publicum non expediret. Censuit populus, ut uni illud Aristidi, quem justissimum habebat sapientissimumque communicaret; qui si probasset, probaturos id universos. Cum igitur Aristidi Themistocles indicasset, classem Græcorum navalem incendendam videri: ita facile Athenienses totâ potituros Græcia. Reversus Aristides ad populum dixit: *Themistoclis consilio nihil esse utilius; sed eodem nihil quoque inhonestius reperiri.* Statuit ergo populus, Themistoclem hac in re nequaquam audiendum, honestamque pacem, turpi bello, quamvis utilissimo, prætulit. Quæ consilij æquitatisque ratio, si hodiedum inter Christianos haberetur principes: non quilibet modò titulus, ad fidem perfidia, & pacem bello violandam sufficeret, postquam aliqua utilitatis

spes

ſpes & ſpecies immenſæ quoiundam cupiditati ſe oſtentaret. *(a)*

Lycurgus Lacedæmonios, viros fortes & bello idoneos, vetuit crebris vicinas gentes bellis laceſſere; *ne* (ut ajebat) *inſueti bellis, æmulatione armorum, dum ſe defendunt, diſcant ſuperare; & metuamus, quibus eramus metuendi.* Vnde Ageſilao Regi vitio ab Anthalcida verſum eſt, quod *Thebanos infeſtando docuiſſet bellum gerere.* (*b*)

In ipſo quoque bello adminiſtrando prudentum conſilio plus ſæpe, quàm armis tribuendum, præſertim cum per illud incruenta nonnunquam contingat victoria. Vnde ſi callido hoſtem conſilio Lacedæmonij ſuperaſſent, Marti bovem immolabant; ſin armis & aperto marte, gallum. quòd conſiliis, quàm viribus excellere, longè illuſtrius exiſtimarent. (*b*) Et Sertorius Pompeium adoleſcentem aſpernatus eſt, donec ſenex Metellus ſuperveniret. *Ego*, inquit, *hunc puerum, niſi anus iſta ſuperveniſſet, caſtigatum verberibus remiſiſſem.* (*c*) Fama apud Athenienſes de Alexandri morte percrebuerat, ideóque proſiliebant in forum oratores qui populum ad inferendum properè Macedonibus bellum inflammarent. At Phocion conſultò exſpectandum eſſe ſuaſit, dum certiora de morte perferrentur. nam, *ſi hodie*, inquit, *mortuus fuit, cras etiam futurus eſt.* Iure enim metuebat, ne ſi vivum Alexandrum irritaſſent, illud exitio omnium fieret. Ita brevi argutoque dicto conſilium complexus eſt, quo omnium

(*a*) *Plut. in Ariſtide.* (*b*) *Plut. in Lacon.*
(*c*) *Ibid.* (*d*) *Plut. in Sertor.*

nimm Rhetorum pro bello, argumenta, sapienter discussit. (*a*)

Fridericus Cæsar res duas ante fores curiæ à suis Consiliariis relinqui cupiebat, *simulationem, & dissimulationem*: illa fingit quæ vera non sunt; hæc quæ vera sunt obtegit; utraque privati, non publici est boni studiosa. (*b*) Illâ, ut fabula est, utebatur vulpes, quæ cum propriam amisisset in captivitate caudam, magnum sibi hinc commodum nasci fingebat; ut ceteras ad caudam quoque deponendam adduceret: & persuasisset, nisi ad vulpes quoque habita fuisset oratio. quæ extra periculum simile id sibi faciendum non censebant. Hac dissimulatione usus est Asinus, qui cum se ubique premi ac despici, Leonem in honore atque horrore omnium versari conspiceret, nactus fortè Leonis pellem, dissimulatâ personâ suâ, liber vagari ac terrori esse omnibus cœpit; donec ex auribus à rustico agnitus, atque ad clitellas, non sine fustigatione reductus, hoc sibi consilium malè cessisse animadvertit. Parum semper ingenij argutiæque illa censentur habere consilia, quibus propriæ magis utilitati, quàm publicæ consulitur. Qui sibi tantum sapit, parum sapit. Quare siquid ad hæc ingenij cuipiam suppetat, post salutis curam propriæ, ad commune reip. bonum cum laude convertatur.

(*a*) *Plut. in apoph.* (*b*) *Æn. Syl. l. 3, com. Alph.*

CAPVT

CAPUT XXVI.

Magnum pondus inest argutè dictis factisque, non tantùm ad orationem hominis exornandam, sed quamlibet etiam virtutem hominum animis imprimendam.

ARgutæ dictionis flores aculeosque illustre cùm ligatæ tum solutæ orationis ornamentum esse, si loco ac tempore opportuno inserantur, alibi prolixius tradidi, in utriusque eloquentiæ palæstra, *(a)* ut hic exemplis eadem probare supervacaneum ducam. Quantùm verò argutè facta, ad Comœdias tragœdiasque idoneis erroribus implicandas ac rursum explicandas momenti adferant, id quoque diversa poesios Dramaticæ parte *(b)* exposui. Ubi rara lectuque non injucundæ ejus rei exempla reperies, simulque intelliges, quantum ab iisdem argutè factis militaria strategemata præsidium habeant. quibus Hannibal, Pœnorum adversus Romanos ductor, non semel eosdem circumvenit: ut prima celeberrimaque ad Cannas Romanorum clades, astu non minus, quàm virtute illius obtenta, docuit. Sexcentos enim Numidarum simulatione fugæ, ad hostem transire jussit, qui ad faciendam Romanis fidem gladios scutaque tradidêre. Inter pugnandum verò in postrema recepti acie, cùm hostem à fronte premi viderent, exertis, quos occultè gerebant, pugio-

(a) Palæstra styli l. 2. c. 22. & ligata l. 2. c. 14.
(b) Dram. poes. l. 2.

pugionibus, istorum terga confodere primùm, ac deinde armis se cadentium munire cœperunt. Vnde conclusi quaquaversum ab hoste Romani, maximâ ab omni ætate strage oppressi ceciderunt. (*a*) Ad hæc aliaque diversa arguti ingenij commenta, illo libro per fontes suos exposita, cupidum lectorem remitto: nunc id solum ago, ut ad virtutem quoque persuadendam, animisque mortalium altè infigendam plurimum argutè dicta factaque valere contendam.

Tantò rem quamq; hærere, ac subire animum altius experimur, quantò illustriori dicto factóve eidem objicitur atque imprimitur. Quæ in se, raritate ac novitate quapiam inexspectata, aciem mentis defigunt, hæc tenacissimè ab eadem retinentur, & recurrunt sæpissime. Theophilus orientis Imperator uxorem habuit sordidè congerendis opibus inhiantem: hanc ille ad liberalem magis, & imperatrice digniorem indolem cupiebat erudiri. Quod unico postremùm dicto factoque efficaçius, quàm hortatu multo, argumentisque studiosè diuque acervatis, præstitit. Fortè viderat in portum appellere Imperator ingentem onerariam, misso ad hanc satellite quid vehat, & cujusnam illa sit, interrogat; respondetur; merces vehere, atque imperatricis esse. Tum ille navarcho accersito, jubet hinc tollere, quidquid ipsius nautarumque esset, ac mox subjecto igne navim comburi. Ad uxorem deinde, quæ hæc spectabat, conversus, vultu verbisque ad severitatem compositis, inquit; *me quidem Deus* (*quæ illius est gratia*) *Impe-*

(*a*) *Livius l. 22.*

Imperatorem fecit; at tu me nauclerum, & mercatorem facere satagis : Patere me teque Principem esse, subditis mercaturam relinque : nos clavum imperij, illi navium moderentur. ita sua cuique dignitas constabit, atque utilitas. (*a*) Hoc avaræ feminæ præceptum exemplumque unicum, satis ad totius vitæ emendationem fuit, quod ingeniosa Cæsar correctione instruxerat.

Penetrant ita quandoque sapienter argutéque dicta, ut expugnabilem ad vitia deserenda, virtutemque amplectendam animum, uno pervadant occupentque impetu. Hoc Leo Byzantinus, Platonis quondam discipulus, in Philippo Macedonum Rege, felici successu expertus est. Erat Rex hic Philosophorum ac sapientiæ amans, sed magis etiam gloriæ regnandique super omnes cupiditate efferebatur. Iam egregio stipatus exercitu Byzantium oppugnaturus venerat; cùm Leo, pro sua intercessurus patria, Regi obviam factus, interrogat; *ut quid ita armatus urbem petat?* Philippus, ut ad facetias promptus erat, *Scias*, inquit, *me illam deperire* (tanquam sponsam) *nec facilè quieturum donec amatâ potiar.* Tum Leo: *at noveris quoque, ô Rex, amatores ad amicarum fores, non instrumenta bellica, sed musica solere adducere.* Quod responsum, argutæ blandæque retorsionis plenum, adeò regium animum emollivit; ut versis aliò armis, Byzantio abstineret, repentinus ex hoste amicus. (*b*)

Lepidior illa fuit mariti bigami instructio, qua uxorem querulam, bigamam quoque, & viri iam defun-

(*a*) *Ens lib. 1. Epid.* (*b*) *Ibid.*

defuncti humanitatem odiosè, in despectum quendam alterius conjugis, exaggerantem, ad sanio a instruxit: Etenim, cùm in aprico fortè cœnantibus, atque ad illum sermonem delatis, s perveniret pauper, stipem ex mensa rogitans, & partem gallinæ uxor mendico offerret, cum dicto: *in prioris mariti gratiam, hanc stipem cape*: vir reliquam gallinæ ex patina portionem arripiens: atque egenti porrigens, & *hoc*, inquit, *in defunctæ jam conjugis habe memoriam*. Pauper utrique bene precatus, & ut hanc Deus in illis erga defunctos pietatem diu aleret, obtestatus, discessit; Sed cum aliquo temporum intervallo, rediret mendicus, idem, & feminam ob prioris mariti memoriam obsecraret, respondit illa, *non se amplius celebrare exequias*. Vnde spe sua dejectus, intellexit, vetus etiamnum dictum obtinere: *varium & mutabile semper femina*: ad retinendum tamen facilius, quàm largiendum erudiri. Sed ejusmodi, quæ ad virtutem erudiant, exempla, argutè dictis factisque illustria, passim se offerunt. Brevi & faceto monito hospitem nonnemo suum ad patientiam instruxit. Erat illi Xantippe domi altera, quæ murmure totam compleret familiam: quòd cum admissus in domum hospes iniquo ferret animo, neque offensionem celaret. *Quæ, per Deum*, inquit maritus, *hæc tua impatientia est, jam per annos viginti tam querulam ego feminam sustineo, & tu uno hanc die non feras*? Ita hospes atque uxor in risum soluta, illa modestiam, hic patientiam didicit. (*a*)

Scilu-

(*a*) Eras. Epist. l. 2.

Scilurus princeps Scytharum octoginta fratrum parens, jam fatali in lecto reclinis ingenioso filiis commento suasit concordiam, fasciculum ille jaculorum, ita ut vinctus erat, præsentibus obtulit, jussitque hunc frangi medium. Id cum singuli frustra conati essent. ipse mox dissoluto, quo hærebant, vinculo, facilè rupit. Et *en*, inquit, *filij mei, quæ juncta non poterant, soluta franguntur: ita quamdiu vos concordia junxerit, nemo vincet; disjunctos facilè quivis superabit.* (*a*) Idem Rex Africæ Mycipsa jam moriens illustri filiis convocatis dicto inculcavit. Hoc desidero, ut concordes sitis: nam *concordia res parvæ crescunt, discordia maxima dilabuntur.* (*b*)

Maximum verò ejusmodi, cum argutia quadam vibratæ sententiæ, ad omnem instructionem pondus adferunt. Vis retundere cujuspiam ad honores immoderatos ambitionem? utere illa Theopompi, ex Plutarcho, ad filios admonitione: *mediocres honores tempus auget, immodicos abolet.* vel illo Alphonsi Regis Arragonum dicto, quo vetus Romanorum institutum expressit; *Honoris templo, Virtutis junctum est:* ut doceas, per hanc ad illum enitendum esse. Vis Pædagogum ad rectam puerorum institutionem erudire? utere illo Isocratis dicentis: *in Ephoro tardiore calcaribus; in Theopompo concitatiore freno opus esse.* Vis opum cupidum ad moderationem provocare? dic cum Seneca: *nunquam parum est, cui satis est: nunquam multum, cui satis non est.* Vis scioli comprimere arrogantiam? audiat ille, vel invitus: *maximum illo-*

(*a*) *Plut. in apoph.* (*b*) *Salust. in bello Iug.*

illorum, quæ scimus, est minimum eorum, quæ nescimus. Quod si penetret, verumque esse deprehendat, pennas iste pavo facilè submissurus est. Ita per apophthegmata sapientum, vitiaque ac virtutes singulas licebit incedere.

Nihil tamen in hac disciplina efficacius est, quam exemplo simul verboque oppugnare vitia, ac virtutem tueri. Ita Diogenes malè ab agresti homine fuste tractatus, cum nec verba iratus, nec læsus verbera regereret: sciscitantibus, an hanc insolentiam dissimulanter ferret? *quid*, inquit, *agerem si asinus me calce feriisset*? quo sibi patientiam solam adversus talem hostem tutissimum esse præsidium ostendit. Pari Demonax Philosophus animo injurias & vim illatam pertulit. Olympionicem ille reprehenderat, quòd molliori, quàm fortem athletam deceret, cultu uteretur. qui monitorem non ferens, grave vulnus inflixit capiti. ut qui aderant, indignati, ad Proconsulem ire juberent, & reo diem dicere. *nequaquam*, inquit *ille, ad proconsulem, sed potius ad medicum.* (*a*) Vox certè & animus Christiano homine dignissimus. Hæc enimverò, & audire, & intueri exempla virtutum, ut jucundum est, ita cum summa utilitate, ac profectu multorum conjunctum. Subeunt planè animum; quia, cum alimento quodam sapientiæ, lepor ipse ac lusus ingeniorum, tanquam suavissimum condimentum, jungitur, & quod sua veritate, ac sapore quodam virtutum delectat, hoc dulci quodam argutiarum lenocinio facilius illabitur, ac hæret tenacius. Marcellus Virgilius hanc

(*a*) *Plut. in apoph.*

hanc ex Gallo homine, inter fatuos habito, sententiam se accepisse dicit, quæ deinde omnem in vitam hæserit: quatuor esse bonas matres, quæ pessimas filias pariant: *veritas odium; prosperitas superbiam, securitas periculum, familiaritas contemptum.* Nihil itaque cum esset in homine, quod dicto gratiam conciliaret, suopte illa nervo ac pondere ingeniosè vibrata, occupavit animum, & ad omnem retrò memoriam hæsit.

His igitur similibusque, quæ vel ad honestam oblectationem, vel ad utilem instructionem faciunt, cum totus hic libellus sparsim impleatur, ut nunc politicam, nunc religiosam etiam vitam ex illo formare possis; dum artem ingeniosè loquendi tradimus, cupimus tibi simul rectè ex illa vivendi esse commendatam.

FAMI-

FAMILIARIVM
ARGVTIARVM
Honestæ & eruditæ recreationis,
LIBER II.

Artem novam Argutiarum præceptis & exemplis diversis exhibet.

OStendi quisnam possit esse Argutiarum in vita hominum familiari usus. quomodo utiliter, jucundè, honestéque adhibendæ sint; & offensiones, quæ in rebus etiam pulcherrimis præstantissimisque proclives sunt, quemadmodum sint devitandæ. Nunc reliquum est, ut ad ipsa Artis hujus præcepta veniamus. quæ cum non tam verbis, quàm exemplis aptissimè ingenerentur; his, tum præceptorum gratia, tum vel maximè honestæ simul oblectationis causa utemur. Vt his graviora quandoque studia relaxari, & varia ad omnem vitam documenta brevibus sententiis legentium animis infigi possint.

Familiaris hominum vita jucundâ inprimis sermonis varietate, ac gratiâ pascitur, quo cum animi nostri sensa, velut in animo alterius, mu-

tuâ communicatione, deponamus; nihil perinde ad amorem conciliandum, alendumque valet. hinc ingenia. indolem virtuteſque aliorum æſtimamus, ſubtilibus aliorum inventis oblectamur, & traditâ velut per manus eruditione ac ſapientiâ fruimur. Vnde cùm rarum quippiam, atque ab aliis, ſeu ignoratum, ſeu inexſpectatum adferimus, continuò admirationem ac benevolentiam meremur. Verùm cùm non modò ſermone, ſed actione etiam mentis cogitata expromere liceat, evenit in hoc noſtro argutæ lepidæque orationis genere, ut nonnunquam pars rerum animo conceptarum externo aliquo opere ſpectantibus exhibeatur, pars voce audientibus explicetur. Quemadmodum in emblemate aut ſymbolo aſſolet; ubi rei conceptæ argumentum partim rerum imagine, partim ſcriptâ ſententiâ exponitur.

Quæ circa & hoc nobis diſcrimen negligendum non fuit; ſed diſtinctione exemplorum, per fontes venaſque, ordine diducendum: ita quidem, ut argutè dicta ſubſequantur dicta facta. Lepidè tamen facta, quæ puræ actionis ſunt, negleximus; quòd oratorem maximè inſtruere nobis propoſitum. Quanquam eorum non pauca ſint, quæ abſque omni vocis ſocietate non parum ingenij elegantiæque obtineant: uti illud Iacoboni eſt, qui cùm occurrentis ex foro amici emptos de manibus pullos accepiſſet, mandatumque, ut eas domum ſuam deferret: non ædibus, uti alter exſpectabat, verùm ſepulcro illius intulit. Hoc facto oſtendens, aliam magis illi propriam domum

non habere, quod elegantiùs opere, quàm verbis declaravit. Ad Epigrammaticæ autem argutiæ similitudinem compositum est, quia exspectationem alterius fefellit, & alienum à loco præstitit: quod ad fontem alterum, venamque quintam Alienatorum spectat. Verùm illæ argutiæ cùm in actione omnino consistant, ad Comicotragicum nostrum tractatum spectabunt. ubi de iis agendum. nunc prioribus solùm insistimus.

CAPVT I.

De natura & distinctione argutè dictorum ac factorum.

QUamvis in epigrammatum libello de arte & natura dictionis argutæ illa disseruimus, quæ his etiam præceptionibus possint sufficere; tamen & hic summatim eadem juverit perstrinxisse. Argutè igitur dictum, ac factum hac universè descriptione complecteris. *Est brevis quædam animi sententia, aut verbis solis, aut factis simul verbisque explicata: quæ aliquid, cum ratione, præter opinionem adfert; quod vel oppositum sit, vel alienum, vel comparatum, vel alludens, vel pluribus horum exspectationem superat.*

Vnde easdem cum Epigrammatibus affectiones habet, *brevitatem* scilicet & *argutiam*. Brevis esse debet animi sententia, ut facilius ab audiente possit accipi, & hærere tenacius. argutia deinde facit, ut hoc sit, quod esse dicitur ;* ideóque cum volu-

voluptate, atque aviditate quadam audientium, aut etiam ſpectantium excipiatur. *Genus duplex ſtatuimus*, dictorum purè, aut dictorum ſimul & factorum. de quibus paulò antè, ſub ingreſſum, diſſeruimus. *Species verò, ſeu fontes Argutiarum quatuor diverſos*, de quibus in Epigrammatis fuſius; hic verò illud recolere ſuffecerit; quod ſiquid exſpectationem noſtram fallat, hoc, vel illa rebus tribuat, quæ primâ fronte, communique ſenſu, cum iiſdem pugnare videntur: vel contra ab iiſdem ſeparet, alienetque, quod illis familiare ac proprium eſſe cenſetur, alio, quandoque minus proprio, in locum ſubrogato: vel cum alia re prorſus, ut apparet, diſpari in comparationem adducat: vel poſtremò in verbis rebuſque opportunè, ſed inexſpectatè, productis ludat. Quæ ſingula, quâ varietate & gratia, per diverſos hoſce fontes (ſic enim appellare viſum eſt) fieri poſſint, regulis, ac deinde exemplis, tanquam per venas fontium eundo, lubet explorare.

Quod verò in arte epigrammatica obſervatum eſt, ut uno per fontes omnes venaſque diducto exemplo, artis hujus copiam, facilitatemque ab illa depromptam, panderemus: hoc quamvis eadem, hoc loco, de Lazaro, Epulone, Iuda, Luthero, Apoſtoloque Petro exempla ſerviant, in alio tamen Caligulæ Imperatoris facto, propius ad hanc rem ſpectante inſtructione, præſtabimus. cùm ſolius illic orationis, hic factorum etiam luſus proſequamur.

Ceterùm ipſa tibi emblematis figura, quam fronti hujus libelli præfigimus, brevem quandam

comprehensionem artis totius subjicit. *Phœbus* ut Musarum, sic Astrorum Princeps, opposita sibi solis lunæque sidera, ita conjungit, ut lucem abs se invicem mutuentur: estque idea quædam Repugnantium, mutuâ illustratione in argutè dictis factísve concurrentium. nam, ut habet axioma tritum, *contraria juxta se posita magis illucescunt.* Pallas scientarum ac sapientiæ apud Veteres Antistes, oleæ pacisque custos; armis tamen, maximè à scientiis ac pace alienis, prisco Ethnicorum instituto vestitur: Noctua caput insidet, quæ Phœnicem solis avem portare mereatur. Hæc tam aliena, non sine ingenio Deæ tributa, quòd & raritate illustria sint, & illustratione rara; cùm majus in armis prudenter tractandis, quàm in toga sapientiæ decus emineat; dignam illam fonte nostro iconem fecerunt. Mnemosyne Musarum parens, tertia ordine, eiusdem fontis statua, suam in speculo formam, pulcherrimo naturæ lusu, contemplatur; cùm & decus affundat vitro, & ornamentum ab eodem censore recipiat, facilè correctura nævos, siqui offenderint. Talis nempe in orbe, rerum parium dispariumq; inter se resplendet comparatio; ut mutua collatione magis refulgeant, & dent accipiantque ornamentum. Postremò Amor fidicen, qui cum Philomela alternis lusibus certat, lusus illos verborum sententiarumque in palæstra eruditorum exprimit, quibus res vocesque, tanquam aliquas in musico concentu fides, temperant, & ad honestum literariæ disciplinæ oblectamentum inflectunt. Ita quatuor ubi fontium scaturigines, ex uno Argu-

tiarum

tiarum generali fonte ductas, his utcunque imaginibus expressas dedimus. Siren, quæ fonti implexa quadruplicem ex Tritonis cornu fontem efflat, argutæ in dictis factisque compositionis naturam repræsentat: ut quæ res diversas, virginei oris speciem cum pisce, inexspectata conjunctione sociat: &, cùm brutum sit animal, humanæ tamen formæ pulchritudine delectat. Puerum hunc, cum aquis ludentem, ut aptum lusibus ætate, & suâ innocentiâ, cunctis gratum fontis apex sustinet: ut intelligant, ad innoxios lusus & usus hos tantum Argutiarum fontes esse adhibendos.

CAPVT II.

De argutiarum fontibus ac præsertim Repugnantium.

CVm illa familiaris sermonis actionísve argutia in plurium ferè personarum societate usitata sit: evenire poterit, ut vel ad alterius interrogatum solis verbis respondeatur, adeò ut ad rem propositam à proponenre: seu respondente actio nulla adhibeatur, & hanc puræ dictionis sententiam appellamus: vel opus aliquod, ad mentis conceptionem exponendam, unà cum verbis adhibeatur, & hanc intermixtæ simul actionis dicimus. Exemplo uno per omnes fontes variis responsionibus & admixtis quandoque actionibus diducto utemur: ut intelligas quantam hæc ars

argutandi facultatem subministret. Historiam ex Xiphilino in *Caligulam* Imperatorem petemus. *Ille enim cum aliquando muliebri ornatus habitu sublimis eminenti in solio præsideret, Gallicæ nationis sutor fortè præteriens risit. Quâ re animadversa, Cæsar, hominem accersitum rogat, quid de Imperatore videretur? cui respondit Gallus; Magnam sibi ejus videri amentiam.* Quod quidem responsum hominis cùm plus audaciæ, quàm argutæ subtilitatis habeat, nos paulùm nobis exacuendum, tum verbis, tũ etiam factis rei appositis, per fontes venasque explicandas, sumpsimus. Vt verò pro primo Repugnantium fonte hic aliqua tibi, aut dicendi, aut agendi copia suppetat: persona eiusque actiones potissimùm considerandæ erunt: deinde horum opposita ponderanda, & in compositionem adhibenda. *Quis* ergo *qualisque persona* muliebri habitu ornata? *Cæsar* videlicet, *Iudex*, *vir barbatus* (ut ante alios Imperatores Caligula fuit) *caput non tantùm Reip. sed & familiæ, miles, Præses senatus* &c. His opposita junge ut *cum Imperatore Imperatricem, cum viro feminam. Fac mulierem Iudicem virorum, fac barbatum eundem & togatum.* Ita porro & in his, & aliis inexspectatâ aliquâ responsione interroganti occurrere poteris.

FONTIS REPVGNANTIVM. VENA I.

Repugnantia de eadem re, cum aliqua arguta compositione, simul aut affirmari aut negari poterunt.

Ita Gallus à Caligula causam risus interrogatus, dicat: *se ridere, quod Imperatricem Romanis propositam videat, sublato Imperatore.* Vel *mirum videri quod Romanis mulier imperet, qui antè vix tulerint viros: quòd Reginæ pareant, qui Regibus noluerunt.* Sive, *Androgynum sese Imperatorem mirari,* afferat, *qui nunc denique viris ac mulieribus meritò imperet, postquam ipse vir simul ac mulier effectus sit.* Vel si negatione removere ab illo opposita cupiat. *Indignum Imperio affirmet, ut qui neque vir sit, cùm virili habitu & animo destituatur, neque mulier, qui barbâ non careat.* Verùm aliis hæc dictis factisque magis illustrabimus.

Arguté dicta

1. Stultus stultè judicat.

ALphonsus Arragoniæ Rex jactabundo cuidam, quòd denique sapientem virum reperisset; *Quomodo verò,* inquit, *stultus sapientem dignoscere potuit?* Ant. *Panor. de gestis Alphonsi.*

2. Et victores cladem sentiunt.

Pyrrhus Epirotarum Rex cum Romanis bis prælio congressus, & bis eodem victor, cum multos suorum Ducum amisisset; exclamat: *victi prorsus sumus, si tertio Romanos prælio sic vincamus.* Plutarchus in Pyrrho.

3. Temperantia adolescentem decet.

Anacharsis Scytha, temperantiæ inter Philosophos singularis, tribus potissimùm, *Ventre, Venere, linguâ abstinendum* censuit. Ebrium juvenem

in se convitiis debacchantem, hac admonitione ultus est. *Si juvenis vinum non fers, cùm senueris, aquam feres.* Nimirum, aut inopia, aut podagra opprimendus. *Laërtius.*

4. Timor delusus.

Quidam navigaturus monitus ut caveret, ne à piscibus naufragus devoraretur. *quid,* inquit, *metuam à piscibus qui tot pisces devoravi?* Athenæus.

5. Quis lector optandus.

C. Lucilius scripta sua legi, neque à doctissimis, neque ab indoctissimis voluit: quod hi nihil, illi nimium saperent. *Lælium se* ajebat *lectorem malle, quàm Persium,* quorum ille mediocriter, hic eximiè doctus. Cicero *lib.2.de Orat.*

6. Quis inter convitiatores vincat.

Cum Demosthenes convitiis à quodam incesseretur. *In certamen* inquit, *committor, in quo qui superior evaserit, inferior est; qui vicerit, victus.* Erasmus *l.4.apoph.*

Vnde illud distichon

Hoc scio pro certo, quoties cum stercore certo:
Vinco, seu vincor, semper ego maculor.

7. Taciturnitas tempestiva.

Cùm etiamnum adolescenti, Catoni vitio daretur nimia taciturnitas: *carpant,* inquit, *taciturnitatem, dum vitam probent:* & adiecit, *tum demum abrumpam silentium, cùm loqui potero indigna silentio.* Plutar. *& Brus. l.9 c.6*

8. Dissimulatione opportunè utendum.

L. Galba cùm Mecœnatem ad convivium invitasset, sentiretque illum liberiùs cùm domesticis locuturum, modò ipse censor abesset: somno dissi-

diſſimulanter indulſit, ut libertatem Mecœnati faceret. Interea dum alius nonnemo quicquam de menſa furtim ſubtraheret: infelix, inquit, *Mecœnati dormio, non tibi.* Eraſm. *in Chiliad.*

9. Tacendi non minor ars, quàm loquendi.

Iſocrates à Careone ad ſuam diſciplinam adſpirante, ſed immodicæ loquacitatis homine, duplicem mercedem poſtulabat. Cauſam roganti: *unam,* inquit, *dabis ut loqui, alteram ut tacere diſcas. Stobæus.*

10. Canum, quàm calvum eſſe præſtat.

Auguſtus cùm offendiſſet comptrices Iuliæ filiæ canos capitis ſublegentes; rogant filiam: *utrum poſt annos aliquot calua eſſe, an cana mallet?* Cana, inquit, illa potiùs. Cur igitur, excepit, iſtæ te calvam faciunt? *Suetonius in Aug.*

Argutè dicta facta.

11. Parvo res momento mutantur.

Pauſon pictor equum volutantem ſejuſſus pingere, currentem in tabula exhibuit: cumque ille, qui opus præceperat, averſaretur; Pauſon inversâ ſolum tabulâ: ecce, inquit, habes ſe volutantem. *Plutarchus.*

12. Pœna, & præmia ex æquo danda.

Cùm propoſitum erat, qui ſeditionem moviſſet, moreretur: qui verò compoſuiſſet, præmium ferret: nonnemo temerarius, & excitavit primùm, & deinde ſeditionem compoſuit. Res ad judicium Sophiſtarum delata, quam Secundus hac

ratione absolvit. Quod prius est? movisse. Igitur & morte prius seditionis pænas soluat: deinde, si potest, ferat præmium. *Philostratus in Sophistis.*

13. Lingua optimum & pessimum.

Biantem Prienæum Amasis Ægyptiorum Rex monuit, ut cùm sacrificatæ victimæ adesset, optimum sibi ex illa ac pessimum submitteret. quod explorandæ illius sapientiæ causâ mandabat. ille nil cunctatus linguam misit, quam simul & optimam & pessimam esse partem crederet. *Plutarch.*

14. Fugæ dedecus excusatum.

Demosthenes postquam oratione Græcos contra Philippum ad bellum conciliasset ipse simul exercitu armatus comitatur, ne segniùs, quàm loqueretur, ageret, clypeo aureis erat inscriptum literis, BONA FORTVNA. Sed ad Cheronæam segnius quàm dixerat egit, interque primos relicto clypeo fugam spectavit: Reprehensus, hoc se proverbio purgavit (*Vir fugiens iterum pugnabit*) mortuo deinde Athenis ærea ipsi statua erecta est, cum adscripto basi Epigrammate.

Si tibi vis animo, Demosthenes, æqua fuisset;
Non ferret Macedûm Græcia victa jugum.
Plut. in vita.

15. Votum inconsultum corrigitur.

Cùm Lacon nonnemo se voto obstrinxisset quod de monte Leucate sese præcipitem daturus esset, in montem enisus, cùm ipsius altitudinem despiceret, voti pœnitens sese avertit. quòd cùm ei probro versum esset: *non putabam*, inquit, *illi*

voto

voto majore voto opus esse ; quo scilicet contraveniendum statuerem. *Plut.in Apoph.*

16. Impostor imposturam passus.

Galieni Imperatoris uxor à gemmario delusa, pro veris gemmis vitrum acceperat. Fraudem ubi comperisset, apud Imperatorem sceleris vindictam postulat. Igitur in carcerem, caveamque denique abstractus, tanquam publico spectaculo objiciendus leonibus. Verùm dum incertus vitæ oberrat in arena, jamque terribilis Leo ab omnibus exspectaretur, Capo in hominem emissus prosiliit, cunctis rem tam ridiculam admirantibus, per Curionem edici jussit: *Imposturam fecit, & passus est:* ita & impostoris levitatem, & conjugis severitatem lepidè correxit. *Trebel. Pollio.*

17. Hostem conciliatum metue.

Alphonsus Rex Arragonum cùm in agro Matriciensi alterutrum duorum inter se hostium, Franciscum Sphortiam, aut Nicolaum Picinium, in Societatem admissurus videretur; rogantibus Matriciensium legatis: Quid agendum? respondisse fertur: *utrosque tanquam amicos habendos esse; sed cavendos tanquam inimicos.* Panormitanus l. 1. de gest. Alphonsi.

VENA 2. REPUGNANTIUM.

Repugnantia de subjectis diversis opposite affirmentur, aut negentur.

ITa Gallus imperatorem conveniat, seque Legatum à mulieribus venire asseveret, qui *pro femi-*

nis caligas postulet, quando viri illarum togas occupaturi videantur. Nam hac ratione mulieribus tribuet viris propria, & opposita viris concedet. Idem non verbis tantum, sed & factis contrariis facilè præstabit: ut *si feminam adduceret caligas indutam*, cum hac ad Cæsarem Oratione. *Postquam tu nostras invasisti togas, nobis caligæ hæ tantum relictæ sunt.* Negabit verò diversa opposite, si: quis sit? quove nomine con pellandus? ignorare se dixerit. ut *qui pro viro non satis possideat animi, pro muliere non satis formæ.* Sed varietate exemplorum hæc magis patebunt.

Argutè dicta.

1. Prodigus fœneratoribus dispar.

CVm nonnemo, apud Sigismundum Imperatorem, felices prædicaret *fœneratores*, ut *qui rem suam dormiendo etiam augerent.* Te igitur infelicem, Imperator respondit, qui *rem tuam vigilando etiam consumis.* Æneas Sylvius com. in Alphonsum.

2. Honesti est ad turpia silere.

Xenocrates cùm ab homine obscœnæ levitatis *de rebus turpibus* interrogatus esset, conticuit. Sed postquàm responsum urgeretur, inquit: *de ejusmodi quidem rebus te rogare, me verò tacere convenit.* Maxim. Ser 31.

3. Reges perstringere periculosum.

Alcides Iapson cum in Artaxerxem Memorem contumeliosis verbis grassaretur, Rex illi per tribunum militarem denunciari jussit: *licere quidem*

illi

illi in Regem quæ vellet dicere, sibi verò licere, adversus illum, quæ vellet facere. Fulgos. l. 5. c. 1.

4. Loquatur de arte qui norit.

Megabyzus in Zeuxidis officinam ingressus, cùm reprehendenda laudaret, reprehenderet è diverso laudanda, ab artis pictoriæ adolescentibus derisus est. Ad illum igitur Zeuxis versus: *cùm taces*, inquit, Megabyze, *nescio quid magni de te sibi pueri pollicentur*, respiciunt enim ad purpuram, simul ac verò de nostra loqueris arte, te contemnunt. *Ælian. l. 2. de Var. hist.*

5. Mulieri vir præsit.

Aristippus reprehensus, quòd mulierem haberet. *Quid verò*, inquit, *si illa me non habeat?* Cicero.

6. Vxor continens viri decus.

L. Portius Nasica, cùm à Catone rogaretur: haberetne *uxorem* ex animi sui sententia? *habeo* inquit: *verùm herclè, non ex animi tui sententia:* quo dicto ejus levitatem acerbè perstrinxit. *Eras. l. 6. apopht.*

7. Libertas edendi præ lautitia est.

Quibusdam apud Diogenem Aristotelis felicitatem prædicantibus, quòd cum Regis filio viveret. *Aristoteles*, inquit, *prandet, quando vult Alexander; Diogenes, cùm vult Diogenes.* Laërt. l. 6. c. 2.

8. Astrologi sæpe errant.

Diogenes Astrologo stellas sibi errantes in tabula astronomica ostendenti: *ne mentiaris*, inquit, *nam stellæ non errant, sed vos Astrologi.* Stob. sect. 78.

9. La-

9. Lacrymæ opportunæ sint.

Exprobrabat L. Crassio Cneius Domitius, quod *ob murænam* in vivario mortuam *illacrimatus* esset. At tu, inquit, Crassus, *cùm tres uxores morte extuleris, nunquam illacrymari visus es.* Plutarchus.

10. Impunè servi non mentiuntur.

Cùm servus Laconi objiceret, *quòd mentiretur:* hoc, inquit, *mihi sine verberibus licet, non tibi,* quia nimirum ego liber, tu servus es, qui si mentiaris, vapulas. *Plut. in Lacon.*

11. Asylum sceleratorum turpe est.

Cùm Atheniensis orator Thebanos reprehenderet, quòd *Oedipum* habuissent *parricidam* & Argivos eorum socios, quod *Orestem matricidam:* fatemur inquit Epaminondas; sed *nos eos expulimus, vos recepistis.* Plut. in Apoph.

12. Cura sui rebus præferenda.

Socrates ad improbum statuarium, mirari, se dicebat, quòd tantum operæ in lapide ad hominis effigiem formando adhiberet, seipsum verò lapidi similem negligeret. *Laërtius.*

13. Profusio in prodigos cavenda.

Alphonsus Arragonum Rex cùm equiti non pauca largiretur, quæ mox accepta in luxum ille profunderet. *Si pergam,* inquit, *tibi dare, quæ postulas, citiùs me pauperem effecero, quàm te divitem.* Panormit. in gestis.

14. Concordia conjugum familiæ quies.

Leo Byzantius cùm ad Athenienses orator missus esset, ingressus concionem, ut erat obesi homo corporis, omnibus risum movuit: quo nihil

com

commotus, sed ad populum versus; *quid ridetis? inquit, an quod crassus nimium videar? habeo verò uxorem me etiam crassiorem, tamen cùm bene inter nos convenit, una nos capit lectica, cùm male ne tota quidem domus*; Quo dicto lepidissimè simul carpsit Atheniensium seditiosas in republica eo temporē contentiones. *Philostratus.*

15. Aviditas habendi delusa.

Augustus Cæsar, cùm Paccuvius Taurus ab eo congiarium peteret, adderetque vulgò existimari, *magnam sibi pecuniam à Cæsare obvenisse*: id tu, inquit, *noli credere.* Alius cùm præfecturam rogaret, negaretque se lucri, verùm existimationis apud ceteros causâ postulare. Tu, inquit Augustus, *accepisse te apud omnes affirma, ego me donasse non negabo.* Macrob. l. 1. sat. c. 4.

16. Genus nobile auspicari gloriosum.

Cùm Harmodius, prisci illius celebrisque Harmodij abnepos, Iphicrati sutoris filio generis ignobilitatem objiceret. *Meum quidem*, inquit, *à me genus incipit, sed tuum in te desinit.* Plutarchus in apoph. Principum.

17. Principe nil dignum habens.

Cùm ex Sylvestro Bottigilla vir, suâ opinione magnus, quæreret: *quæ maxime virum Principem decere existimaret?* *Illa* respondit, *quæ tibi desunt.* Quo dicto hominis arrogantiam egregiè confutavit.

Argutè dicta facta.

18. Iudicium plebis ſæpe corruptum.

POlycletus ſtatuariæ artis peritiſſimus, ut plebis errores fallaxque judicium argueret, uni ſimulacro affabre elaborato, alterum vulgi judicio conformatum adjecit, utrumque deinde ubi juxta ſe poſitum vulgus intueretur, viliuſque ineptâ judicatione efferret, atque admiraretur, neglecto altero, atque etiam per ludibrium deriſo: Tum Polycletus: *hoc vero,* inquit, *quod tantopere admiramini, ex veſtra arte, ſine arte, profectum eſt: quod deſpicitis, vera artis, & meum eſt.* Ælia l. 4. de var. hiſt.

19. Loquacitas ſilentio refutatur.

Legatus ex Perintho ad Agis Regem miſſus, cùm longa oratione uſus eſſet, neque quicquam reſponſi à Rege acciperet: quid, rogat, Perinthiis reſpondebo? *dic*, Agis inquit, *te multa locutum, me nihil.* Vt ſi diceret: nihil te huc attuliſſe reſponſione dignum ſignifica. *Plut. in apoph.*

20. Defenſor Cæſaris ab eodem defenſus.

Miles Romanus, in judicio periclitans, ab Auguſto interceſſionem poſtulabat, qui cùm è ſuo delectum comitatu patronum adjungeret: Miles ingemiſcens; *at non ego Cæſar,* inquit, *te in Actiaco bello periclitante, Vicarium miſi, ſed ipſe pro te in acie ſteti*, ſimulque nudato corpore cicatrices detexit. Erubuit Cæſar, atque ipſe in advocationem deſcendit. *Suetonius in Aug.*

21. Male-

21. Maleficium beneficio repensum.

Augustus cùm Cinnam Pompeij nepotem ex castris hostium ad aulam suam amicitiamq; traductum, mortem sibi sacrificanti destinasse intelligeret: suadente Livia uxore, ignovit hac oratione. *Vitam tibi, Cinna, iterum do, priùs hosti, nunc insidiatori, ac parricidæ: ex hodierno die amicitia inter nos incipiat: contendamus, utrùm ego meliore fide, vitam tibi donaverim, an tu mihi debeas:* addidit consulatum. Cinnam deinde porrò amicissimum habuit, &, quod mireris, etiam heredem. *Idem.*

22. Sanctis impunè non illuditur.

VVormatiæ superioris germaniæ Vrbe duo sutores vicinis ædibus artem exercebant: quorum alter D. Nicolao addictus illi non infrequenter vota faciebat, illiusque opem prædicabat: alter scelesto joco Davidem se Iudæum, perquam illic opulentum civem, invocare jactitabat, à quo præsentiorem opem haberet. Iudæus ubi intellexisset hominis dictum, gratiam facturus, anserem illi ad ignem tostum submisit, cujus ventri aureos viginti inculsit. Sutor latentis thesauri ignarus, amore pecuniæ sutori vicino ferculum vendit. Hic ex reperto auro bovem coëmit. Cumque alter postea indicaret, illum sibi à Iudæo anserem submissum: mihi verò, inquit, à D. Nicolao bos delatus est. Iudæus nullum de auro reperto sibi gratiam haberi miratus, submisit ministrum, qui postularet: *ut anseris intestina sapuissent?* Id cum sutor rogatus miraretur, intellexit aurum latuisse, illudque à vicino etiam in jus vocato repetiit:

tiit: Verùm is *se anserem cùm intestinis emisse*; *aurum tanquam à D. Nicolao oblatum accepisse*, asseruit. Re deinde totâ in judicio explicatâ, accusator aliis viginti aureis multatus est, quod comparatione cum D. Nicolao habitâ Iudæum se invocare temerè jactitasset. Nimirum *illusum se denique sentiet, quisquis improbè Sanctis illuserit.*

23. Privignus Novercæ funere lætus.

Quidam in novercæ matris funere concinens, & à patre reprehensus, inquit; non opus est, mi pater, ut sacerdotes pro exequiis concinendis ære conducas, ego gratis id præstabo. Verùm *qui cum risu alios sepelit, cum lacrymis rarò sepelitur.*

24. Stultus sapientem argutè perstringit.

Præcipuæ Germanæ nobilitatis princeps cùm in aulam Cæsaris Ferdinandi II. recens admissus esset, atque in aulica procerum corona fabulis vacaret, accessit lateri Ionas Cæsaris Morio, & more atque ingenio suo jocatus Principem alloquitur. Verùm is aversatus hominem: non, inquit, loquor cum stulto. Ego verò, repetit argutè Ionas, cum stulto loquor. mirificè ea res novi hospitis arrogantiam confudit, docuitque *Stultos à sapientibus parum quandoque sapienter contemni.*

25. Simonia argutè castigata.

Guilielmus Rufus angliæ Rex vacante Abbatia, cùm illam Religiosi duo, oblato certatim auro, prensarent: tertius haud procul Monachus aderat. quem Rex conspicatus accersit: &, *quid*, inquit, *tu mihi offers, ut Abbas dicaris? Nec hilum*, respondit ille, *siquidem paupertati votum feci, ut nec habeam quicquam, nec cupiam.* atqui, Rex excipit,

cipit, *hoc tu pretio præferri ceteris mereris*, simulque illi investiendo mandatum dedit. *Nulla enim re melius, quàm paupertate hac dignitas emitur.*

26. Linguarum alia gravis, levis alia.

Europæorum linguas nonnulli ita distinguunt, ut cum Deo ob Majestatem Hispanicè, cum Principibus ob gravitatem Italicè, cum fœminis ob gratiam gallicè, cum hostibus ob terrorem Germanicè loquendum afferant. Ita dum Orator Germanorum apud Belgarum Principem Carolum, Gallis audientibus, gravi sermone dissereret: Quidam ex iis subjecit; *eâ se linguâ credere Deum fuisse usum, Angelumque, cùm Adamum è Paradiso ejiceret.* Cui Germanus: se verò existimare, *Diabolum linguâ Gallicâ ad fallendum idoneâ Evam circumvenisse.* Nempe *in cavillis jaciendis qui primus fuerit, ultimus plerumque in honore discedit.*

VENA 3. REPVGNANTIVM.

Repugnantium in uno aut diversis subjectis mutuò inter se facta conversio.

VT si Gallus Imperatori dicat. *Qui tam facilè ex viro facta es mulier, difficiliùs, opinor, ex muliere vir futurus es: Lupus enim pilos faciliùs, quàm pellem mutat, aut animum.* Vel: *admiror in muliebri habitu virum, quem antè sub virili habitu mulierem obstupui.*

Arguté dicta.

1. Suis quisque vitiis, aut virtutibus æstimandus.

STilpon parum secundæ famæ nactus filiam, cùm moneretur: *natam suam illi esse dedecori. non magis*, inquit, *quàm ego ipsi sum decori.* Existimavit enim suis quemque vitiis ac virtutibus æstimandum magis, quam alienis. *Laërt. l. 2. c. 12.*

2. Homo rebus præferendus est.

Cùm Aristippo nonnemo objiceret, propter ipsum perire agrum: *satius* inquit, *ut propter me ager, quàm ego propter agrum peream.* Anton. *ser. 47. in Melis. p. 2.*

3. Pax ut servetur, æqua esse debet.

Privernatum Legati Romam venerant, ut suæ à Romanis defectionis causam darent, ac pace rursum sociarentur: cúmque unus è Legatis rogaretur, *quam sibi pœnam meruisse viderentur? eam,* respondit, *quam merentur, qui se libertate dignos censent.* Tum Consul Plautius, *quàm verò*, inquit, *si pœnam hanc remiserimus, vobiscum deinde pacem habituri sumus: Diuturnam*, ait legatus, *si dederitis bonam: brevem, si malam.* Eras. l. 6. Apoph.

4. Cynicus & adulator.

Diogenem fortè oleribus purgandis intentum, Aristippus Dionysio Tyranno charus prætereuns, quid ageret? interrogabat, qui cùm respondisset, *olera lavo, quæ si tu lavare posses, cum Tyranno non ageres.* Non minùs falsè excepit dicentem Aristippus.

pus. *Tu*, inquit, *si cum hominibus agere posses, olera non lavares.* Laërt.l.2.c.8.

5. Avarus infelix.

Bion de avaro. *Non ille miser facultates possidet, sed illum possident facultates.* De sordidis verò divitibus, ait, *curam opū habent, ut si essent propria: utilitatē ex illis capiunt, ac si essent aliena.* Laërt.l.4.c.7.

6. Mulier fortis: vir imbellis.

Cùm Artemesia Regina rem fortiter contra Xerxem feliciterque gessisset: ergo, inquit Xerxes, *intelligo, me feminas pro viris habuisse; illam viros pro feminis.* Herod.l.8.

7. Bestialis homo.

Stilpo exprobranti sibi, *quod illum homines tanquam bestiam admirarentur. Nequaquam*, inquit, *verùm bestiæ me tanquam hominem admirantur.* Laërt.l.2.c.12.

8. Mortis minæ contemptæ.

Cùm Theodoro Philosopho Lysimachus Macedo mortem interminatus esset: *si dignis*, inquit, *mortem intentas, aulicis tuis metuendum erit: si indignis, mihi.* Brisonius lib.2.c.1.

9. Corrigere in se malum, bonum est.

Convitiabatur nonnemo Diogenem, quod monetam adulterasset. *Tempus*, inquit, *erat, cum talis eram, qualis tu es: at qualis ego sum, futurus es nunquam.* Laërt.lib.6.

10. Mensa lauta quam copiosa melior.

Demosthenes cùm videret convivium majori missuum apparatu, quàm elegantiâ instructum: *non*, inquit, *quod magnum, bonum est; sed quod bonum, magnum est.* quo argumento Zeno contra

Theo-

Theophraſtum magno auditorum numero frequentatum, uſus, ſe illi, cum paucis; ſed, ut inquiebat, melioribus prætulit. *Plutarchus.*

11. Prudentes à ſtultis diſcunt.

Cato *plus ſtultus prudentibus, quàm prudentes ſtultis emolumenti adferre, aſſerebat: quòd ex ſtulti erroribus prudens cautior, ex prudentis, ſtultus nihilo melior redderetur.* Fulgoſus l.7.c.2.

12. Non eſt cujuſvis libros edere.

Cùm ex Theocrito Praxagoræ filio nonnemo quæreret: *quid verò cauſa: cur nihil ſcriberet? quia.* inquit, *ut volo, non poſſum; ut poſſum, non volo.* Nimirum qui dignè poſſit, ac noluerit rarus erit; aut enim animi & honeſtæ negligens gloriæ, aut otij, quàm laboris eſt patientior.

13 Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus aſſerebat: *rem quamlibet judicandam priuſquam diligas; non diligendam priuſquam judices.* Amor enim Judicium evertit, judicium incorruptum amorem dirigit.

14, Autoritas in ſene.

Auguſtus Cæſar nobiles adoleſcentes inter ſe tumultuantes compoſiturus, cùm parum auſcultarent monenti: *Audite,* inquit, *ſenem juvenes, quem Iuvenem audiverunt ſenes.*

15 Famuli dominis, domini famulis ſerviunt.

Hippolytus Cardinalis Romanus copioſo nimis ſatellitio ſtipatus, cùm partem aſſeclarum per Pontificem abdicare juberetur, eò quòd tot ſtipatoribus non egeret. Reſpondit, *non equidem, fateor, tot indigeo famulis, ſed illi me indigent.* Indicans ſe ex liberalitate eos, non oſtentatione alere.

16. Magna-

16. Magnanimus donis non capitur.

Darius Persarum Rex Alexandro jam multis contra se victoriis claro, aurum opesque magnâ copiâ, simulque regni ex æquo divisionem obtulit, modò arma pacatus deponeret: verùm ille, cùm non Asiæ tantùm, sed orbi universo immineret, dona est aspernatus. Tum Parmenio ad illum conversus. *Accepissem*, inquit, *si essem Alexander: Et ego*, respondit Alexander, *si essem Parmenio:* Spes viri, animumque angustum nimis, carpens. *Plutarchus in Alex.*

Arguté dicta facta.

17. Munus petenti negatum, digno oblatum.

NOnnemo Archelai conviva cùm poculo in mensa delectaretur, illud sibi parum humanâ postulatione dari petiit. Archelaus verò illico Euripidi illud haud procul assidenti offert, factumque admiranti postulatori, inquit, *Tu quidem dignus eras, qui peteres, etiamsi non acciperes: at hic qui acciperet, etiamsi non peteret.* Plutarch. in Apoph.

18. Invitationem respuens, veniens respuitur.

Petrus Maræus amicum ad cœnam invitabat, verùm is, excusatione Maræo ingrata, se venturum negavit. non multo tamen post rediit, Maræoque se mutasse dixit sententiam: excepit ille, mutavi & ego meam. ita cum pudore à cœna rejectus est, didicitque *beneficio sæpe indignum fieri, qui importunè aversatur.*

19. Excubiis nemini parcentibus parcitur.

Leo Rom. Imperator mutatâ nocte personâ sine arbitris ad urbis vigilias digressus, ut fidem suorum exploratam haberet, atque à prima custodia duodecim sese aureis redemit, ab altera deinde viginti, à tertia frustra se auro liberare conatus, verberibus malè tractatus in carcerem datur. accersito deinde vigiliarium præfecto excubiisque advocatis personam aperit, atque in hanc sententiam de illis constituit, ut, *qui flagra incussissent, egregia ferrent munera; qui hac perfidè accepissent antea, nunc flagra reciperent; bonis etiam, atque urbe exigerentur.* Zonaras.

20. Casus æquo animo exceptus.

Ephraim Syrus post dies complures jejunio traductos; à ministro cibum expectabat; sed ille delapsâ in terram ollâ confusus, inopsque consilij substitit. Tum Syrus. *Bono*, ait, *animo, quando quidem obsonium ad nos venire abnuit: age, nos ad illud accedamus, simulque ad ollæ fragmenta considens inde cibum hauriebat.* Niceph. Call. l. 9. cap. 16.

VENA 4. REPVGNANTIVM.

Repugnantia de se invicem affirmantur.

ITa de Caligula Gallus pronunciabit. *Cedant Amazones, tam virilem nunquam feminam vidi,* aut accedat hac salutationis ad Cæsarem forma. *Sal te mea Imperatrix.* quâ sanè ratione oppositum de opposito afferet. Verùm hic exemplorum copia non suppetit, unde paucioribus acquiescendum

dum quanquam fortuna magis, quàm difficultate hanc mihi raritatem obvenisse credam. nam in prima de Epigr. parte uberiori ea messe collegimus. quo lectorem remitto.

Argutè dicta.

1. Invidus suo malo alterius torquetur bono.

BIon Boristhenes Philosophus, cùm hominem invidia mœstum dejectumque cerneret: *nescio*, inquit, *maline tibi aliquid evenerit, an aliis boni?* nam bonum aliorum tuum video esse malum, quo scilicet invidiosè torqueris. *Laërtius.*

Argutè dicta facta.

2. Contentiosus Domo eliminatus.

FVit qui alterius in domo contentione vehementiori exarserat, quem proinde Dominus arreptum superiori gradu deturbat. Mox in aliis gradibus servus obvius, eundem inde præcipitat. Denique filius in domus area, hinc etiam eliminat. Tum præ foribus vix respirans miser: *quantò* exclamat, *ordine illic turba geruntur!*

VENA 5. REPVGNANTIVM.

Idem de seipso negatur, aut oppositè aliquâ ratione affirmatur.

GAllus ad Cæsarem dicat. *Negant te virum, & imperatorem, qui sine caligis es: Negant militem,*

qui sine armis es. Vel. *Iudicem te asserunt, sed sine judicio hominem, sed sine mente.* Vel affirmatè simul, ut, *dum virum exuisti, & feminam induisti; virum perdidisti, nec femina factus es.* Vel. *femina eras* (animo scilicet imbecilli) *priusquam feminam indueres : Vir non eras, priusquam virum exueras.* Varietas major ab aliis erit exemplis.

Arguè dicta.

1. Balneum sordidum non lavat, sed inficit.

Diogenes ubi balneum ingressus esset, sed aquis sordidum. *Qui hic se lavant*, inquit, *ubi lavantur?* ut si diceret, lavando hic nemo lavatur, sed potius inficitur. *Laërt. in vita.*

2. Qui sibi nequam nulli bonus.

Cùm Æconomus Lucullo tenuiorem cœnam instruxisset, objurgatusque negligentiæ, diceret: *sumptuoso apparatu non existimabam opus esse, dum solus cœnares. An verò*, excepit Lucullus, *ignorabas apud Lucullum hodie cœnaturum Lucullum?* Nimirum, amicorum ille sibi non postremus videbatur, sed unus instar omnium, cui negatum nollet, quod aliis concederet. *Plutarchus in Lucullo.*

3. Multi Regem venerantur, pauci amant.

Alexander Magnus ex primis aulæ proceribus Craterum maximè honorabat, Hephæstionem verò maximè diligebat. Nam, *Craterus* inquit, *Regem amat, non Alexandrum; Hephæstion Alexandrum, non Regem.* Brevius, ille φιλοβασιλεύς: hic φιλαλέξανδρος. id est, Craterus ob utilitatem, quam

quam ex me Rege sperat, adeoque ita me amat, ut magis amet seipsum: contra Hephæstion ob naturam me diligit, ideoque amore incorrupto. *Plutarchus in apoph.*

4. Ante in bello audiendum, quàm audendum.

Cùm incerto autore Alexandri mors apud Athenienses pervulgata esset, Oratores bellum quamprimùm suscipiendum suadebant. At Phocion cautior, differendum paucis verbis suasit nam, *si hodie*, inquit, *mortuus est*, *cras quoque adhuc mortuus erit.* Plut. de mansuet.

5. Valetudo edendo servatur & corrumpitur.

Diogenes eos *qui pro valetudine* sacra facerent, atque *in ipso sacrificio profusiùs cœnarent*, tanquam insanos ridebat, ut *qui valetudinem curando, non curarent, sed oppugnarent.*

Argutè dicta facta.

6. Fides perfidiosè præstita.

HOstilibus in se odiis duo exarserant. horum alter nequam homini ad parricidium comparato viginti coronatos largitur. Is hostem adit, pecuniamque ac pactum tanquam amicitiâ ductus aperit, qui alterum tantùm æris adjicit, ut priorem occidat. auro sumpto, *utrumque atroci facinore sustulit, se fidem ambobus præstare asserens, ne cuiquam injuriam irrogaret.* Verùm æquitas hæc fuit patibulo dignissima.

7. Miles bonus Princeps sæpe malus est.

Saturinus Tyrannorum in Italia primus & vige-

gesimus, cum ob egregias fortissimi militis virtutes ab exercitu Imperator electus esset, sese imparem tantæ dignitatis cum virtute administrandæ animadvertens. *Bonum*, inquit, *ducem perdidistis, malum fecistis Principem.* & docuit eventus, cum ob tyrannidem, ab iisdem, à quibus ornatus imperio fuerat, interemptus est. *Tribellius Pollio.*

Nempe dulcius est præesse; verùm subesse facilius.

8. Injuriarum oblivisci Regem decet.

Ludovicus, ejus nominis Duodecimus, ex Duce Aurelianensi Rex Galliæ factus, postquam regni gubernationem adiisset præcipuæ nobilitatis viros in Catalogum retulit, illisque à quibus insignem aliquam injuriam acceperat, crucis signa præfixit, reliquis præteritis: quod ubi observatum fuisset, non pauci injuriarum sibi conscij fugâ se subduxerunt: quos deinde revocatos Ludovicus monuit, non illis ad destinatam furcæ (ut opinabantur) pœnam: verùm sibi ob Christi, injurias in cruce donantis, memoriam, hoc signum expressum. addiditque *Regis Galliæ non esse ulcisci injurias Ducis Aurelianensis.* Causinus in aula sancta.

9. Iudicem vigilantem esse convenit.

Cùm Machætæ causa apud Philippum Macedoniæ Regem ageretur, atque is *dormitans*, parum causæ æquitatique intentus, denique *hominem condemnasset*, Machæta reclamare, atque ad alium provocare Iudicem cœpit. Cui Rex indignabundus: *ad quem ergo provocas? Ad te ipsum* inquit, *ô Rex, sed vigilantem.* Rex igitur causâ rectiùs xpensâ, cum injuriam Machætæ factam cognovisset,

visset, non quidem rescidit judicium, sed ipse litis æstimationem persoluit. *Plut. in apoph. Regum.*

10. Rusticorum beneficia rarò gratuita sunt.

Causarum patronus dum viâ lutosâ obequitat, casu equo lapsus ab accurrentibus illico, qui illum noverant, rusticis levatus ait, rependerem gratiam, si adhuc advocatus essem. Tum illi, igitur advocatus non es? simulque præcipitem in idem lutum devolverunt. *Nempe rusticorum hominum gratia, ab exspectata gratia nascitur, multi benefaciunt; sed ut benefiat.*

11. Fur reddit, ut fiat trifur.

Quidam, ut Iudæis illuderet, surreptum vesperi viduæ pauperculæ bovem Iudæo vendidit: cui, observato loco & tempore, eundem haud multò post sustulit, alterique Iudæo eodem pretio venalem adduxit: huic deinde pari furto illusit, reducturus ad illam, unde abduxerat viduam. Verùm ancilla obviam facta bovem deprehendit, ad quam intrepido ille vultu: malè, inquit, rem tuam custodis: perierat, nisi ego reduxissem. *Sunt ejusmodi nonnullorum beneficia; vulnera infligunt, ut medicinam adhibeant.*

VENA 6. REPVGNANTIVM.

Idem de subjectis diversis negatur, aut affirmatur: quorum tamen alterutri tantùm competere videtur.

GAllus Imperatorem sic alloquatur. *Rarò hodie exemplo vir & mulier, ex æquo imperium*

rium possident. Vel *Tua te conjunx amet necesse est, quæ togâ se spoliavit, ut te indueret: nec tu illam minùs amas, qui rem illi rarissimam, tuas reliquisti caligas.* Aliis hanc venam exemplis illustremus.

Argutè dicta.

1. Servus frugi in pretio est.

HErus, ex Lacone servo, postulabat: *frugine eris, si te emero?* mox alter: *etiamsi me non emeris, futurus sum.* Tales sunt, qui virtuti magis, quàm oculis serviunt. *Plut.*

2. Obtrectatori suus quoque obtrectator est.

Cicero Calenum Bruto obtrectantem in gratiam Antonij in Philippica his verbis arguit: *hanc tibi consuetudinem plerisque in bonis rebus obtrectandi, si quis detraxerit, qui tibi velit obtrectare, non relinquetur.* Id est, alij tibi iccirco obtrectant, quia tu obtrectas aliis. Rarus enim fama diu integra, alienæ famæ obtrectator vivit.

3. Adulatore Adulator invisus est.

Casparus Schlickius tribus imperatoribus à secretis fuerat, adeóque liberius apud Fridericum III. Imperatorem, *de adulatorum hypocrisi* questus, eò se denique abiturum asseruit, ubi iis hominibus loca vacarent. Cui Fridericus: *Vltra Sauromatas etiam reperies, modo te ipsum eò detuleris.* Nimirum adulatorem nemo minus quàm adulator patitur: nisi quod ferat seipsum. *Æneas Sylv. l. 1.*

4. Calumniando fides amittitur.

Navali ad Naupactum prælio adversus Turcas, insi-

insignem M. Antonius Columna victoriam reportaverat, sed cùm invidi cujusdam obtrectationibus famam suam vellicari sentiret : fortè obvium, & nescio quid recenti eventu miri adferentem, sic affatur, magis *mirum tecum mihi evenit. quòd cùm ego optimè de te loquar ; tu de me loquaris pessimè. Mirum tamen etiam futurum est , si quisquam reperiatur, qui utrique nostrum fidem habeat; cùm intelligant facilè omnes, tam me ; quàm te falsa locutum hactenus.*

Argutè dicta facta.

5. Pictorum ingeniosum certamen.

ZEuxis & Parrhasius, honestâ artis æmulatione ducti, mutuis nonnunquam tabulis de gloria & palma contendebant. Vuas Zeuxis tantâ expresserat operis elegantiâ, ut aves ad carpendum allapsæ iis inhæserint. Parrhasius è diverso pictam in tabula mappam Zeuxidi exhibuit , sub quâ dum latentem picturam abscondi crederet, juberetque ad hanc inspiciendam, removeri, moxque admota etiam manu cunctantem Parrhasium præventurus esset: sensit verisimilitudine se deceptum, *palmamque adjudicavit Parrhasio : quòd ipse aves, hominem alter deluserit.* Plin. & Fulg. *lib.8.c.11.*

6. Gula per gulam correcta.

Zeno Philosophus alterius convivæ œsophagiam correcturus , quâ suos quotidiè convivas exacerbabat , *piscem* in patina omnibus propositum *solus ipse pro se, tanquam devoraturus, sustulit;*

cúmque alter illam se mirari impudentiam significaret. *quem*, inquit, *tuis quotidiè convictoribus sensum putas cùm paria te vident audere*? Laërt. l. 7. cap. 1.

7. Astrologicæ observationis vanitas perstricta.

Antonius Puccius ad Philippum Mediolanensem Ducem legatione fungens, cùm diu à congressu excluderetur, iccirco quod ex Astrologorum arbitrio Princeps insanè dependens horam faustam exspectaret. Hac denique nunciatâ, cùm adesse Pucciumjuberet; excusavit ille, quòd *horoscopum modò suum favere sibi negaret*. Quâ ratione argutè Principis dementiæ illusit.

8. Rufus rufo diffidens.

Hospes barbæ rufæ cum apud hospitem sibi concolorem pecuniam deposuisset, quam primum facti pœnitens repetit, causam alteri voluntatis mutatæ sciscitanti, respondit hoc versu:

Parvos rarò humiles vidi, rufosque fideles. Ipse tu tamen, alter excipit, rufus es: hinc, ait, hospes, te rectiùs novi.

9. Convitium ridiculè convitio detersum.

Scholasticus Moguntiæ vir lepidus, famulum sartorem domi suæ aluerat, quem cùm fortè nequam appellasset, à sartoria deinde tribu, ob nominis illius infamem compellationem, exclusus est. Quare ad Dominum de ignominia questum venit, qui subridens, se illi honorem abundè restiturum asseruit, modò contribules eò secum adduceret. egit famulus, obtinuitque ut præsentes adessent, mox Scholasticus ad illos versus. *Quanam,*

nam, inquit, *hæc injuria est, quæ meo irrogatur famulo? nunquid par illi vobiscum fama? sanè quotquot huc convenistis, nisi hunc admiseritis, nequam estis.* ita pari lixivio perfusi, famulum ad tribum admisêre.

10. Cupiditas consiliarij perstricta.

Consiliarius vicini nobis Principis nuper vitâ functus, pistorem habuit, qui nonnunquam in re forensi consilium ab illo postulabat: tum ille, vivâ voce, an scripto consilium oraret? si voce solâ dalerum imperialem unum; si verò scripto duos expendendos. Abiit ille, & nactus occasionem, quâ consiliarius de frumento opportunè comparando pistorem consuleret. Tum vicissim ille percunctatur. Voce, an scripto consilium petat? illud dalero, hoc altero etiam promerendum. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

VENA 7. REPVGNANTIVM.

Vnum Repugnantium alteri per correctionem, optationem, aliasque loquendi figuras præfertur, aut substituitur.

VT Gallus dicat. *Errant sanè, qui te Reipub. esse Tyrannum asserunt: nam ego te Matrem esse video.* Vel. *Vtinam, mea Domina, matrem tibi habuisses similem!* Nimirum natus nunquam fuisses. Sed exempla te plura instruent.

Argutè dicta.

1. Pictura rei dissimilis.

ORator Germanorum, cùm per forum Romanum duceretur, ubi picti *Pastoris ingens* imago suspensa multorum in se oculos vertebat; rogatus, quanti eam æstimaret? respondit, *vivum se talem nolle, qualis pictus esset.* Plin. l: 35. c. 4.

2. Artis opus verbis præstat.

Apud Athenienses, cum duo Architecti de opere publico sibi committendo contenderent, utrumque de arte disserentem audire placuit. Alter faciendo, quàm disserendo melior, cùm alterum disertè orantem de arte, una cum aliis auscultasset, ipse deinde in medium progressus, & ad concionem versus, hoc solum, inquit. Athenienses, *uti hic dixit, sic ego faciam.* Plut. *in praec. polit.*

3. Minæ spretæ.

Chæreæ Ptolomæus Ægypti Rex, atrocia minabatur, quæ ille facilè aspernatus, inquit, *Ægyptiis impera, non mihi.* Philo Iudæus.

4. Patrocinium iniquæ rei non præstandum.

Bassianus Antonius Imperator, ob fratrem à se occisum magnâ oneratus invidiâ, Æmilio Papiniano, auctoritatis magnæ ob juris prudentiam viro, negotium dabat, facinus apud senatum excusandi. Verùm ille liberâ voce asseruit: *facilius parricidium perpetrari, quàm defendi.* quod non multò post & ipse expertus est, cùm usurpatæ in dicendo libertatis pœnam morte penderet. *Eras. l. 5. Apoph.*

5. Dam-

5. Damnum accipere, quam inferre satius.

Phocion cùm pro concione ingrati animi vitium Athieniensibus exprobrasset: *Malo*, denique inquit, *à vobis damnum accipere, quàm ipse vobis damnum inferre: nam illud semel dolet, hoc semper.* Ael. *l. 2. de Var hist. c. 16.*

6. Filij probi utiles patriæ, improbi nocent.

Epaminondas objicienti sibi Pelopidæ, quod *male consuleret patriæ, dum nullos post se relinqueret filios. At tu peius*, inquit, *consulis, dum relinquis.* Nam Filius Pelopidæ improbus, & infamis erat. *Diod. l. 15*

7. Pater nuptias iterat.

Cùm filij Demetrij Regis patrem novo conjugio à se abstrahi dolerent: quærebant. *nunquid parenti in ipsis displiceret? Non* inquit, *sed omnino placetis, hinc vobis similes procreare cupiam.* Plut. in Demetrio.

8. Princeps nec severus, nec remissus nimium sit.

Postquam Domitiano, Nerva Imperator, Cæsari pessimo Princeps optimus, successisset: atque in populum, ille severitate, hic clementiâ nimiâ indulgentiâque delinqueret; clarâ liberâque voce Fronto Consul Romanus pronunciavit: *malum esse sub principe vivere, qui nihil agi permitteret; peius sub eo, qui nihil fieri prohiberet.* Quo dicto Nervam correxit. *Fulg. l. 6.*

9. Iurisperitus imperitus.

Dum C. Popilius juris peritus solo tantùm nomine, in re cujus esse conscius putaretur *testis postulatus* esset; respondit, *se nihil scire.* Tum Cicero,

De jurisprudentia fortasse interrogari te existimas. Quâ correctione tam Iuris ignorantiam, quàm fidem testificantis argutè carpsit. *Plut. de invidia.*

10. Ostentorum vanitas explosa.

Cùm nonnemo manè experrectus arrosas à muribus reperisset caligulas, turbatusque hoc ostento, Catonem, quid mali portenderetur? rogaret, *non est*, inquit ille, *ostentum, quod sorices arroserint caligas; at si caligæ sorices arrosissent, id demum esset portenti loco habendum.*

11. Profusio Principum excusata.

Cùm Antonium nonnemo profusionis nimiæ argueret, respondit: *amplitudinem Romani imperij, non per ea, quæ acciperet, sed quæ daret illustrari.*

12. Senex cur meritò avarus.

Simonides rogatus cur in *extremâ senectute avarus* esset? *quia*, inquit, *malo inimicis aliquid relinquere mortuus, quàm amicis etiam carere vivus.* nimirum ubi opes, ibi & amici. *Ælian. de var. hist.*

13. Magnos Principes neque hostes, neque amicos cupias.

Philippus Rex Macedonum, cùm ad Laconum fines pervenisset, misit postulatum: *hostemne se, an amicum vellent? Nec hostem,* responderunt, *nec amicum.* Maluerunt videlicet hominem regnandi habendique avidum procul à se abesse: ne vel hostis premeret, vel amicus exhauriret.

14. Honor in statua oblata spretus.

Cùm laudatissimis Romanorum publicæ erigerentur statuæ, & Catoni eadem gratia deferretur, recusavit: &, *malim*, inquit, *quærant homines;*

quam-

quamobrem Catoni non sit posita statua, quàm cur sit posita: Plut. *in apoph. Regum.*

15. Loquendum ut intelligaris.

Favorinus Philosophus, in obsoletarum vocum inter loquendum affectatorem jocatus; *cum Euandri*, inquit, *matre loqui videris: si intelligi loquens nolis, idem abundè consequeris tacens.* Plut. *l.6. apoph.*

16. Bibendi cuique sua sit libertas.

Romulus urbis Romanæ conditor, cùm in amici cœna *parcè* vinum libasset, diceretque familiaris: *vilius brevi futurum vinum, si ita omnes biberent. Imò* inquit, *carius: quia mecum bibent, quantùm volent.* Gellius *l.11.c.14.*

17. Pater crudelis.

Cùm Augustus Herodem crudeli ingenio proprios etiam filios sustulisse intelligeret: *Præstat*, inquit, *Herodis esse porcum* (nam illis Iudæi parcunt) *quam filium.* Sabel. *l.1. ex.7.*

18. Eleemosyna illiberalis esse non debet.

Balneum aditurus cum gentili Christianus pauperem obvium exili teruncio donabat. Quid agis? comes inquit; *obolum* respondit pro cœlo expendi: *Stultè*, excepit socius, *tantillum pro cœlo largiris, & pro balneo longè plura reservas: cùm tamen illic æternum, hic vix paucis horis manere cogites.*

19. Divitias amittere multis saluti est.

Anaxagoras domum ex longa peregrinatione revisens, cùm omnia invenisset perdita: *nisi* inquit, *ista periissent, ego salvus non essem.* Laërt *l.2. c.3.*

Argu-

Argutè dicta facta.

20. Indoctorum carmina fastidio sunt.

PHiloxenus quòd Dionysij Tyranni carmina liberiori voce damnasset, ipse ad latomias damnatus est. inde tamen composito Regis animo ad pristinam familiaritatem revocatus: ubi rursus Dionysij carmina cum ingenti fastidio audire cogeretur, surrexit, ac rogante Tyranno, quò abiret? *rursum ad latomias*, inquit. Vt si illam molestiam leviorem esse sensisset. *Stobæus ser. 11.*

21. Advocatus imperitus causæ nocet.

Granius Præco cùm Patronum ineptis clamoribus intelligeret raucessere, mulsum illi frigidum suasit. Cumque is respondisset: ita *vocem* perdam. *melius*, inquit Granius, *hanc erit perdere, quàm reum.*

22. Pictoris ingenium saluti suo autori est.

Protegenes insignis pictor IasylumSolis nepotem ita pinxit, ut inductis quater coloribus, uno vetustate exeso, alius atq; alius superesset. Septem isti operi annos impendit, intereà madidis lupinis victitans, ne quid immoderatione operis ingenio officeret. *Scire* eum Apelles dicebat *omnia*, nisi quod *manum de tabula non sciret tollere.* Rhodiis hoc opus studiumque Protogenis saluti fuit. Cum enim illis à Demetrio obsessis, Protogenes in suburbano, debili satis loco, hæsisset, suo Iasylo perficiendo intentus: Rex ad suburbium & officinam pictoris admissus, causam confidentiæ, rogat. Cui Protogenes, *sciebam Regi cum Rhodiis, non cum arti-*

artibus bellum esse. In eadem tabula (Romæ in templo pacis quondam servata) canem esse ferunt, cujus dum anhelantis spumam ex ore manantem non posset ad libitum exprimere, fertur denique adacto in os penicillo, casu naturam æquasse, artem superasse. Quem tamen deinde casum pari felicitate Neocles in spuma equi assecutus dicitur. *Plin. l. 35. c. 10.*

23. Sine auro dives.

Martius Curius Dentatas rapas in foco pro cœna fortè torrebat, cùm Samnitium legati ad illum admissi aurum deferrent. Verùm Curius neglecto munere: *auro*, inquit, *ad hanc cœnam non egeo: malo enim habentibus imperare, quàm habere aurum.* Plut. *in apoph.*

24. Ars alat artificem.

24. Adolescens studiosus ab auriga stipem orabat. Sed rogatus quis esset? *septem*, inquit; *artium magister.* hinc, igitur, apage quantocyus desidiose, auriga excipit: nam *una ego me meamque familiam arte possum; tu septem te solum artibus nequeas alere?*

VENA 8. REPVGNANTIVM.

Alterum Repugnantium, aut utrumque modis suprà recensitis, non absolutè, sed conditione certâ, aut dubitatione, aut sententiæ suspensione possunt concurrere.

VT: hæreat attonitus Gallus, &, *quo te nomine appellem?* dicat, *nescio. virum an mulierem nuncupabo? an utrumque?* Verùm alios auscultemus.

Argutè dicta

1. Bonis convivis facilè satisfit.

SOcrates *hospites convivio excepturus*, cùm ab amico, de apparatu perquam tenui, admonitus esset: *si boni sunt*, inquit, *satis est, sin minùs, plus satis.* Laert. *in ejus vita.*

2. Reip. qui præest, consulat, magis, quàm sibi.

Phocion cùm aliquando Athenis oratione liberâ, utilitatem magis civium, quàm gratiam spectaret: Demades orator ad illum versus: *populus*, inquit, *si insanierit, te occidet*; cui Phocion, *te verò, si sapiet.* Max. *serm. 3.*

3. Magnum munimen causæ æquitas.

Dercilidas à Spartanis ad Pyrrhum Regem Legatus: cum graviora Pyrrhus minaretur: nisi Cleonymum, Regem urbe pulsum, reciperent: *si Deus es*, inquit, Pyrrhe, *nihil abs te mali formidamus, quia æqua nobis causa est: si homo, minus etiam timemus, quia nobis melior non es.* Fulg. *l. 6.*

4. Nemini fidus qui infidus Deo est.

Achemenides Chrstianæ fidei in Persia observans, cùm à Varane Rege vocatus, fidem abjurare juberetur: *Ne*, inquit, *Rex hoc à me postules, si enim fidem Deo non servem, quomodo Regi servabo?* Niceph. *l. 14 Eccl. hist. cap. 20.*

5. Non

5. Non pugnare, ſed opportunè pugnare virtus eſt.

Caius Marius cùm in bello civili foſsâ cinctus obſideretur, eique Popedius diceret, *ſi magnus es Imperator, ô Mari, ad conflictum deſcende. Tu vero,* inquit Marius, *ſi magnus es Imperator, me ad deſcendendum compelle.* Plut. in Apoph.

6. Convivia mutos non amant.

Hoſpes in convivio Simonidi omnino taciturnus aſſidebat: ad quem ille, *ſi fatuus es*, inquit, *ſapientis opus facis; ſi ſapiens, fatui.* Plut. *l. 3. ſympoſ.*

7. Reip. bene ſervire difficile eſt.

Chryſippus interrogatus, *cur Rempb. non attingeret?* Quia, inquit, *ſi malè in illa me geram, Diis placere nequeo: ſi bene, hominibus.*

8. Imperitus & arrogans, res putida eſt.

Ariſtoteles cùm imperitum, ſed arrogantem videret adoleſcentem. *Vtinam*, inquit, *mi adoleſcens, talis eſſem, qualis tu tibi videris; qualis verò es, tales mei eſſent inimici.*

9. Filiis malè moratis opes noxiæ.

Phocion continentis vir diſciplinæ, & Spartâ, quam Athenis dignior, filium habuit Phocum diſſimilem omnino parenti, & *in* omnem *luxum effuſum*: pro quo dum Menillus Macedo offerret munus, repudiavit Phocion: &, *meus*, inquit, *filius ſi temperantiæ ſtudeat paternis bonis acquieſcet: ſi perget, ut cœpit, profuſus eſſe, nihil illi ſatis futurum eſt.* Plut. *in Phoc.*

10. Prodigus ſerò frugalis.

Diogenes *prodigum* quendam *olus* in diverſo-

rio

rio *edentem* conſpicatus : *ſi ita*, inquit, *prandiſſes non ita cœnares.*

Argutè dicta facta.

11. Calumniator rejectus cum probro.

MEmnon pro Dario Perſarum Rege adverſus Alexandrum Macedonum pugnans, cùm ſuæ militiæ virum convitiis petulanter audiret Alexandri famam proſcindere, *haſtam inflixit contu melioſo* homini: *Ego te*, inquit, *alo, ut cum Alexandro pugnes, non ut maledicas.* Plut. in apoph. Regum.

12. Raræ Ducis humanitas.

Comes Fridericus Vrbini Dux tantæ humanitatis in ſuos, ut detegentibus caput, viciſſim ipſe nudaret: adeóque parœmiæ loco de negotioſis diceretur: *tam occupatus eſt, quàm Friderici pileus.* hunc ubi cives rogarent, ut *ruſticis prohiberet, ne quam in urbe domum poſſiderent. quid verò*, inquit, *viciſſim concedam orantibus, ne quod vos ruri prædium habeatis?*

13. Miles illudens ruſtico.

Miles viatori obvius ſciſcitatur; nobiliſne ſit, an ruſticus? *ruſticus*, inquit, viator. *Ergo*, ait miles, *tuos mihi tu ipſe calceos exue: ego ſi nobilis eſſes, tibi exuiſſem.* Sed his officiis ſibi plures demerentur laqueum.

CAPVT III.

FONS II. Alienatorum.

FErtili hic fons venarum ſcaturigine exundat Parnaſſo dignus. Et ſi quidem in propoſito Caligulæ exemplo experiri id lubeat: quàm multa ſe in dictis factiſque offerent à tali perſona, rebuſque geſtis aliena? Nam *mulierem pro tribunali ſedere, forum publico ſubire ſpectaculo, militibus viriſque imperare, cauſas definire in judicio, barbatam eſſe: ex adverſo, virum muliebriter eſſe togatum, pro armis armillas ferre, pro corona vittam, in foro apparere tanquam nuptam in thalamo*: quis non cenſeat ab imperanti perſona, officiis, ac moribus alienum? quod ſi facta adjunxeris, *columque pro ſceptro, fuſum pro telo* obtuleris, an non inexſpectata diverſitate ſpectantes falles? Verùm ea ex ſingulis venis hauriemus diſtinctiùs.

VENA I. ALIENATORVM.

Alienatur aliquid à Perſona de qua agitur.

AD hanc venam ipſum Caligulæ factum maximè ſpectat. Quid enim tam à viro, aut ſi velis, etiam moribus alienũ, quã toga muliebris? Sed rogatus Gallus: *quid rides?* paucis opportuniſq; verbis reſpondebit: *mulierẽ barbatam, aut mulierẽ togatã: aut mulierem imperantem viris.* Potuit etiã à Gallo

colum

colus fususque deferri, cum addito: *sceptrum defero.* aut *nuptialis annulus* tradi, cum dicto : *Sponsam quaro*, quòd facetæ elegantiæ plenum erit. Nunc aliorum autorum exempla delibemus.

Arguté dicta.

1. Libertas servi.

DIogenes Corinthi in foro sub præcone vendendus, rogatur: *quam artem calleat?* respondit, *imperare se hominibus scire*. Præco subrisit, & *si quis pro servo Dominum vellet emere*, adesse jussit. *Stob. serm. 1. de prudentia.*

2. Gloriæ cupiditas delusæ.

Plato à Tyranno Siculo Dionysio ad cænam vocatus, cùm inter alios convivantium sermones rogaretur: *num Athenienses Philosophi in suis quandoque congressibus Dionysij meminissent.* Plato subridens, inquit ; *Philosophos, qui Athenis vivunt, nunquam ita vacare, aut tam vilem tractare materiam.* In qua scilicet Dionysio locus sit. *Plutarchus.*

3. Improbitas tacitè perstricta.

Demaratus ab improbo importunè rogatus, *quis Spartanorum ipsi videretur optimus?* respondit, *qui tibi dissimillimus.* Plut. in Lacon.

4. Hæresis pervertit homines.

Agapetus Romanus Episcopus à Theodoro Gothorum in Italia Rege, ad Imperatorem Iustinianum Constantinopolim ejus placandi gratiâ missus, eum Eutychianâ hæresi infectum comperit, & saniorâ prorsus consilia respuentem. Itaque sic

sic ultimò compellavit: *ad Iustinianum Imperatorem Christianissimum me venire arbitrabar, sed Diocletianum reperi.* Fulg.*l.6.*

5. Aspera laus mollit.

Diogenes aliquando sub canalibus hærens profusè madebat, cujus dum nonnulli calamitatis miserarentur; si *vultis,* inquit Plato, *miserari, abite.* Nimirum laudem illum virtutis captare significabat. *Laërtius.*

6. Mendicum dando facimus.

Cùm Laconem egenus oraret, ut mendico homini stipem largiretur. *si quid,* inquit ille, *dedero tibi, magis es futurus mendicus: primus certè, qui tibi dedit, tam probrosæ vitæ autor fuit.* Plut. in Lacon.

7. Viros animus facit.

Diogenes *Lacedæmone Athenas* ibat, cùm ab obvio interrogatus, quò tenderet? respondit, *à viris ad mulieres.* Nam Spartanæ feminæ viriles animo erant; Athieniensis viri molles.

8. Pro plebe sed non cum plebe sentiendum.

Cùm Athenienses ab oraculo Delphico responsum accepissent: unum in urbe esse, qui contra omnes sentiret. Phocion, qui plebis sese conatibus magno semper animo objiciebat, in medium progressus, inquit: *desinite anxiè de illo homine inquirere, ego ille sum, qui nihil eorum, quæ aguntur, probo.* cumque aliquando ejus sententiam cum plausu exciperet populus, ad amicos versus: *nunquid,* ait, *aliquid imprudens dixi?* Plutar. *in Phocione.*

9. Mortui non mordent.

Thessalus rogatus: quinam Thessalorum essent

ſent *placidiſſimi? Qui in bello,* inquit, *occubuerunt.* Plut, de inſtit. liberis.

10. Ludibrium ludibrio exploſum.

Orbilius Grammaticæ artis profeſſor, cùm in reum teſtis productus eſſet, per ludibrium à Galba homine gibboſo eſt rogatus: *quidnam artis exerceret?* reſpondit facetè, *gibbos in ſole fricare ſoleo.* Macrob. l. 2. ſatyr. c. 6.

11. Hæretici carnifices.

Eo tempore quo Batavi ejuratâ veteri religione in Catholicos acerbè graſſabantur, cùm Hornanus Carnifex cives paſſim in fideles ſævire animadverteret. *Vt video,* inquit, *meâ operâ ſenatus Hornanus non eget, cùm tot ſint carnifices, quot cives.* Ex Martyr. Hoil.

12 Philoſophi eſt ſcire quando loquendum.

Cum Dionyſius Syrac. tyrannus importunius urgeret Ariſtippum, ut de Philoſophis quædam diſſereret, importuno tempore. *Ridiculum,* inquit eſt, *ut qui me, de philoſophia loqui cupis; quando de ea loquendum ſit doceas.* Laert. l. 2. c. 8.

13. Secum loqui ſtultum eſt.

Cleantes Philoſophus dum quendam ſecum loquentem comperiſſet: *cave:* inquit, *ne cum homine improbo loquaris.*

14. Probrum probro regeſtum.

Catulus, Philippo oratori probroſè objicienti, *quid ita latras? Furem,* inquit, *video.* Brus. l. 2. c. 40.

15. Ex luctatore Medicus.

Diogenes ignavum luctatorem medici deinde officium uſurpare videns. *Quid hoc,* inquit, *num illos,*

illos, quos luctando non potuisti, medicando prosternes? Laert.c.6.

16. Ridiculus Orator.

Oratorem parum aptè declamantem Demonax monuit: ut priusquam subiret publicum sese exerceret: *feci*, inquit ille, *sæpius apud me recitavi. Stulto*, excipit alter, *auditore uteris; adhibendus erit prudentior.*

17. Stultus sapientem non agnoscit.

Empedocles cuidam querenti: *nusquam sapientem se reperire se potuisse. Quid mirum*, inquit, *sapientem nemo invenit, nisi sit sapiens.* Ens.l.3.Epid.

18. Cives fortes pro muris sunt.

Cùm Agesilaus Rex interrogatus esset, cur Sparta sine muris esset? *ostensis civibus armatis, hi sunt*, inquit, *Lacedæmoniorum muri.* Plut. in dictis Lac.

19. Forma per oculos animum rapit.

Aristoteles rogatus, *cur formosos amaremus? Cæci*, inquit, *hæc quæstio est.* Ens l.3.Epid.

20. Parvus videri cupit, quod non est.

Benedictus Scaliger *de homine parvo, qui* ut majori videretur *altissimis utebatur soleis: dimidius*, inquit, *tantùm lectum conscendit.* Videlicet depositis am soleis dimidio minor.

21. Qui patriam spernit, se spernit.

Perettus Mantuanus Philosophus, cùm sibi imprimis inter suos populares videretur sapere, nonnunquam *omnes suæ patriæ homines stupiditatis arguebat.* cujus arrogantem dicacitatem nonnemo ægrè ferens. *Tune igitur*, rogat, *spurius es, cùm solus inter tuos sapias?* Et certè desipuit, atheismum amplexus.

22. Morte sors vertitur.

Non ineptè à quodam dictum, *pauperes ingluvie mori*, quod ægris illis multi submittant cibos: illi avidius, quàm par, capiant: *divites contrà mori fame*, quòd tum ciborum ex copia fastidio, tum valetudinis amore plerumque justo abstinentiores sint. *Clericos denique nuditate*; quod cùm sine heredibus sint, quivis illic tempestivè obvia rapiat.

23. Astrologi casus ridiculus.

Thales in *cœli contemplatione* per viam occupatus, *in scrobem incidit.* cui ancilla haud procul casum intuita, his verbis illusit. *O Philosophe, quam stultè remota in cœlo scrutaris, qui juxta te posita in terris ignoras!* Max. serm. 21.

24. Qui conjugum vivant placidissimè.

Alphonsus Rex Arragoniæ illic, dicebat, *conjuges placidissimè vivere, ubi cœca uxor & surdus esset maritus.* quod talis uxor viri delicta non observaret, vir querelas litigiosæque feminæ voces facilè effugeret. *Eras. l. 8. apoph.*

25. Degener Filius.

Dionysius Senior Tyrannus filium perditè ac luxuriosè viventem his verbis reprehendit. *Haccine tu ausus es? an de tuo unquam patre similia comperisti?* Cui filius, *Non mirum, cum tu patrem non habueris Regem. Nec tu,* ait senior, *si ita pergas, filium Regem habiturus es.* Et Vates omnino fuit. *Plut. in apoph.*

Arguté

Arguté dicta facta.

26. Amiculus sepulchrale opes morientis.

SAladinus Asiæ & Ægypti Rex moriturus, rerum humanarum opumque imprimis ac potentiæ vanitatem suis ostensurus, interius in hasta linteum, quo morituri corpus obvelandum erat, per castra deferri jussit, cum illa præconis voce: *Saladinum Asiæ domitorem ex tantis, quas pepererat, opibus, unum hunc lineum amictum ad sepulcrum secum ferre.* Dubravius lib.14.

27. Episcopus choro, miles castris præsit.

Chabanus Comes Ludovici XI. Francorum Regis copiis præfectus, cùm haud procul Parisiis abesset, missus lustrandi exercitus gratiâ à Rege est Ioannes Ballus Episcopus Eboracensis. Chabanus indignè ferens Ecclesiastico id munus demandatum: haud multò post à Rege postulat; ut sibi Eboras transeundi facultatem concedat. Quid verò, inquit Rex, Chabane, illic negotij est? *Sacerdotes lustrabo*, ait, *ut emendanda corrigant. Nam si castra sacerdotibus, militibus Ecclesiæ committendæ erunt.* Robert.Guagn.in vita Ludovici XI.

28. Laus captata opprobrio rependitur.

Quidam ineptus cantator, cum voce grandi in templo detonaret, mulierem advertit flentem, quam abs se motam credidit. Ergo non multò post ex muliere causam fletus sciscitatur, quæ *asinum suum heri abs lupo devoratum questa, asserit hujus modo vocem audire sibi visam esse, ac proinde casu indoluisse,* Gotscalcus serm. 4.

29. Ex actione natura dignoscitur.

Virgilius non modò poëticâ facultate, verùm & naturæ cognitione eximius, cùm aliquando ex canum atque equorum inspecta indole, de parentum natura ac nobilitate peritè conjectaret. *Quis tibi igitur, Cæsar Augustus* (Virgilio perquam familiaris) inquit, *meus fuisse pater videtur? Pistor,* respondit Virgilius. Augusto causam sciscitanti. reddidit: *Quod hactenus præter panem ab illo nihil acceperit.* Quo joco Cæsaris in se liberalitatem provocavit. *Donatus in vita Maronis.*

30. Aviditas multiformis delusa.

30. Hadriano Pontifici jam *vir canescens* beneficij consequendi gratiâ supplicaverat, sed repulsam passus, canos sibi obesse suspicans, aut latere deinde cupiens, *tincto capillitio ad Pontificem oratum rediit:* ille agnito homine. *frustra* inquit, *es. nam patri jam ante tuo idem negavi.*

31. Vnus excellens præ multis è vulgo.

Antimachus Clarius Poëta cum in societate Romanorum sua carmina longiori recitatione prælegeret; plerique fastidium non tulêre, solus apud Antimachum dilapsis ceteris Plato hæsit. Tum Poëta, *legam porrò: nam unus mihi Plato instar est omnium.* Mar. Tull. Cic. de Clar. Ora.

32. Qui aures in pedibus habeant.

Aristippus Philosophus cùm pro amico intercessurus Dionysio Tyranno ad genua accidisset, irrisus iccirco ab aliis; respondit, *Non se, verùm Regem in causa esse, qui aures habeat in pedibus.* Laërt. l. 2. c. 8.

33. Mortui pellis pro tympano.

Zisca

Ziſca Huſſitarum Dux fortiſſimus moriens ultimâ voluntate ſtatuit, ut mortuo ſibi detracta pellis tympano adhiberetur: *mortui enim*, inquit, *ſonum non ferent, cujus viventis adſpectum non tulêre.* Fulgoſ.l 3.c.6.

34. Spes prædæ ex beneficio erepta.

Veſpaſianus Imperator, cùm nonnemo miniſtrorum pro alio, quem fratrem ſimulabat, intercederet. ſenſit Imperator auri ſpe inductum facere. Igitur Candidatum ſeorſim accerſitum *monuit, ſibi ut pactam ſuffrâgatori pecuniam numeraret, ac deinde beneficium contulit*: Miniſter deinde facti ignarus, cùm rurſum pro fratre interpellaret: *alium*, Cæſar inquit, *tibi fratrem quære, hic, quem tuum putas, meus eſt.* Suetonius in vita.

35. An nobilium mors diſpar?

Simplex famulus cum hero nobili ſepulcretum, inter calvarias mortuorum, tranſiens, interrogabat; *quænam illic nobilium ab ignobili diverſitas? albæ*, inquit dominus, *calvariæ nobilium ſunt, ceteræ vulgi ignobilis.* Evenit non multò poſt, ut eorum furcas tranſirent, ubi albæ aliquot plexorum calvariæ per montem ſparſæ. *En*, inquit, *Domine mi, hæ omnes nobilium videntur.* Nimirum qui ſic ludit, aliquando luditur.

36. Tyrannis improbè deluſa.

Zeno Philoſophus accuſatus, quòd in Nearchi Tyranni mortem conjuraſſet, juſſus edere conjuratorum nomina, *amiciſſimos quoſque Tyranni nominavit*: *quos cùm ille inſana crudelitate ſuſtuliſſet*, ac rogaret denique: *num quis præterea ſupereſſet? Tu ſolus*, inquit Zeno, *Reip. pernicies ſuperes.* Tan-

dem linguam præmorſam in os tyranni exſpuit. *Plut.contra Epicur.*

37. Periculum ſublarvâ Dæmonis diſcuſſum.

In fingendis illis, quæ ab hominis perſona aliena ſunt, furum imprimis induſtria malâ arte verſatur. Qua in re non paucæ hujus etiam ævi hiſtoriæ habentur. *Ioannes Bergenſis* poſtquam a militia ad religionem tranſiit, id ſibi miſiti in terra Luxenburgenſi eveniſſe memorat. dimiſſus per furnum in ædes paſtoris à ſocio milite ſuccidias, trabibus mediis inſidens, funi ſubnexas, illâ quâ venerat viâ emittebat. Sed fractâ trabe, cum domeſtici ac paſtor è ſtrato fragore acciti evolarent, homo conſilij impos ſubitâ vultum fuligine inficit, dæmonemque extincto quod parabant lumine graphicè fingit: ut iccirco terrore conſternatus paſtor, cœperit execrari conceptis verbis Dæmonem, atque ut loco cederet, præcipere: Tum porrò veluti emollitus Dæmon; *facite*, inquit, *patentibus oſtiis viam, ut hinc abeam*, fecerunt: evaſit miles. paſtorque mirificè lætus exclamabat, *quantum terroris meis verbis ſcelerato incuſſi!* verùm manè ſuccidiis deſideratis ridiculâ fraude totam implevit viciniam docuitque, *humanam ſæpe in malitia verſutiam Dæmonis aſtu inferiorem non eſſe*, parva laude, & flammis olim expianda.

38. Mors Dæmon & Angelus ſuſpenſus.

Aliud in Belgio patratum ſimile, haud ſimili eventu concluſum eſt. Nam tres perſonati Mortis Dæmonis, atque Angeli habitu divitem quendam Lucionem variis fraudibus expugnare aggreſſi

gressi sunt. Dæmon noctu primùm ædes lectumque invadit, atque iteratis terroribus jam extrema minitans mortem denique accersit. Illa cùm ictum intenderet, Angelus qui intercederet, subitò adfuit, dixitque: *preces orantis à Deo acceptas, modò auro, quod ad perniciem possideret, quamprimum obnunciaret.* Interea cum rejectus ab Angelo Dæmon ejulatus graviores ederet, quàm ut domesticis parietibus clamor obtegi posset, ex vicinia homines advolant, fictosque vultus, cum adornata fraude, haud difficulter detegunt. Ita miseri inter manus deprehensi, in patibulo fabulam clauserunt. Vbi suo quique schemate suspensi sunt, ut vulgò jactaretur, *Mortem jam ac Dæmonem Angelo stipatos, in furca interiisse.* Parvo damno, nisi cum Dæmone ad proprium ipsi domicilium transierint.

39. Lex abrogata temere autori nocet.

Isaacius Imper. Constantinopolitanus Dositheum à Solymitano ad suæ urbis archiepiscopatum transferre cupiebat; sed obstante quodam Græcorum Canone id sine reprehensione non poterat. Igitur Balsamonem Antiochenum Episcopum, doctrinæ atque autoritatis maximæ virum accersit, spemque archiepiscopatus facit, modò ne Canon ille obsisteret. Hic igitur cùm in Episcoporum synodo postea id facilè impetrasset, ut huic Canoni derogaretur. Res ad Imperatorem delata est. Qui fraude sua lætus, *Bene*, inquit, *habet; volo igitur, non ut Balsamo, sed Dositheus Archiepiscopatum adeat.* Ita Balsamonis castigata ambitio, non sine aliorum risu, fuit. *Baronius.*

VENA 2. ALIENATORVM.

Rei factive alicujus Definitionem, Naturam, aut Proprietatem alienat.

VT Gallus Caligulam accedens, clamet. *Bonum omen: Nam imperator, abjecto sago, ut pacem nuntiaret, togam induit.* Vel. *Iam dudum patri similis, denique & Matri factus est. sanè parentem utrumque benè refert.*

Argutè dicta.

1. Vox & intuitus pravæ mulieris noxius.

EPhrem Syrus Edessa ad focum cibos excoquens, cùm interpellaretur à levi muliercula, per fenestram quærente: *numquid coquo illi deesset?* *tres* inquit, *lateres, ac parum luti, ut hæc fenestra obstruatur.* Surius in vita.

2. Pænitentia perversa hæretici.

Sisinnius Novatianus Episcopus à Leontino Ancyræ Episcopo subtractam Novatianis Ecclesiam repetebat; cui dum Leontinus diceret: *nefas esse hominibus pœnitentiam de Ecclesia auferentibus quicquam concedere. Ne verò ita existimes*, refert Sisinnius: *nam perinde ut me, neminem pœnitet. Quomodo vero pænitet?* Leontinus excipit. *Quod te,* respondit Sisinnius, *in vita & Ecclesia videam.* Socrat. l. 6. histor. Eccl.

3. Pingendi victus arte.

Parrhasius cùm Sami Aiacem in tabula cum Vlys-

Vlysse, pro armis Achillis certantem, ipse cum æmulo de artis dignitate contendens, proposuisset, atque inferior suo judicatus adversario succumberet; cuidam familiarium illius casum dolenti, respondit; *se quidem non tam suum, quam Aiacis casum dolere, qui eadem in re bis jam adversario fuisset inferior.* Ælian. l. 9. de varia. histor.

4. Luxus Philosophi pretiosus.

Reprehendebat nonnemo Aristippi luxum, quod perdicem quinquaginta drachmis comparasset. cui ille: *si obolo venalis fuisset*, an emisses? qui cùm se accepturum fuisse, diceret. *Tanti*, inquit, *quinquaginta drachmæ mihi sunt, quanti obolus tibi.* quo dicto damnatum in se luxum, ad contemptæ abs se pecuniæ laudem detorsit. *Laërt. lib. 2. cap 8.*

Ita Platonem de piscibus arguentem: se obolo comparasse monuit. qui cùm eodem se pretio accepturum fuisse diceret; *non igitur*, refert Aristippus, *me obsoniorum, sed te nimium pecuniæ amantem ostendis.* Idem.

Aristippus de nimio *vestium ac ciborum luxu* reprehensus; *illud* inquit *nisi commendandum esset, in summis Deorum solennitatibus non fieret.* Idem.

5. Non timendi boni Reges.

Alexandrum referunt, Diogene Cynico conspecto, interrogasse: *nunquid se timeret*? sed vicissim Diogenes Regem est percunctatus: *Quid esset? bonumne an malum?* Rex ubi se bonum asseveret: *quis igitur*, inquit, *bonum metuat*? Laërt. lib. 6. cap. 2.

6. Philosophis etiam quod sapit, sapit.

Demonax rogatus: an Philosophus etiam placentis vesceretur? quid, inquit, *an existimas apes tantum stultis mellificare*? Eras.l.3.apoph.

7. Tutissimum navi littus est.

Stratonicus interrogatus; *quæ navigia essent tutissima*, rotunda an longa? respondit, *illa, quæ in terram subducta sunt.* videlicet hæc extra omne maris periculum erant. *Athen.lib.1.*

8. Ex effectu causa noscitur.

Pellæ Stratonicus ad puteum aquæ gratiâ ductus, ex haurientibus sciscitatur. *nunquid potu salubris aqua esset?* cumque eam se bibere affirmarent: *ergo insalubris est*, inquit, *siquidem lurido omnes colore* inceditis. *Athen.lib.8.*

9. Testis fide dignus.

Cùm Metellus Nepos Ciceroni exprobraret, quòd *plures reos suo occidisset testimonio, quàm eloquentiâ servasset*: Rectè, inquit Cicero; *nam plus mihi fidei inest, quàm eloquentiæ.* Ita convitium ad laudem inflexit. *Plutarchus de laude sui.*

10. Otium podagricorum molestum.

Publius Syrus, inter convivales quæstiones postulatus; *quodnam otium maximè molestum crederet?* respondit *podagricorum.* Pontanus & Eras. *l.6.apoph.*

11. Pisces pascere.

Mercator *in mare delatus*, creato ex jactatione fastidio, *stomachum vomitu exonerabat*, cui ex adstantibus: Verè *gratus es*, inquit, *qui pisces à quibus toties pastus es, vicissim pascas.* Thom.Morus in Epig.

12. For-

12. Formosæ mulieris aspectus vitandus.

Cyrus Persarum Rex, à suis ad Pantheam captivam, Mulierem spectandam invitatus; cùm abnuisset, ac deinde Araspes spectatu dignissimam, ob formæ elegantiam prædicaret: *tantò*, inquit, *minùs spectanda mihi erit, quantò est formosior.* Plutar. de Curios.

13. Res corpori postponendæ.

Demosthénes, ad arguentem se, quòd sui tantùm corporis curandi intentus, agrum ruri negligeret: *Ea*, inquit, *curo, propter quæ agrum comparavi.* Max. serm. 36.

14. Indigna persuadere.

Diogenes cùm ab Eritio quiddam peteret; isque facturum se, modò persuadere Diogenes posset, assereret. *Si quicquam persuadere*, inquit, *possem, agerem, ut te suspenderes.* Laërt. lib. 8.

15. Displicet adolescenti improbo probus Dominus.

Augustus Cæsar Herennium adolescentem, moribus corruptum, à castris excedere jussit. Cùm ille, heu me, quo vultu ad parentes redibo? quid causam postulantibus dicam? *dic*, inquit Cæsar, *me tibi displicuisse.* Suet. in Augusto.

16. Sceleratos Deus non audit.

Bias una cum hominibus impiis periculosâ maris tempestate correptus, cùm illi de navi manius vocemque ad Deos extollerent; *silete*, inquit, *ne Dij vos homines sceleratos navigare hic sentiant.* Laërt. lib. 1. c. 6.

17. Tyrannus invisus.

Dionysius Siciliæ Tyrannus Diogenem inter-

rogans: *quod as optimum existimaret?* respondit, *illud ex quo Athenienses Harmodio & Aristogonti* (Tyrannorum expulsoribus) *statuas erexissent.* Quo dicto Dionysij tyrannidem carpsit, exilio etiam postea damnatam. *Laërt.lib.9.cap.7.*

18. Dos præ conjuge quæritur.

Marcia Catonis filia, rogata; cur à morte defuncti mariti, rursum nollet nubere? *quia*, inquit, *nullum reperio, qui me magis quærat, quam mea.*

19. Ineptus Poeta fastiditur.

Theocritus ab inepto carminum recitatore interrogatus, *quænam potissimum placerent?* respondit, *quæ omisisti.* Anton.in Melis.p.1.serm.50.

20. Tyrannus ad mortem quæsitus.

Sulpitius Afer inter conjuratos in caput Neronis deprehensus, postulatusque odiorum, & *intentatæ necis* causam: *Scelera se Neronis voluisse*, ait, *hoc fine absolvere.* Sueton.in vita Neronis.

21. Adulatores odio & amori sunt.

Cùm aliquando Sigismundus Imperator, *nullum se magis hominum genus, quàm adulatorum aversari*, diceret. Imo, inquit, Brunorius Veronensis: *nullum magis amas.* Nam quid Banus, Vrsatius, aliique apud te possent, nisi assentando gratiam mererentur? *Verum*, inquit, *Imperator, asseris: nam & tibi apud me etiamnum locus est.* Æneas.Syl.l.3.de rebus Alphonsi.

22. Disciplina meliores facit.

Æschines pauper, cùm Socrati in disciplinam sese traditurus venisset, diceretque: *nihil habere doni præterquam seipsum.* *Da verò* inquit Socrates, *reddam te tibi meliorem.* Laërt.

23. lactu-

23. Iactura opum, animi quandoque bonum est.

Zeno Citticus mercator ex Phœnicia Athenas contendens classe, naufragio rem omnem perdidit. Verùm à Crate deinde ad Philosophiam opumque contemptum adductus, usurpare sermone est solitus, *feliciter se navigásse, cùm fecit naufragium.* Laert.

24. Adolescens plura audiat, quàm loquatur.

Idem imperitæ ac profusæ loquacitatis adolescenti: *aures,* inquit, *natura tibi geminas, unam dedit linguam, ut multa audias, pauca loquaris.* Laertius.

Argutè dicta facta.

25. Plebs non facilè contemnenda.

Scipio Nasica cùm ædilitatis curulis candidatus esset, manusque plebeiorum ex more prensaret, duriorem cujusdam manum offendens: rogat, *nunquid manibus ambulasset?* quo dicto rusticanæ tribus animos non leviter offendit, ut repulsam tanquam plebis aspernator ferret. *Erasm. l. 6. apoph.*

26. Dei ope bella successum habent.

Valens Imperator Arrianismo favens adversus Catholicos Gothos armatus ibat, eunti Isacius monachus occurrit, acceptoque equi, cui insidebat, freno: *quò, imperator progrederis,* exclamabat: *si adversus Deum pugnas, quis tibi è cœlo opem præstabit?* Niceph. l. 11. eccles. histor. c. 50.

27. Fides depositi anceps.

Ancilla quædam Athenis à duobus hospitibus

pecuniam depositi nomine eâ lege acceperat, ut utrique simul redderet. *Alter hospitum*, interjecto tempore, tanquam mortuo socio, squalore obsitus, *ancillæ, ut nummos redderet, persuasit*; supervenit non multò pòst alter, idemque depositum poscit. Res ad judicis arbitrium delata. Demosthene mulieris causam tractante, qui ita denique conclusit. *Mulierem paratam esse depositi fidem solvere; sed nisi altero sociorum adducto, ex fidei obligatione id non posse*, itaque pro muliere Iudex sententiam pronunciavit. *Val. Max. l. 7. c. 3.*

28. Parcus ex avaritia, non virtute.

Polyænus etiam Sophista in iis erat, qui copiam lautitiamque conviviorum in Aristippo reprehenderent. Hunc igitur Aristippus quasi gratiam sapientes monenti habiturus, ad mensam benè instructam invitat. cumque paréret: Aristippus, *videris*, inquit, *mensam meam non aversari, sed metuere impendium*. Laert. l. 6, c. 12.

29. Fastus in spreto fastu.

Diogenes Platonis convivio adhibendus elegantiorem mensæ apparatum pedibus cœpit conterere. Plato, ubi Diogenem interpellaret, quidnam ageret? *Platonis*, inquit ille, *fastum calco*. Mox Plato, *fastu tamen majori*. Laert.

30. Dux fortis timidos cohibet.

Iulius Cæsar Martiæ Legionis Aquiliferum jam *in fugam conversum* injectis manibus in oppositam partem *retorsit*. Et, *quò abis? exclamat, illic sunt quibuscum dimicamus*. Quâ voce trepidationem legionis totius discussit. *Val. Max. l. 3. c. 3.*

31. Fortes non delectat laus ficta.

Aristobulus cùm inter navigandum Alexandro Mag. res ab eo gestas de scripto à se commentario recitasset, & supra veritatem nonnulla afferret: Rex indignatione motus arreptum de manibus librum Hydaspi immersit, atque ad autorem versus: *his te*, inquit, *mergi oportebat*. Eras. l. 8. Apoph.

32. Legati malè delecti.

Cùm tres à Romanis legati in Bithyniam designati essent, quorum unus teneretur *podagra*, alter *caput plagis afflictum* gereret, tertius *vecordiâ* laborare visus esset. Cato ridens dixisse fertur: *hanc pop. Romani legationem, nec cor, nec caput, nec pedes habere*. Plut. de Catone.

33. Labor fructum parit.

C. Furius Cresinus cùm ex parvo agello uberiorem, quàm vicini ceteri fructum colligeret, veneficij accusatus est, quo aliorum fruges ad suum agrum convocare credebatur. Verùm is, *cum robusta filia, gravi ligone, ac vomere, & bobus bene curatis* in forum progressus, *hæc*, inquit, *sunt mea veneficia*. Itaque omnium sententiis est absolutus. *Plin. secundus l. 18 c. 6.*

24. Somnij eventus fallax.

Cùm duobus locis Episcopi officio vitâque defuncti essent, *Canonicorum nonnemo*, qui ad hunc honorem adspiraret, noctu *per somnium duos sibi baculos deferri vidit*, simulque omen somnij ad Episcopatus utriusque delationem convertit. Verùm insequenti die ex equo gravi casu in terram afflictus, *cùm utrumque crus fregisset, grallasque*

sibi

ſibi ad promovendum corpus dari cerneret: ô, inquit, *fallax, ſimul & verum ſomnium!* Nempe, Somnium omnis honor eſt, ubi aſſecutum te exiſtimas evaneſcit.

35. Ira delira.

Homo non ignobilis, dum in navi ſomno ſe opprimi ſentiret, ſervum monuit, ut ſi quando ad vorticem occurſurum haud procul accederet, ex ſomno ſe revocaret. Verùm cùm placidè quieſcentem negligeret: herus denique evigilans, ac facto cognito, plenus ſtomachi exclamat: *væ tibi, ſi ſubmerſus fuiſſem, hoc te gladio confodiſſem.* Quæ vox ſomniantis potius, quàm vigilantis viſa eſt.

36. Qui donis potior, cauſa eſt potior.

Duo lite inter ſe contendebant, quorum uterque benevolentiam Iudicis muneribus ambiebat: alter cadum oleo plenum attulit, alter verò porcum. Vbi deinde causâ primus caderet, muneriſque apud Iudicem oblati meminiſſet; *porcus,* inquit Iudex, *in ædes irrupit, oleumque omne evertit.* Par illud de oblato, ab his bove, ab illis equo. *Equus* inquit, *fortius, quam bos trahit.*

37. Perfidis in perfidiâ creditur.

Alexander Rangonius militem nactus, qui prodendæ arcis operam offerret; cùm moneretur, ne fidem adhiberet, iccirco, *quod perfidus ac ſceleratus homo eſſet,* atqui, *ideo,* inquit, *ad hanc rem mihi videtur aptiſſimus, & dignus, cui fidem habeam.*

38. Gratiæ ob negatum beneficium utiles.

Ad Ludovicum ejus nominis XI. Franciæ Regem, cum nobilis beneficij exorandi gratiâ accederet, & repulſam ferret: Regi tamen poſtulationem

nem aversanti, gratias liberali vultu ac voce habuit: Ut proinde Rex hominem sciscitaretur: Satisne intellecta esset voluntas Regia? satis, inquit alter: nisi enim fallor, negavit Rex meis se postulatis assentiri. Quorsum igitur Rex subjungit, actæ gratiæ? quia, respondit alter, longâ me Rex exspectatione & curâ liberasti, dum subitò negas, quod daturus non eras. *dignum*, ait rex, *te facis beneficio, qui tam sereno vultu beneficium negatum ferre potuisti: faciam ut duplici nomine mihi gratias debeas*, simulque contulit.

39. Humilis in alto superbit.

Sacerdos ignobili genere ad Cardinalitiam purpuram emerserat. Quem ubi consanguineus adolescens gratulandi causâ accederet, præsul verò ignorare se illum simularet verso alter ingeniosè sermone. *Veni*, inquit, *ut condolerem, quod ita subitò omnem tibi sensum eversum esse videam, ut te meque amplius agnoscere nequeas.*

40. Nudum, nemo creditorum spoliat.

Oppressi alieno ære duo, *ut creditorum* oculos manusque subterfugerent, domi se continuerunt. Rogati causam solitudinis: alius quidem respondit, *quietis se & pacis amantem, publicum declinare.* alius, *meditari se quemadmodum creditoribus possit satisfacere*: deinde verò hujus vitæ tædio victus, forum rursus subiit, *& satis equidem meditatus sum quemadmodum creditoribus darem, quòd non habeo; meditentur nunc illi vicissim, quemadmodum accipiant.* Nempe *qui dat quod habet, etiam cum non satisfecit, satisfacit.*

41. Ru-

41. Rustici duplex simplicitas.

Nobilis Silesius ad Doctorem Juris, Rusticum cum litteris ablegabat, simulque libum deferendum tradidit. Hic in via cibi desiderio captus libum omne absumpsit. Cum deinde literas Doctori exhibuisset, hic eis perlectis: heus, inquit, Rustice, *libum in scripto reperio: hoc*, respondit alter, *tibi reserues, ego reliquum comedi. Hic*, simplicitate, an astutia veniam meruerit? ambiguum manet.

42. Malum consortium.

Quidam ad patibulum à Sacerdote ducendus, cum suum in via casum quereretur: monitus est, huc eum calamitatis à malo consortio adductum: *Verùm*, inquit; *sed peius nunquam consortium, quam te, & carnificem habui. Sed* intempestivus hic lusus est, quando de jugulo luditur.

43. Illusor Novercæ.

Privignus canem percussurus, *cùm in novercam impegisset, non planè*, inquit, *à scopo aberravi.* Verum *aberravit:* nec minus iniquo animo, quàm manu.

44. Rustica simplicitas delusa.

Rusticus ex dente magnopere dolens, ut se illo liberaret, Chirurgum adiit. Cùm servo rudi id muneris demandatum esset, pro uno tres simul è maxillis evelli sensit. Igitur dolore cum indignatione plenus multa queritur. Verùm servus tacendum oppidò monuit, *ne re intellectâ herus pro tribus dentibus mercedem urgeret.* Sed res ita tacitè peracta non erat, ut herum lateret. Ille ergo, ubi nummos rusticus porrigeret, rogat, *essetne pro tri-*

bus

bus dentibus eductis merces? *Nequaquam*, inquit rusticus, *nam unicum solum eduxit.* *Tam* projecti ad mendacium mortales sumus, ubi de pecunia quæstio nascitur, decepti nostro malo, cū decepimus.

45. Beneficij Eccl. captator delusus.

Andreas Mantinea Patavinus, artis pictoriæ peritissimus Innocentio VII. Pontif. Max. in vaticano Palatio suam operam diu navabat ac futurum diu sperabat, ut filio à Pontifice Sacerdotium non ignobile impetraret; sed spe irrita. Quare jussus ab Innoc. VII. vitia capitalia adumbrare, octavum appinxit vitium ingratitudinis. Rogatus à Pontifice causam: *Nullum*, inquit, *vitium ingratitudine majus censui.* Pontifex, se tangi sentiens, renidenti ore, inquit, rectè factum; Verùm *ex opposito latere virtutes septem, Theologicas ac morales, pingendas esse constitui; proinde & his octavam addes patientiam.* Bern. Scardeonis l. 3. hist. Patav.

46. Rex corruptoris pretium ministro offert.

Satibarzanes Artaxerxi Regi Pers. à cubiculis, cùm triginta Daricorum millibus sollicitatus, rem in gratiam alterius parum æquam à Rege peteret. Rex Quæstorem ærarij triginta Daricorum millia jussit depromere, quæ accepta Satibarzani dono obtulit, simulque, inquit: *cape hoc munus, quod si dedero nihilo futurus sum pauperior; iniquior futurus, si postulatis annuero.* *Quo* facto & amicum servavit, & correxit.

47. Tyrannus non impetrat omne, quod imperat.

Hæreticus obvio sibi Religioso illusurus, impegit alapam; cumque ille gravius excandesceret,

ret, ac devi insolenti quereretur: quomodo, inquit Hæreticus, tu ad sacræ scripturæ leges vivis, quæ monet, *percutienti unam maxillam, prabendam alteram*? tum Religiosus, ecce alteram : ac deinde subjungit. Iam & ille mihi scripturæ locus explendus est, qui asserit, *eâdem mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis*; simulque decumanam hæretico reponit alapam: qui cùm propositæ antè scripturæ immemor ad vindictam provolaret, egregiis sese uterque pugnis ad livorem usque depexuit, dum ex propinquo diremptor advolaret. Verùm Catholicus jam victor: *sine*, inquit; *nam alter alteri scripturam explicat* ita hominis quidem insolentia meritò castigata est: quanquam Religioso plus laudis victo debitum, quàm victori fuisset.

48. Tyrannus non impetrat omne, quod imperat.

Antonius Marinus à Turcis captus, ut vitam servaret, Sultano persuasit, se intra dicennium elephantem ea arte instructurum, ut lingua humana loqueretur. Cumque temeritatis eum amici arguerent, quod rem adeò insolentem promitteret. Sinite, inquit, *nihil* enim, *malè metuo: nam interea, aut ego, aut elephas, aut Dominus morietur. Itaque obligatione solvar.* Ens Epid. l. 1.

49. Adulator dignè muneratus.

Sigismundus Cæsar importuno adulatori, Imperatorem superis penè æquanti, pro gratia luculentam inflixit alapam. Mox queritur alter, quæritque: *cur me Cæsar percutis? cur*, reponit Sigismun-

mundus, *me mordes ? Nempe* tali dignum erat patella operculum.

50. Libertas viri fortis in vita & morte.

Phocion liberrimæ inter Athenienses sententiæ, nonnunquam reclamante populo, inquit: *poteſtis me cogere, ut faciam quod nolim, ut ne dicam, quod ſentio, non poteſtis.* Verùm denique ad mortem abreptus, inter lacrymantes amicos, ſicco ſerenoque inceſſit vultu, & rogantibus, *num quid filio mandaret moriens? ne*, inquit, *injuria ab Athenienſibus accepta meminerit.* Cicutâ oblatâ, cùm pro ea lictor 12. drachmas poſtularet, vocavit, qui numeraret; *& ut video*, inquit, *ne gratis quidem Athenis mori licet.* Plut. in ejus vita.

VENA 3. ALIENATORVM.

Rei propoſitæ cauſa, aut effectus alienatur, ſive cauſa datur minimè cauſa, aut effectus minimè effectus.

GAllus de Caligula ita rectè dixerit. *Cùm omnem penè domi militiaque à prima infantia perſonam ſuſtinuerit, denique, ne qua deeſſet, etiam mulierem agere placuit.* Vel. *Feminam poſtquam duxiſſet, ut viciſſim duceretur, femina eſſe voluit.* Vel. *Magna in hac domo concordia & amor ſit neceſſe eſt, ubi mulier adeò reperitur viro ſimilis.* Verùm & aliam quercum excutiamus.

Arguté dicta.

1. In prælio standum.

CVm nonnemo Claudo Lacedæmonio ad bellum eunti necessarium esse *Equum* diceret: Agesilaus Rex *negavit opus esse, quod in prælio standum, non fugiendum sit.* Plut. in Lacon.

2. Mors innocentis gloriosa

Democritus Philos. à Philippo Maced. Rege, cum liberius contradixisset, interrogatus est: *an non metuis ne caput tibi jubeam amputari? Non,* ait, *nam si hoc mihi abstuleris, patria immortale mihi reponet.* Max. serm. 31.

3. Curiosi quæstio delusa.

D. Augustinus Afro curiosius sciscitanti: *quid ante mundum conditum fecisset Deus? Curiosis,* inquit, *infernum præparabat.* Sabinus in Epig.

4. Divitiæ quietem auferunt.

Principem liberalem nonnemo accusabat, *quòd omnis ipsius miseriæ autor esset, somnum illi atque otium sustulisset.* Causam verò rogatus? *Quia me,* inquit, *ex paupere divitem fecisti*: Plut. in symp. l. 1.

5. Et cœcitas prodest.

Mares Episcopus Iulianum Imperatorem Apostatam de impietate liberâ voce arguebat; cui Iulianus vicissim *cæcitatem exprobrabat*; *cur hanc Galilæus tuus non curat?* inquit! *Ne te*, respondit Mares, *impium videre cogar.* Sozom. lib. 6. Eccles. hist. c. 6.

6. Pro-

6. Prodigi illusoria excusatio.

Anastasius Episcopus sacræ pecuniæ prodigus dilapidator, causam tantæ profusionis rogatus: *consumo*, inquit, *omnia, ne Iustino Tyranno furti occasionem relinquam.* Niceph. lib. 6. histor. Eccles. c. 6.

7. Mulieres ex oliva suspensæ.

Diogenes cùm ad olivam mulieres suspensas cerneret: *utinam*, inquit, *reliqua arbores fructum similem ferrent!* Laert.

8. Sapientis anima reliquis præferenda.

Aristippo quendam in naufragij periculo trepidanti, cùm nonnemo objiceret, *quod Philosophi expavescerent, ubi alij imperiti minus formidarent. De eadem*, inquit Aristippus, *anima, solliciti non sumus: nostra est ceteris pretiosior.* Laerti.

9. Cometæ incertum prognosticum.

Vespasianus cùm paulò ante mortem visum cometam intelligeret, quosdam tanquam mortis sibi imminentis portentum accipere. *Non mihi*, inquit, *ille mortem portendit, sed Regi Parthorum: is enim comatus* (ut fidus erat) *ego caluus sum.* Xiphilinus.

10. Ludificatori falsò illusum.

Studiosis Neapoli animi gratiâ obambulantibus, rusticus occurrit in asino vehementer rudente, cùm nonnemo ad illum versus, *ô te inscitum*, inquit, *bestia hujus magistrum, qui hanc ejus vocem non comprimas! Tanta comitatis*, excipit ille, *est, ut hac voce lætitiam testetur, cùm quisquam ei sociorum occurrit.* Nempe canis dum mordet, baculum exspectet.

11. Sobrium esse sacerdotem decet.

Miles invitatum sacerdotem primò lavari voluit. Cui sacerdos: *primo nos lavare, ultimo sedere vultis.* Meritò inquit miles; nam *primo vos mundos, ultimo ebrios esse convenit.*

12. Vxores raræ bonæ.

Messanæ in Sicilia quidam in vincula abstractus, quod uxores quinque duxisset, vivas etiam tum omnes. Cùm rogaretur à Iudice: *qua mente in tam insolens facinus impulsus esset? Volui*, inquit, *experiri, an inter tot uxores una bona reperiri posset. Vereor*, inquit Iudex, *ut in hac vita talem reperias, quare ad alteram tibi demigrandum erit.*

13. Mulieri virilis habitus non convenit.

Comes de Muro Mater Cardinalis Vrsini, decrepitæ ætatis vidua, per jocum dicebat: *jam tempus illud esse, quo maximè cuperet nubere.* Rogata, quamobrem? ut, inquit, vir fiam. *Dum enim ego nupta primùm fui uxores suo habitu; nunc virili in veste conspiciuntur. Sed* nunquam se magis feminas, id est inconstantes, ostendunt, quàm cum virum induunt.

14. Spartani Sobrij.

Leotychidas, rogante nonnemine, *quam ob causam ita parcè Spartiatæ biberent? ne,* inquit, *pro nobis alij consultent; sed nos pro aliis.* Sobria enim consilia probantur. *Plut. in dict. Lac.*

15. Plura beneficia possessorem opprimunt.

Canonicus Vbius *plurium beneficiorum possessor*, cùm à D. Alberto magno de periculo admonitus, diceret: pontificia se dispensatione ea obtinuisse. D. Albertus causam fortè ejus dispensationis pa-

rum idoneam animadvertens. *Qui sine licentia,* inquit, *non poterat, cum dispensatione ad inferos iturus es.*

16. Iocus in crassum, falsè retortus.

Lepidus viator cùm ex Bacchi familia doliari ventre hominem in equo sibi obvium cerneret vultu, voceque ad illum versa, quærit: *cur more præpostero sarcinam non à tergo, sed ante se ferret? Quia,* inquit alter, *per loca furibus infesta obequito.* Quo dicto acerbè satis quærentis levitatem compressit.

Arguté dicta facta.

17. Virtutis nomen inane.

DIonysius Senior Syracus. Tyrannus, cum multa injustè ac tyrannicè perpetrasset, Fratre hostibus prodito, civibus trucidatis, Matre præcipiti fato sublata; *ne* tamen *sine virtute ac justitia regnum administrasse* diceretur, filiabus tribus, illa quæ sibi deesse vidit, nomina tribuit: & unam quidem Areten, alteram Sophrosynen, tertiam Dicæosynen, hoc est, *Virtutem, Pudicitiam, & Iustitiam* nuncupavit. Ita Dionysius multarum parens virtutum, *se cum virtute imperasse,* non vanè asseruit. *Plut. de fort. Alex.*

18. Honores mutant mores.

Abbas nonnemo ante delatam præfecturam, humili erat & dejecto in terram plerumque vultu, sed cum dignitate erectior quibusdam incedere visus, eáque de re monitus: respondit: *mirum non esse, cùm ante dejectis oculis cœnobij claves quæsiverit,*

rit, si nunc denique repertis latius erectiusque incederet.

19. Pictor lepore vincit æmulum.

Pictores duo de sua quisque artis præstantia contentionem susceperant, judice ad sententiam ferendam delecto. Qui ubi alterius tabulam elegantissimè pictam conspiceret, *vox*, inquit, *sola ad vitam deest*. tum alter æmulus in producta à se tabula potantem exhibet, & ceu victor ovans: huic igitur quid deest? inquit: *nam vocem potantes non edunt*. Henricus Stephanus.

20. Debitorum onus.

Augustus Cæsar Equite Romano vitâ functo, qui plus quàm nummum ducenties æris alieni contraxerat, ex bonis sub hasta expositis *culcitram emi cubicularem* voluit. Mirantibus hoc præceptum: *habenda est*, inquit, *illa ad conciliandum mihi somnum, in quo tanto are obstrictus somnum capere potuit*. Suetonius.

21. Fatis stultè imputatur delictum.

Zeno Philosophus cùm servum in furto deprehensum plagis multandum traderet, isque deprecaretur, hac facti excusatione. *In fatis fuisse, ut furaretur*: *& hoc*, inquit, *Zeno est, ut cadaris*. Laert. l. 7.

22. Luxus castigatus.

Scipio eo tempore, quo Carthago obsidebatur, in luxum adolescentis animadversurus, qui inter cetera bellaria Carthaginem ex libo formatam in mensa convivis diripiendam proposuerat. Equum illi ademit, postulantique deinde pœnæ causam: *plecte-*

plecteris, inquit, *quoniam me prior Carthaginem diripuisti.*

23. Iaculator imperitus.

Stratonicus dum cuidam à scopo imperitè aberranti adsisteret, denique abiit, atque *in ipso scopo constitit.* Rogatus causam, quâ id faceret: *ne me*, inquit, *feriat*, *hic consisto: cum alia omnia magis tangat, quam scopum.* Anton. in Melissa.

24. Sacrilegia Dionysij illusoria.

Dionysius Rex sacrilegè avarus, cùm Epidauri *Æsculapij* simulacrum aureâ barbâ insigne conspexisset, *barbâ* illi *sublatâ*, dixit: *indecorum videri, ut Apollinis filius, cùm patrem imberbem habeat, ipse barbatus appareat.* Idem Iovi olympico aureum magni ponderis amiculum detraxit, quo eum Hieros. ex manubiis Carthaginensium ornaverat, *laneumque illi pro aureo pallium injecit*, ita cavillatus: *aureum amiculum æstate grave, hieme frigidum esse: laneum ad utrumque anni tempus accommodatius.* Idem pateras coronasque ex gemmis, auroque pretiosas, *quas manibus simulacra ferebant*, sustulit: asserens, *oblata se à Diis accipere: absurdum siquidem videri, à quibus indies flagitamus, ab his ultro porrigentibus nolle accipere.* *Val. Max. l.1. c.1.*

25. Luctus filij in morte parentis minimè serius.

Gallicæ nobilitatis homo *pullo vestitus habitu* à morte parentis incedebat, verùm *equo vectori purpuram* instraverat, cumque familiares monerent, conveniens videri, ut & nigrum habitum equo

 inster-

infte neret. *Cur verò*, inquit, *cùm ipſius mater non ſit mortua, ſed mea?*

26. Coci à cane deluſi ſimplicitas.

Coquus artis imperitus cùm emptis pro Domino carnibus, ſimul eas rectè apparandi traditum ſibi modum in manu ſiniſtra deſcriptum legeret, *canis adfuit: qui arreptis è dextra carnibus ocyus ſeſe ſubduceret:* tum ille, ad canem verſus: *I licet, neſcies tamen quemadmodum apparandæ carnes erunt.*

Clivis, Ducum olim Clivenſium ſede, noti ordinis nominiſque hoc ſeculo concionator, ut erat popularis, lepidique ingenij, pro concione feſto circumciſionis ſtrenas, ut vocant, in vulgus diſtribuit, ac potatoribus magis ſtrenuis *funem dedit à taberna extenſum uſque ad domum propriam*, quo vacillantem rectius greſſum moderarentur. ſub concionem arcis præfectus oratorem ſuæ adhibet menſæ, & crebriori hauſtu liberaliter irrigatum abs ſe dimittit. Ita dum in populi foribus adhærentis conſpectu oberrat, & greſſu incerto vacillat. Nonnulli ipſi non ignoti acclamant. *Ex fune, Domine mi, ex fune te ſuſtine*: tum ille: *ô vos cæcos! non animadvertitis funem eſſe confractum?* quo reſponſo oſtendit pedes ſibi minùs, quàm rationem conſtare.

VENA

VENA 4. ALIENATORVM.

Cùm aliquid à moribus legibus, consuetudine, modo, aut ordine alienatur.

ITa gallus caligulæ rectè dixerit. *Nulla tibi vestis hactenus convenit melius, nec adeò videtur tua, quàm quæ tua non est.* Vel, *Barbam demete, ne videaris non esse, quod videri cupis.* Sed hæc aliis exemplis prolixius.

Arguté dicta.

1. Miles jactator.

AVgustus Cæsar, cùm militem in expeditione, *acceptum vulnus in fronte jactanter ostentare videret. Ne,* inquit, *posthac, dum fugis, respexeris.* Ita quod alter ad gloriam, Cæsar ad ignominiam detorsit. *Macrob. l. 2. cap. 4.*

2. Militi manus & pedes rectè adhibendi.

M. Cato *invisum sibi* dicebat, *militem, qui ambulans moveret manus, & pugnans pedes.* Nolebat videlicet in via sine omni incedere sarcinâ, in prælio fugam spectare. *Plut. in apoph.*

3. Præceps juramentum correctum.

Anaximenes præceptor Anaxagoræ pro suis popularibus apud Alexandrum regem intercessurus, cùm ille indignatione plenus jurasset, *oppositum se eorum facturum, quæ Philosophus rogasset:* postulavit, *ut patriâ dirutâ cives sub hasta vende-*

ret. Alexander improvisâ hominis petitione, suoque juramento impeditus, ferrum, clademque ab illis avertit. *Laërt. l. 2.*

4. Senex de forma stultè solicitus.

Alexander senem capillos fucantem intuitus. *noli*, inquit, *capillos ungere, sed pedes, ut promptius incedas.* Max. Serm. 14.

5. Occulta non esse temere exploranda.

Ægyptius merces per forum obvelatas deferebat, quem sciscitatur: quid illic rerum abdidisset? *ideo*, respondit alter, *obvelavi, ne id scires.* Plutar. de curiositate.

6. Iratus meritò non plectit.

Plato tam indignum censuit, quenquam in ira plectere, ut cuidam famulorum, plagas merito, sic minatus feratur; *vapulasses, nisi iratus fuissem.* Laert.

7. Patientia injuriæ vincuntur.

Diogenes rogatus à difficolo adolescente: *quidnam pro colapho infligendo postularet?* respondit, *galeam.* Laert.

8. Honores re minus, quàm verbis aversamur.

Pontifex Cornelius Novatiano, *invitum sese pontificatum adiisse jactanti*, inquit: *si invitus designatus es, Novatiane, probabis, cùm volens decesseris.* Platina, in vita.

9. Corpus suum rarus negligit.

Scipio Nasica dum equitum censum ageret, equitem reperit bene curatâ cute pinguissimum, equi verò strigosi & miseri possessorem. *Quid*, inquit, *causæ, quod equo tuo tanto sis curatior? Quoniam*, inquit, *ego me curo, equum verò servus.* *Statius.*

tius. Verùm is hoc dicto inter ærarios relatus est. *Gell. l. 4. c. 20.*

10. Ostendat se peccator sacerdotibus.

. Cùm Agesilaus, Constantino imperatore audiente, adversus pœnitentiam argumenta congereret, *negaretque, remissionem à Sacerdotibus, sed Deo exspectandam. Habesne,* inquit, *Imperator scalam, ut ex cœlo nobis remissionis sententiam adferas?* Quo dicto hominis improbitatem cohibuit. *Histor. Tripart. l. 11. cap. 13.*

11. Fures magni parvos opprimunt.

Diogenes cùm sacrorum præfecti quendam phialæ, à sacris subductæ, reum ad carcerem raperent: *Magni*, inquit, *fures parvum ducunt.* Laert. l. 6.

12. A prodigis citò petendum.

Idem cùm obolum passim sibi dari postularet, à prodigo minam petiit. *Cur,* inquit ille, *tanto à me amplius, quàm reliquis postulas? Quia,* subjicit Diogenes, *ab aliis me denuo accepturum spero: apud te, an deinde quicquam reperiam, incertum est.* Laert. lib. 5.

13. Lex supra Regem sit.

Quodam Demaratum rogante; *cur, Rex cùm esset, Spartâ fugeret? quia leges*, respondit, *illic potentiores sunt, quam Reges.* Plut. in Lacon.

Arguté dicta facta.

14. Adolescens se digna inquirat.

ZEno Citticus *adolescentem*, aliena à sua ætate & bonis moribus percunctantem, *ad speculum*

ducit, utque inibi se contemplaretur, admonet ; tum deinde rogat : *nunquid tali vultui ejusmodi quæstio conveniret?* Laert.l.7.c.1.

15. Pictor arte præstans.

Alexandrum ita artificiosè fulminantem Apelles expresserat, ut & digiti, & fulmen extra tabulam crederentur, adeoque jactatum fuerit : *duos esse Alexandros, alterum Philippi invincibilem, alterum Apellis inimitabilem.* Vnde & cavisse edicto dicitur, ne ab alio quàm Apelle pingeretur, ab alio, quàm Lysippo sculperetur.

16. Petulans & dissolutus auceps.

Ludovicus XII. Rex Galliæ cùm aulici, quibus studiis adolescentiam traduxissent, exponerent, & in ceteris Antonius Vivonius, *se pelle vituli contectum ad aucupium prodiisse diceret, quo facilius aves falleret: Tu vero,* ait Rex, *nondum mihi hanc vituli pellem exuisse videris*, notans ejus in moribus dissolutionem. *Annal. Franc.*

17. Tyrannum sæpe peior alius subit.

Dionysius cum propter Tyrannidem omnibus se ingratum intelligeret, audivit tamen mulierem seniculam esse, quæ Deos pro sua incolumitate quotidie oraret. Hanc accersitam rogat, quæ tam sedulæ orationis pro se ad Deos causa? *Ne*, inquit, *te sublato, deterior tuum locum occupet. Nam ex quo adolescentula fui, tres sibi invicem succedere vidi. posteriorem semper deteriorem priori.* Tunc malè sæpe Deos orasse me animadverto, ut tyrannos tollerent, nunc errorem corrigo.

18. Mendicus negantes ferre discat.

Diogenes *statuam non raro adire solitus, ab ea audien-*

audientibus ceteris eleemosynam orabat. mirantibus causamque facti sciscitantibus, ait *hanc oro, ut discam non potiri postulatis.* Nimirum homines sæpe statuis similes nihil largiuntur. *Laert.*

19. Lucrum bonum ex re qualibet.

Vespasianus senior, quod erat pecuniæ avidissimus ex lotio vectigal collegerat: hanc rem, cùm, ut Imperatore indignam, non pauci atque ipse adeo filius cavillaretur; *collectam* inde *pecuniam filij naribus admovit, sciscitatus: nunquid malè oleret? quo negante: attamen,* inquit, *ex lotio est.* Suetonius.

20. Qui amicos habet divites pauper, non eget.

Aristippus postquam à Dionysio tyranno munus postulasset: *putabam,* Rex inquit, *Philosophos non egere. Da verò,* ait Philosophus, *deinde disputabimus,* moxque acceptam pecuniam manu jactans: *vides,* inquit, *Philosophos non egere.* Laert.

21. Munerum aspernator.

Alexander Magnus Phocioni sibi ex legatione cognito amatoque, post devictas Persas, 100. talenta doni loco submisit. Verùm aversatus Phocion rogat, *cur uni sibi, in tot Atheniensibus, donum mitteret?* cumque legati respondissent. *quod ipsum in ceteris virum esse bonum rex judicasset. Sinat igitur,* Phocion, inquit, *me talem perpetuo & videri, & esse,* simulque munus à se tantâ contentione rejecit, quantâ alij occupant. *Plut. in Phoc.*

22. Iudex æquus.

Alexander auditurus accusatorem manu alteram aurem occludebat: alteram tantùm præbe-

bat oranti causam cur id ageret? rogatus: *alteram*, inquit, *aurem reo integram servo*. Plutarchus.

23. Mortis immeritæ contemptor.

Canius Iulius ad mortem à Caio Imperatore quæsitus, in carcere latrunculis, sine cura, ludebat. Iamque ad supplicium rapiendus sodali, inquit: *cave, ne post mortem te vicisse mentiaris*, atque ad centurionem versus; *testis mihi eris, uno me calculo præcedere*. Ita non tam cum socio, quàm cum Tyranno, & morte sua lusit. Amici cùm lugerent, *virum*, ut dicebant, *immortalitate dignum*. *Iam* inquit, *experiar, an immortales sint animæ; quod ubi exploratius cognovero, ad amicos ea de re referam*, Seneca.

24. Causam præstat quàm veritatem deserere.

Advocatus *in seculo* plerarumque causarum in judicio *victor*, postquam religiosum ordinem subiisset, ac *pro monasterio* lites propugnaret, *victus plerumque* cessit. Causam rogatus, *cur ante victor, omnia nunc amitteret? non audeo* inquit, *mentiri, ut antea*.

25. Chymicus spe præmij delusus.

Leoni X. Pontifici max. Chymicæ artis professor librum de auro conficiendo obtulit, majori ingenio quàm artis experientiâ elaboratum. Nec vile munus à Pontifice magno scientiarum æstimatore exspectabat. Sed Leo hominis vanitati illusurus, *crumenam vacuam muneris loco reddidit*, asserens: *cùm auri conficiendi artem teneat, nihil illi præter loculos deesse, ubi tutò illud reponat*. Corrozetus.

26. Brevi præstat, quàm diu dolere.

Trespa-

Trespades Mantuanus postquam inimici declinandi gratiâ dudum se domi continuisset, denique solitudinis molestia victus, publicum subiit. & *iniquo statim casu in hostem delatus, malè verberibus multatus est: cui denique discedens gratiam habuit, quòd ab ea se impofterum cura & timore liberasset.* Ens l. 2. Epid.

27. Vxores maritorum liberatrices.

Conradus Imperator ejus nominis tertius, Vinspergo Suevorum oppido per vim occupato, solis *feminis urbe discedendi facultatem fecit*, cum onere, cui ferendo pares essent: quæ ubi raro faciliore, contemptis opibus, *viros singulæ suos humeris efferrent*, suamque hanc ex pacto sarcinam esse dicerent. Imperator facti humanitate, ac mulierum ingenio delectatus, & viros, & opes innoxiis reliquit. *Æmil. lib. 7.*

28. Iudæo per captiosum pactum illudens.

Nobilis, Francofurti in Chirurgi domo capite ac barba attondendus, à Iudæo, in cujus ære tenebatur, ad judicium vocabatur. Sed ille unum sibi concedi postulabat, *ut priusquam barba rasa esset, ad veniendum non cogeretur*: quòd cùm à Iudæo præsentibus aliis promissum esset, barbam deinde nunquam attonderi voluit: asserens, *si ex pacto nisi rasum non teneri.*

29. Capite solo amisso perduntur omnia.

Cùm nobili ministro Rex Franciæ periculosum negotium committeret: *metuo*, inquit ille, *ne capitis discrimen in hoc officio adeam*, Euge, Rex inquit, pro uno capite triginta habeo millia. Verum,

rum, excipit alter, *ex tot capitibus nullum mihi perinde, ut hoc meum, convenire existimem.*

30. Rusticus aulicos, Lucius vulpem captat.

Cùm Rusticus Italus reperisset in gramine lucium, qui mordicus vulpem firmissimo nexu attinuisset, utrumque ad Florentiæ Ducem tanquam novæ rei spectaculum detulit, Verum ab atrij custodibus detentus ea lege aditum ad Ducem obtinuit, *ut honorarij muneris dimidiam illis partem relinqueret.* Vbi deinde convenisset Ducem, & Ducatos ex auro centum dono ferret, gratias habuit, oravitque *ut totidem illi fuste infligerentur verbera.* Dux nouum hominis postulatum obstupuit, causamque sciscitatus, intellexit, cum custodibus atrij pactum esse rusticum de munere dividendo: ergo, inquit Dux, partiar, ut illis satisfiat, simulque *præfectum misit, qui tot illis plagas, quot rustico ducatos expenderet.* Illud de Lucio vulpem captante fabulosum nulli videri debet, cùm non ignota apud Rhenum historia constet, ad D. Prælatum Lacensem aliquando Lucium vulpis captorem delatum, multorumque oculis conspectum.

31. Lucius furem captum ore tenet.

Quin & Essendiæ VVestphaliæ inferioris oppido, fur, captos ex cavea pisces noctu subducturus, dum manum altius immittit ab hiante Lucio deprehensus frustraque eluctatus, in lucem captivus detinetur, ac Principi (jam nuper defunctæ) sistitur, vulgo, *homines jam à piscibus capi, jactante.*

32. Venatoris insania ab insanis perstricta.

Civis quidam Mediolanensis insanorum ho-

minum

minum curationem novâ arte non infeliciter tentabat. Aquam ille domi ſtagnantem fœtentemque in arca concluſam tenebat, huic ſtultos femore, lumbis, humeriſve tenus, prout morbi ratio poſtulare viſa, ad palos defixos illigabat, quos aqua, ſimulque inedia tamdiu macerabat, dum ſenſim ad ſenſum reverſi rectius ſaperent. Fuerat huic aquæ immerſus civis, qui poſt quindecim dierum curam, amentiâ & ſtagno liberatus erat. Is fortè, in oſtio ejuſdem adhuc domus hærebat, dum juvenis auceps, equo vectus canibuſque comitatus, præterveheretur. Compellat hominem rogatque: *iſte, quo ferretur, equus, quanto paratus pretio eſſet?* aureorum, reſpondit alter; quadraginta. Canes, & accipitrem, quo ære paraſſet? *decem*, inquit, *ut minimum aureis capturam vero hujus anni, quanti faceret? Sex*, ait, *aureis nulli cederem.* Tum elatiori voce ad adoleſcentem amens verſus. *Abi hinc, quantocyus abi: nam ſi hic te Medicus comprehenderit, ad caput uſque lacunæ immerget; qui tantilli lucri gratia, tantum facias diſpendium.*

VENA 5. ALIENATORVM.

Aliquid à tempore aut loco alienatur.

Gallus Cæſari dicat. *Cede mulier: nam hic locus Imperatori competit.* Vel. *Hinc age domum ocyus: nam in foro ſpectare, ſpectarique mulierem non decet.* exempla aliorum hic etiam ſuppetunt.

Argutè dicta.

1. Curiosa levitas perstricta.

XEnocrates adolescentem arguebat, quod aulas suas esset ædes ingredi: cui neganti se intrasse, verum inspexisse solum. *Quid*, inquit, *refert pedibus, an oculis ingressus fueris; modo alienam in rem te arbitrum ingesseris?* Laert. lib. 4. c. 2.

2. Probis in carcere, quam improbis in aula jungi præstat.

Cùm Iulius Cæsar in consulatu obnitentem sibi Catonem ad carceres damnasset, Petronius ex senatu discedens, atque ut maneret, à Cæsare monitus *Malo*, inquit, *in carcere esse cum Catone, quàm in Curia cum Cæsare*. Quo dicto illi ruborem, factique pænitentiam incussit. *Dionysius Nica. in Pompeio.*

3. Edendum cum habes & esuris.

Rogatus Diogenes quâ horâ prandendum? *diviti*, inquit, *cùm volet; pauperi cùm potest*. Laert.

Exprobrabat nonnemo Diogeni, *quod in foro manducaret; in foro*, inquit, *esurio*. Laert.

4. Multorum honor brevis est.

Cicero in Vatinium paucorum Dierum Consulem, cum quereretur, in morbo se à Cicerone neglectum: *Volui*, ait, *in consulatu tuo venire, sed nox me comprehendit*. In Caninium paucarum horarum consulem, ut videtur, ita lusit. *Consulem tam severum, tamque censorium habuimus, ut in ejus Magistratu nemo pransus sit, nemo cœnaverit, nemo dormierit*. Macrob. l. 2. sat. c. 2. & 3.

5. La-

5. Labor Cæsaris inutilis.

Vibius Crispus interrogatus, *quis cum Cæsare Domitiano in conclavi esset?* respondit, *ne musca quidem.* siquidem Imperator indigno labore muscas captare ac stylo configere solitus est. *Quintil.*

6. Nudum nemo spoliat.

Quidam rerum suarum ex profusione inops cum furem noctu in domo deprehendisset, *quid hic*, inquit, *quæris in tenebris?* *ubi ego nec mediâ quicquam luce reperio.* Poggius in facet.

7. Crudelitas crudelitate excusata.

Pompejus cùm Heluio Libonis accusatori exprobraret, *quod ab inferis remissus videretur, ut viros clarissimos accusaret. Verum*, inquit, Heluius, *ab inferis reversus sum, ubi Cn. Domitium; Aënobarbum, Brutum, Cn. Carbonem, Perpennam, tuo imperio occisos reperi.* Valer. Max. l. c. 2.

8. Nemo se improbum fatetur.

Diogenes cùm improbi Spadonis limini, hanc epigraphen præfixam legeret. *Nihil mali intret. Dominus ergo adium* inquit, *quonam ingredietur?*

9. De sepultura parum solicitus.

Diogenes quæsitus, *an famulum domi aleret?* cùm negaret, *quis igitur*, rogant, *te mortuum ad sepulcrum efferet?* Qui, inquit, *domo indigebit.*

10. Sine hoste facilis pugna est.

Demonax cùm Romanum pugilem, ad palum usitato se more exercentem, spectaret, atque is denique quæreret: *ut tibi pugnasse, Demonax, videor? Fortissimè* inquit, *pugnas, quamdiu adversarius est ligneus.*

11. Sepulcro quam vita dignior.

Cùm Admetus poetaster, suum illum versum iactaret, quem per Testamentum inscribi sepulcro constituisset.

Terra cape Admeti exuuias; cœlum ipse petivit.

Elegans, inquit Demonax, *est, dignusque, qui jam tum tuo inscriptus sepulcro legatur.* Ita homini plausum exspectanti mortem precatus est.

Argutè dicta facta.

12. Ratione non metu servitus constet.

DOctor quidam famulo, qui illi à litteris scribendis aderat, facienda in dies severè in diario præscripsit. Evenit ut unà iter facerent, offendensque Doctor *in lutum præceps devolveretur.* Vbi cùm famuli operam postularet, *exspecta*, inquit, *Domine, ibo visum, nunquid in diarjo hoc faciendum præscripseris?* Nimirum *qui minutissima quæque ex præscripto à mancipiis exigunt, in maximis non rarò destituuntur. Aliquid libertati, etiam in non liberis, concedendum est.*

13. Quid sit Deus, nemo satis scit.

Hiero Syracusanus Tyrannus, postquam Simonidem interrogasset, *quidnam Deus esset?* diem hic sibi ad deliberationem dari postulabat. postridie idem quæsitus, biduum sibi concedi voluit, denique & triduum. Vt proinde Tyrannus duplicati triplicatique temporis moram, causamque posceret. Cui Simonides. *Quo plura cogito, plura mihi de Deo cogitanda superesse intelligo.* Tymp in mensa Philosophic.

VENA 6. ALIENATORVM.

Res à ſenſu ac ſignificatione uſitata alienatur.

ITa Gallus ad Caligulam non incongruè. *Publicam te nunc denique perſonam eſſe ex habitu, & loco demonſtras.* Vel. *Quis te plurium amantem neget, qui tam levi delectaris habitu? Quis in meretricio cultu nil velle de aliis mereri?*

Argutè dicta.

1. Fortis in tormentis.

SAnctus Vincentius Martyr in equuleo inter tormenta pendens à Deciano per ludibrium rogatus: *intelligeretne demum ubi eſſet? Imò* inquit, *in ſublimi loco verſor, unde te facilè deſpicio*, D. Auguſt. in vita.

2. Mores ſordidi ægre abluuntur.

cùm Lacon nonnemo obſervaret Alcibiadi Athenienſium Duci lavanti plurimum aquæ à balneatore affundi: *Quàm ſordidus*, inquit, *eſt homo, cui tantùm aqua neceſſe eſt!* Quo dicto mores egregiè carpſit. Plutar. in Lacon.

3. Arrogantia perſtricta.

Menecrates Medicus morborum aliquod curatione felix, *Iovis ſibi nomen vendicabat*, litteriſque Ageſilao datis, arroganter non minus quàm ſtolidè inſcripſit, *Menecrates Iuppiter. Ageſilao Regi ſalutem.* Quibus lepidè à Rege eſt reſponſum

Rex

Rex Agesilaus, Menecrati sanitatem: mentis scilicet, quæ illi deerat. Plut. in Lacon.

4. Tyrannis libere refutata.

Democritus cùm pro Atheniensibus apud Philippum legatione fungens insigni dicendi libertate uteretur, Philppus ad illum versus: *Metuisne*, inquit, *ne tibi caput jubeam amputari? Nihil*, respondit: *Si tu enim mortale hoc abstuleris, patria immortale reponet*: Max. ser. 31.

5. Fortuna favit divitibus.

Cosmus Medices cùm adolescentem mendicum obvium factum cerneret. *Quis te*, inquit, *ad illam nuditatem damnavit*? respondente illo: *Fortunæ se illud debere*. *Aleæ fortasse*, inquit Princeps, *& lusui*: *Sed*, excepit alter: *Tu, ô Princeps, tuique similes in hoc lusu vicerunt*. Tam festiva responsione vestem victumque apud Principem adolescens meruit. Eus l. 2.

6. Familia neglecta regnum curare.

Philippus Rex Macedonum à liberis, & conjuge litigiosè diffidens, Demaratum rogabat: *nunquid Græcia urbibus benè conveniret? Rectè*, inquit, *de totius Græciæ concordia sollicitus es; postquam tibi cum uxore ac liberis tam pacificè convenit*. Fulg. l. 6.

7. Amicorum defectus ferendi.

Augustus Cæsar delectatus Virgilio & Horatio Poëtis, quorum ille crebra ducebat suspiria: hic lippitudine oculorum laborabat. Rogatus quandoque, cùm inter utrumque sederet, quid ageret? *sedeo* inquit, *inter suspiria & lacrymas*. Macrob. lib. 2.

8. Qui

8. Qui probra jacit, expectet.

Telonas cuidam in judicio cùm indignatione sibi objicienti, *desine latrare in me*; falsè respondit, *si tu desinas mordere.* Vtrumque enim canis est. Philostrat in Sophistis.

9. Non omnia ex æquo partiri licet.

Cassellius Iuris Consultus mercatoribus *de navi inter se dividenda* contendentibus: *Si dividitis*, inquit, *neuter habiturus est.*

10. Spretus spernitur.

Cùm alter alteri simplicitatem ingenii exprobraturus, usitatâ illum phrasi pungeret: *Vel centies te vendam alteri.* subjecit socius: *Sed ego te nec semel quidem*: tanti enim non es, ut quisquam te, vel oboso, empturus sit.

11. Spretus.

Severus Imperator cùm podagrâ impeditus, bellum sequi non posset, atque iccirco milites Bassianum filium Augustum salutasse intelligeret, ad castra delatus, postquam omnes subito terrore consternatos ad pedes supplices cum filio haberet, caput manu contingens: *Tandem*, inquit, *sensistis, non pedes imperare, sed caput.* Fulgos. l. 2. de disc. mil.

12. Digna magno hospiti cœna sit.

Augustus perparcâ cœna ab hospite invitatore exceptus, cùm dimitteretur, inquit, *non putabam me tibi adeo familiarem esse.* Nempe familiaris, & amicum significat, & domesticum, cui quotidiana apponuntur fercula. Suetonius.

Argutè dicta facta.

13. Libertas inter tormenta invicta.

ANaxarchus Alexandro Phæreo Regi carus, cùm præsente Nicocreonte Cypri Tyranno ac Satrapa, quæsitus à Rege esset: quid sibi in mensæ instructissimæ apparatu deesse videretur? *nihil* ait, *nisi Satrapa tui caput*, quo dicto Nicocreon acerbè perstrictus, denique Anaxarchum nactus saxeo inclusum mortario pistillis contudit, Anaxarcho reclamante; *tunde Anaxarchi vasculum, Anaxarchum non teres.* Cùmque iccirco linguam ei præputari juberet sponte præmorsam in faciem tyranni exspuit. *Laert.* & Cicer. 3. de natura Deorum.

14. Vinum aqua dilutum multis diplicet.

Cùm hospes convictoribus visitatam vini portionem nimiâ aquâ dilueret; Fuit qui obmurmuraret, tantoque profusius ederet: ad quem hospes per jocum versus, *quando*, inquit, *cessabit tuum illud molendinum? Non potest*, excipit alter, *cessare, si tantum aquæ affundere pergitis.*

15. Creditoribus Debitor lauta mensa satisfecit.

Negotiator multo ære obligatus *creditores* omnes ad lautam satis mensam invitat, denique sub convivii finem bis quaterque creditores admonet: *ut hæc æqui bonique consulant, ac tam illo acquiescant, nihil præterea accepturos.* Qui cùm sibi abundè satis factum dicerent, gratias denique hospes de humanitate tanta habuit, ac propedi-

em

em foro cessit asserens, *creditoribus esse satisfactum.* Nisi tamen necessitati paruerit, hoc perfidiam lepôre nunquam satis excusaverit.

16. Ludificator ludibrio est.

Catholicus & Religiosi ordinis mihi notus sacerdos Palatinatum, non multis abhinc annis, eques transiens, in hæreticum pagi consulem incidit, à quo per ludibrium rogatus: *an ita Christus ingressus esset?* Respondit: *Christus, fateor, est asino vectus, sed quia hoc tempore asini etiam ad consulatum evehuntur, uti illo non audeo.* Hoc ille lixivio perfusus didicit: illum, *qui quæ vult loquitur, quæ non vult sæpe audire.*

CAPVT IV.

FONS III. COMPARATORVM.

Comparatorum fons cum aliqua oppositione permistus raræ admodum elegantiæ est, non tamen ubique copiosis æquè sapidisque aquis hic fons exundat: alibi prorsus fecundus, sterilis alibi. Vix pauca invenies, quæ hoc loco argutè Caligulæ assimiles. Illum tamen cum *Eva* comparare licebit, *ex viro creata*: *cum Semiramide, aut Amazone Penthesilea virili manu, muliebri habitu sceptra tractantibus.* Dic, *Protheo feliciorem ac versutiorem, omnium formas, præterquam mulieris, æmulante &c.* Verùm hæc more nostro venis singulis diducemus.

VENA I. COMPARATORVM.

Cùm res in ſpeciem diverſæ, ſimilitudine aliquâ minùs exſpectatâ & obviâ inter ſe comparantur, aut certè ex rerum diverſarum comparatione, aliquid inopinatum elicitur.

VT Gallus à Caligula rogatus: quid ſpectet atque admiretur? *Novam Amazonem*, reſpondeat vel, *novam ex Adamo Evam*, vel dicat: Quod *Sutores imitetur Caligula, qui eaſdem crepidas viro ac mulieri aptare ſciant.* Sed aliis hæc vena exemplis copioſiùs, gratiùſque affluet.

Argutè dicta.

1. Neutrius in bello partis, omnium hoſtis eſt.

ALphonſus Rex Arragonum, cùm diceretur, Senenſes Italico bello neutrius factioni adhærentes, militum ſparſorum prædam factos eſſe. *Senenſibus*, inquit, *hoc meritò eveniſſe, quod mediam domus partem habitantibus exſpectandum, ut ab inferioribus ſurgente fumo, à ſuperioribus urinâ, ſordibuſque defluentibus vexentur.* Ant. *Panormitanus.*

2. Contempta tyrannis.

Diogenes ad Alexandrum invitatus, cùm ſe facturum

aurum negaret; Perdiccas acerbè minatus, inquit. *An nescis me tibi mortem inferre posse?* Respondit, *nil magni habes: nam & idem Cantharis & Phalangium possunt.* Laërt. l. 6. c. 2.

3. Diogenes Alexandri spretor.

Cùm ad Diogenem Alexander Magnus diverteret: rogatus, quis esset? Rex, inquit ille, Alexander: at ego, canis ille Diogenes, alter respondit. Quæsitus *cur se canem appellaret? quia, ait, malos mordeo: non dantibus oblatro, dantibus blandior.* Rogante igitur Alexandro numquid vellet? respondit, ut *ex sole abeas, neque auferas, quod dare non potes.* Laërt. Seneca. Plut.

4. Membra conspirare necesse est.

Agrippa Menenius triumphis contra Sabinas clarus, populo in Aventinum intestinâ seditione à patribus divulso, hac illis similitudine fabulosâ concordiam suasit. *Humani,* inquit, *artus, cùm ventrem delicias tantùm atque otium sectari, se contra ad labores damnari cernerent, quo desidiosum hunc alumnum nutrirent, secessione factâ, illi suam subtrahere operam constituunt, sed cùm eo se pacto, deficiente alimento, viribusque à ventre hactenus subministratis succumbere animadverterent, gratiam instaurarunt: atque otiari ventrem, quàm se perire maluerunt.* Ita populum membris in homine laboriosis comparando, aptâ fictione ad officium reduxit, Volaterranus & alii.

5. Patiens injuriarum.

Socrates calcibus ab insolente homine atrociter petitus, cùm ferret: aliis patientiam mirantibus

bus: *quid* inquit, *facerem, si me asinus calce percussisset, num diem ipsi dicerem?* Laert.

6. Patienter querelas ferre.

Rogabat Alcibiades perquàm familiaris Socrati, qua ratione Xantippen uxorem perpetuo obstrepentem ferre posset? quomodo, inquit ille, tu strepentes domi anseres toleras? *qui ovis vesci cupit, Gallinarum strepitum patitur,* Gal. l. 1. c. 17.

7. In multo potu nulla laus.

Aristippus cuidam sese improbè jactanti, quòd *largiter* quantumvis è potu *hauriens non inebrietur: hoc,* inquit, *& muli possunt* Laert.

8. Gregi custodes necessarii sunt.

Postquam Alexander Magnus Bæotis, Thebanisque subjugatis, Demosthenem Græcos eloquentia, ac consilio adversus Macedones armantem cum septem aliis oratoribus sibi tradi postulasset: fabulam Demosthenes commentus *de lupo, qui ad stabiliendam amicitiam canes sibi dedi voluisset, quo impetrato deinde gregem impunè vexaverit.* Qua fabula facilè orator populum ab Alexandro avertit: ut, qui Oratoribus tanquam defensoribus suæ gentis abstractis, libertatem aut vitam erepturus videretur. Plut. in vita Demosth.

9. Facit desperatio segnes.

L. Galba in pilæ lusu cuidam negligenter pilam excussam petenti, *petit,* inquit, *tanquam Cæsaris candidatus.* Hi enim quod desperarent tali competitore sese consulatum accepturos, segniter rem suam egerant. Erasm. l. 6. Apoph.

10. Demo-

10. Democratia vitanda.

Cùm *democratiam* sive popularem gubernationem quidam in republica institutam vellet: *tu illam*, refert Pausanias, *domi tuæ priùs instituas*. Nimirum ut domus malè sub diversis capitibus, ita & reipublicæ disciplina subsistet. Plut. in Apoph. Lacon.

11. Rei claræ nulla probatio est.

Aristoteles illos, qui *res evidentes demonstrare* conabantur, ajebat, *solem per lucernam velle ostendere*. Max. serm. 12.

12. Expeditio subita & felix.

Postquam Sebastianus Lusitaniæ Rex in Africa occubuisset, Philippus Tertius Rex Hispaniarum Ferdinando Toletano duce *regnum Lusitaniæ* intra dies tres & sexaginta suæ potestatis fecit, militibus joco dictitantibus, *non aliter à se quàm regnum cælorum soleat, expugnatum, pane scilicet & aqua victitando*; quod in subita expeditione de necessaria illic annona provisum non fuisset.

13. Malè exterminata religio.

Henricus VIII. Angliæ, Rex cùm illicitis amens amoribus Pontificem Rom. adversari novis thalamis cerneret, atque iccirco autor ipse caputque in Ecclesia schismatis existeret. Religiosis de suis monasteriis proscriptis ex Thoma Kromuelio præcipuo consiliorum administro petiit; quid monasteriis hisce agendum videretur? *Destruendi*, respondit ille, *ô Rex, nidi erunt: ne aves tam infausta ad eosdem revertantur.* Verùm Rex & suis deinde conjugiis, & posteris successoribus

infelix alterum à se Regem Scotici sanguinis Carolum Stuartum habuit, qui anno 1649. inaudito ab omni retrò memoria spectaculo, à propriis subditis captus, Kromuelio tragœdiam moderante publico supplicio interiit. Flor. Raimund.

14. Impudentia retorta.

Diogeni in platea prandenti, cùm adstarent, qui contumeliosè illi identidem canis, canis acclamarent. *Erratis*, inquit, *canes sunt, qui prandentem circumstant.*

Diogenes adolescenti formoso indecora loquenti inquit. *Non Erubescis ex eburnea vagina, plumbeum educere gladium?*

15. Senectus & nuptiæ obtentæ displicent.

Theodectes res esse similes asserebat *senectutem & nuptias; ad utrumque enim*, inquit, *aspiramus, cùm non sumus assecuti; cùm obtinuimus, dolemus.*

16. Rex imperet unus.

Cùm Darius Alexandro Magno plurima, argentique talenta, simulque divisam ex æquo Asiam offerret: respondit, *orbem unum duos non ferre soles, nec regnum unum duos reges.* Plut. in Alex. 81.

17. Fiscus reip. moderatè crescat.

Trajanus imperator *fiscum* reip. *lien* in corpore comparabat, quo in humano corpore nimium crescente, reliqui artus contabescunt. Vnde compilationes provinciarum egregiè cohibuit.

18. Vita fabula est.

Augustus cum mortem sibi imminentem persentisceret, amicos rogabat; *nunquid satis commodè*

vita

vitæ actum transegisset? Cùmque annuissent, subjecit usitatam in comœdiis clausulam: *valete, & plaudite*, scilicet *vitam fabulæ actæ* comparabat.

19. Ineptè instructus.

Metellus Nepos levis & inconstans orator, cùm magistri sui Diodori sepulcro lapideum corvum præfixisset; *Dignum*, inquit Cicero, *factis retulit premium: nam volare discipulum docuit, non dicere* Plut. in Apoph. Reg.

Argutè dicta facta.

20. Hæresis prædicta.

Leontius Ancyræ Episcopus in Antiochena illa dissensione, quæ erat de fide gravissima, cùm apertè sententiam explicare non auderet, *canos jam capitis sui capillos manibus demulcens: hanc*, ait, *nivem solutam, multum luti subsecuturum est.* Rectè auguians, se mortuo hac labe hæreseos non paucos infectum iri. *Euseb.* in hist. Eccles.

21. Rex captus victorem vincit.

Ludovicus Crassus Francorum rex in prælio contra Anglos suscepto, ab equite nonnullo captus, graviter impellebatur. At is, *exerto in caput gladio militem obtruncat*, dicens: *ne quidem in latrunculorum ludo Regem solum capi.* Corrozetus.

22. Eclipsis horror discussus.

Pericles Atheniensium Dux, cùm in expeditionem militari, ob improvisum solis defectum, militum animos, ac supremæ navis gubernatorem præcipuè turbatum malo omine cerneret, *detractâ sibi chlamyde alterius velavit oculos*, rogavitque

vitque, *quid hinc portenti formidaret*? cumque negaret hinc quicquam sibi timendum. quid igitur metuis velum illud, quod soli inducit tenebras? *Plut.* in Græc. apopht.

23. Munera in aulis ambigua.

Sigismundi Germ. Imperatoris *equus cùm influvii transitu urinæ reddendæ gratiâ hæreret*, Minister socius per jocum, *hunc equum domini sui mores imitari dixit, qui aquam illic effunderet, ubi abundaret.* Sensit Sigismundus Ministrum de parum liberali in se Imperatore queri. Igitur domi postea duas eadem forma cistulas, alteram auro, plumbo alteram explet; accersitoque Ministro alterutram jubet dono accipere, cùmque is spe metuque plenus, utramque diu ponderasset, denique plumbo oppletam delegit. quo viso, Cæsar inquit, *vides non mihi voluntatem, sed tibi fortunam deesse.* dona Principum ferè non merentibus, sed fortunatis obveniunt. *Tymp.* in mensa Phil.

24. Beneficia Ecclesiæ, ut benefacias, sunt.

Dicaculus quidam cùm videret Pastorem, relicta suæ Ecclesiæ cura, pinguius beneficium prensare, illum convenit, rogatque: *nunquid paupere, quàm habeat, uxore relicta ditiorem liceat ducere?* minimè verò, inquit Pastor, *Cur tu* igitur, ait, *pauperem ecclesiam deseris, ut archidiaconatum habeas?* Ita correctus presbyter suo contentus vixit.

VENA

VENA 2. COMPARATORUM.

Cùm inter illa, quæ præ se ferunt, vel ferre similitudinem paritatemue creduntur, præfertur id, aut postponitur, quod præferendum vulgò aut postponendum non videtur.

VT si Gallus Caligulæ (varias etiam Deorum personas assumenti) dicat. *Qui modò homo, modò Deus, modò mulier es, quis neget te omni Proteo esse versabiliorem?* Vel *quod mulieres nonnunquam in domo*, tu lepidius in foro aggressus es: *imperium viri occupasti femina.* Exempla alia jungimus.

Arguè dicta.

1. Vir patiens rixosæ conjugis.

HOspes ad tabernam divertens, cùm uxorem cauponis rixis contentiosè domum complentem indignanter ferret. *Quæ verò*, caupo inquit, *hæc tua est impatientia: duos ego & triginta jam annos hujus clamores, & insaniam pertuli; tu verò nec hora illam unica perferas?* Quo dicto & mulieri & hospiti risum excussit. *Barlandus.*

2. Laus inconveniens Regi.

Demosthenes cùm Philippus Macedonum Rex magnoperè laudaretur *à facundia, forma, liberali inter socios potu.* Nihil magnum, inquit, ac

regium audio. *primum Rhetores, alterum mulieres, tertium spongia* præ illo possident. *Plut.* in Vita.

3. Avaritia perstricta Iudaica

Rex Arragonum Alphonsus Divi Ioannis simulacrum aureum à Iacobo Alemanno Christiano quidem, verùm à Iudæis orto empturus, cùm aureorum quingentorum pretio æstimari audiret; non tu, inquit, prorsus ineptis, atque à majoribus tuis degeneras, qui Ioannis Magistrum, Regemque proprium non nisi 30. argenteis licitati sunt? *Panor.* in vita. l. 1.

4. Libertas animi est.

Cùm diogenem Xeniadi emancipatum amici in libertatem vendicare cuperent: finite, inquit, liber sum: *an nescitis leones non servire iis, à quibus aluntur, sed alitores potiùs servire Leonibus?* Laert. l. 7.

Argutè dicta facta.

5. Picturæ veritatem bruta indicant.

APelles Ephesi magnum Alexandrum equo insidentem magna arte expresserat.. Verùm is non satis digna æstimatione pictorem, artemque laudabat, illius judicium correcturus Apelles, *equum tabulæ admovit*, qui mox picto illi, perinde ut verò, *adhinnire cœpit.* Hic, inquit *equus* Apelles, *rectiùs de picturæ judicat.* Ael. l. 2. de Var. Histo.

6. In vino probantur homines.

Aristoteles extremo morbo colluctari visus, à suis jussus est designare scholæ successorem. Eminebant verò inter discipulos Theophrastus

Lesbius,

Lesbius, & Menedemus Rhodius. quorum alteram disertè Aristoteles cùm nollet repudiare; duo sibi insolentioris vini genera adferri, *Rhodium ac Lesbium*, imperavit: *illo gustato, firmum est*, inquit, *& jucundum*: mox & *altero libato, suavius tamen*, inquit, *est Lesbium*. quâ voce Theophrastum Lesbium præferre est visus. *Aul.* Gell. l. 13 c. 5.

VENA 3. COMPARATORVM.

Quando res cum oppositione inter se comparantur, vel cùm inter similia dissimilitudo, aut inter dissimilia similitudo adhibetur.

ITa Gallus Calligulæ causam admirationis roganti respondere poterit: *Miror ex viro prodiisse mulierem, cùm ex muliere viri prodeant.* Vel, *Pater olim Patriæ Augustus fuit, sed nunc patriæ matrem habemus.*

Argutè dicta.

1. Avarus, & crudelis Rex in amicos.

VEspasianus senior rapacissimis quibusque quæstorum officia demandabat; quibus deinde morte damnatis, ipse opes colligebat: ut propterea, *amicis tanquam spongiis uti diceretur: quos siccos madefaceret, & exprimeret madentes.* Suetonius.

2. Reprehensio utilis.

Diogenes canis appellatus. *Canes quidem,* inquit, *mordent inimicos, ut plagam inferant: ego amicos, ut sanem,* Stob. Serm. 11.

3. Pares in rep. non in regno summis sunt.

Flaminius in bello contra Philippum Macedoniæ suscepto, de pace acturus, locum colloquio designarat, sed cùm Philippus fraudem vereretur, obsidesque postularet, asserens, *apud Romanos plures esse Flaminios, apud Macedones unum tantùm Philippum.* Flaminius, *hanc culpam Regis esse* asseruit, *qui solus esse in regno vellet.* Quo dicto ipsius in propinquos crudelitatem arguit, quos ferro sustulerat. *Plut.*

4. Amicis abuti.

De *amicis* Dionysii Syracusani Tyranni rogatus Diogenes, quemadmodum *Rex iis uteretur? Vt vasis,* inquit, *plenos elevat, vacuos abiicit.* Laert.

5. Obtrectator & adulator canis est.

Ex Diogene canis nomine insigni, nonnemo aulicæ, liberæque vitæ ac linguæ homo rogabat. *quæ bellua morderet maximè?* cui ille, retortâ inquirentem responsione: *ex feris,* inquit, *obtrectator; ex mitibus adulator.* Laert.

6. Decoctor bonorum.

Bion Boristhenites Philosophus ad hereditatis paternæ decoctorem, ait, *Amphiaraum terra, tu terram absorbes.* Laert.

7. Voracitas objecta & retorta.

Hyrcanus Iudæus cùm à Ptolomæo Ægypti rege mensæ adhibitus esset, ceterique convivæ per ludibrium ossa, absumptis carnibus, ante Hyrcanum

canum cumularent: lusit in eum scurra Regis Tryphon asserens: *ita Syriam ejus nudasse patrem, ut hic ossa.* Regi verò etiam de tot ossibus percunctanti, *Ne mireris*, inquit Hyrcanus; *nam canes ossa absumunt cum carnibus, ut hi mea collegæ: ego, ut homo, carnibus tantùm vescor*, Suidas ex Iosepho.

8. Sera condolentia.

Cùm Tiberium Cæsarem Legati Ilienſium ſeriùs de filii Druſi obitu conſolatum veniſſent, jam obliterata ferè doloris memoria: factum riſit, reſponditque, *ſe quoque illorum dolere vicem, quod fortiſſimum olim virum Hectorem amiſiſſent.* Suetonius.

9. Diverſorum ad diverſa tempora affectus.

Genuenſis nobilis ex ruſtico ſciſcitatus: quod anni tempus haberent jucundiſſimum? hiemis, inquit ruſticus; tum enim ad focum *inter caſtaneas, rapaſque aſſas quieſcimus*, ac ſubinde indulgemus ſomno: id verò, excipit nobilis, *etiam porci faciunt.* quo igitur tempore, ruſticus quærit, vos maximè delectamini? *verno* refert nobilis, *cùm florent, virentque omnia*; ſed hoc, ruſticus ait, *etiam aſini faciunt.* Nempe *ingenio ruſticus à nobili non diſtinguitur*, ſed cultu. Æſopos ex ruſticis prodiiſſe vidimus.

10. Aulâ nec procul, nec propè ſis.

Antiſthenes rogatus, *quomodo ad aulam ſit accedendum? ut ad ignem*, inquit, *neque prope nimium, ne uraris: neque remotè, ut frigeas.*

11. Miles sine annona imbecillis.

Philopœmen dux Archæorum peditatu, atque equitatu egregio instructus erat; verùm deficiente non rarò, unde miles aleretur, pecunia: & ipse corpore deformis, ac tenuis. unde Titus Quintius ita in illum jocatus est. *Pulcras*, inquit, *manus, & pedes Philopœmen habes, sed absque ventre.* Quo & corporis habitum, & militiam, quæ sine pecuniario alimento, tanquam ventre erat, argutè perstrinxit. *Plut.* in apoph. Reg.

12. Formosus sed improbus.

Isocrates de pulcro adolescente, sed improbæ mentis dicebat. *Bonam habere navim, sed malum Gubernatorem*

13. Arma pueri dentes.

Alcibiades etiamnum puer in palæstra deprehensus ab aliquo, ut effugere non posset, morsu se à luctatore expedivit? qui cùm clamaret: *mordes ut femina*, *Minimè*, inquit, *sed ut Leones.* Ita objectam sibi ignaviam ad fortitudinis laudem inflexit. *Plut.* in Lacon.

14. Adulator excæcat.

Aristoteles inquit, *in coruos, quàm assentatores restat incidere: nam illi mortuis, hi viventibus oculos eruunt*, Cælius lect. antiq. c. 33. illud Diogeni, alii etiam Antistheni tribuunt.

Arguté dicta facta.

15. Non genus, sed virtus cujusque observanda.

Amasis Ægyptiorum Rex, contemptus à suorum nonnullis, ob generis sui ignobilitatem.

Vasa

Vasa quædam aurea, quæ in conviviis Principum exonerandæ naturæ subservierant, ad statuam numini conflandam adhibuit. quam cùm deinde Ægytii hac formâ venerarentur, ad præsentem concionem rex reversus. *adoratis*, inquit, *rem olim ventri purgando destinatam: quid igitur est, cur me olim quidem vilem, at nunc regni dignitate exornatum aspernamini?* Herodotus.

16. Patris profusio dolor filii est.

Ioannes Gonzaga Mantuæ Dux cùm in lusu victus, magnam argenti vim, spectante Alexandro filio, ami teret, hic acerbè in lacrymas solutus est. tum pater, *fili mi*, *quàm diversas ab Alexandro Magno lacrymas habes. flevit ille, quod pater omnia vinceret, neque ipsi spem vincendi reliquam faceret. tu contra, quod amittam omnia, nec ultrà tibi, quod amittas, relinquam.* Argutius dictum, quam lusum, quanquam is ludat felicissimè tesseris, qui illas ita proiicit, ut nunquam recipiat, neque victor neque vincendus.

VENA 4. COMPARATORVM.

Cùm eadem res secum comparatur, factis, ac proprietatibus inter se similiter, aut dissimiliter compositis.

ITa Gallus Caligulæ non incongruè dixerit: *Natura in te an ars erraverit, multi dubitant; nam hæc te rectiùs in toga feminam, quam illa extra togam virum finxisse creditur.* Vel. *Quomodo*

cum aliis tibi conveniet? cui secum tam parum convenit, ut vir hodie, cras mulier videaris.

Argutè dicta.

1. Dux bonus magna pars victoriæ.

CUm à Scipione Numantini victi domos repeterent; seniores suis devictis exprobrabant; quòd illos modò fugerent, quos ipsi fugassent. An ignorarent, eosdem hostes esse? quibus ex Numantinis nonnemo respondit: *easdem quidem oves esse, sed alium habere pastorem.* Scipionis virtutibus imputans victoriam. *Plut.* in apoph. Reg.

2. Pœna erroris.

Quidam servus cùm à Domino Lacone vapularet: *non volens*, inquit, *erravi*: cui Lacon: *non volens igitur pœnas dato.* Plut. in Lacon.

3. Simulacrum dispar personæ.

Cicero, cùm in provincia, quam Quintus Frater, non magnæ vir staturæ rexerat, fratris imaginem clypeatam videret justò grandiorem, inquit, *Frater meus dimidius est major, quam totus.* Macrob. l. 2. Satur. c. 3.

Argutè dicta facta.

4. Pietas aliena sine propria nil prodest.

MErcator nonnemo sacrarum rerum negligens, ubi manè uxor ex more sacrificio interfutura templum adiret, monere est solitus: *pro te, ac pro me sacro intersis.* Hic nocturno somnio visus est sibi cum uxore ante iudicem supremum stare,

ſtare, illámque cœlo admitti, quam cum ille conſequi niteretur, occluſis jam foribus janitor monuit, *pro ſe ac pro te cælum ingreſſa eſt*. Valuit hoc ad ſomnum homini in rebus ſacris excudiendum.

5. Excubitor dormiens occiditur.

Iphicrates Dux Athenienſium, cùm præſidio Corinthum teneret, & ſub adventum hoſtium ipſe obiret vigilum ſtationes, dormientem fortè nonnullum reperit: quem cùm eodem veſtigio confixiſſet: erant, qui facti ſævitiam reprehenderent. Verùm Iphicrates illudens. *Qualem* inquit, *inveni, talem reliqui.* Videlicet ſomno longo ſepultum. Iul. Frontinus lib. 3. ſtrateg. c. 12. Idem de Epaminonda legitur.

CAPVT V.

FONS QVARTVS ALLVSIONVM.

NOn infecundus hic ſe ludendi in verbis ſententiiſque campus aperit, ubi vel ſolum Caligulæ nomen factumque, in argutorum hominum examen venerit. Nos quædam per ſingulas venas delibabimus, tum deinde exemplorum, ab hoc diverſam, aliquam varietatem ſufficiemus: Quæ tamen in verbis potiùs, quàm factis conſiſtent. Quòd ea ludendi ratio, vel gratiâ, & venuſtate; vel copiâ ac facultate deſtituatur.

VENA 1. ALLVSIONVM.

Luditur inflexa vocis, aut sententiæ significatione; voce tamen, aut sententiâ immutatâ.

ITa Gallus de Caligula: *Bonum pacis omen nam in toga Imperatorem video.* Toga enim & mulierum erat habitus, & Romanorum, domi in pace, post exutum militare sagum, versantium. *Vel* dicat. *Es, quod videris.* Quæ sententia tam de Imperatore ad laudem, quam de femina ad contumeliam referri poterit. Vel. *Caligula, si pedem amiseris,* carebis gula. Pes enim hoc loco ambiguum facit significatum: siquidem tam de ejus nomine, quam corpore intelligi poterit.

Arguté dicta.

1. Officii sors mutata.

DIogenes cùm certatorem olympicum ovibus pascendis operam dare cerneret: *quàm subitò,* inquit, *ab Olympiis ad Nemea te contulisti?* Nemea enim & certamina erant Herculi sacra, & pascua à νεμω pasco. Laert. l.6.c.2.

2. Pecuniæ obediunt omnia.

Agesilaus Rex discedens Asiâ, postquam Atheniensium & Thebanorum proceres corrupti pecuniâ, vulgus adversus eum concitassent, argutè jocabatur: *triginta se millibus sagittariorum ex Asia*

Asia à Rege depulsum. Nam tot Daricorum (nummi erant aurei) millia submiserat, qui altera sui parte sagittarii imagine erant insigniti. *Plut.* in Lacon.

3. Chirurgus continentiæ admonitus.

Diogenes ad Chirurgum virginis oculum curantem: *cave*, inquit, *ne pupillam corrumpas*, quod & de puella viduata parentibus, & de oculi pupilla intelligi potest. Verùm apud Græcos etiam argutius est, cùm ἡ κόρη & pupillam oculi, & Virginem significet. Laert.

4. Medicus aurum spectat.

Macedonum Rex Philippus, cùm illi fracta navicula, sive pectoris eum humero commissura, curaretur ab avarò medico crebris postulatis Regem pro muneribus urgente, denique victus importunitate inquit, *accipere potes: nam clavem in manibus habes.* Græcè etiam propriâ magis, κλεὶς tam clavem, quam commissuram illam explicat. *Plut. in Apoph.*

5. Gibbus incorrigibilis.

Galba deformis Gibbo, caussam apud Cæsarem Augustum perorans, identidem repetebat: *corrige in me Cæsar, siquid deprehenderis.* Cui demum Augustus: *monere te quidem possum, corrigere non possum.* ad corporis gibbum alludens. *Macrobius.*

6. Officium coemptum.

Cæsar adhuc Adolescens L. Syllam pro tribunali prætorio sedentem convenerat: at Sylla, ubi illum acerbiori à se responso dimitteret, *suoque se usurum officio diceret.* *Rectè*, inquit, Cæsar, *tuum offici-*

officium vocas, quod pecuniâ tibi comparasti. quo dicto hominis ambitionem corruptionemque liberè arguit. *Plut.*

7. Reverentia sepultis debita.

Erat olim magna sepulcrorum religio: hac tamen neglectâ. Vectius insanâ cupidine *patris monumentum aratro proscidit.* Quod ubi ad Augustum Cæsarem delatum est. *Hoc verè,* inquit, *est patris monumentum colere.* Nimirum & religione colimus superos, & aratro terram. *Suetonius.*

8. Æger cacostomachus.

Æger dejectione stomachi laborans rogatus à Medico. *Nunquid haberet mali in stomacho? Qui* inquit *possum, cùm triduo nihil comederim?*

9. Filius ad patris mortem anhelans.

Proculeius querebatur de filio, *quòd expectaret mortem Patris: Ego verò,* inquit ille, *non expecto. Immò,* inquit Pater, *rogo, ut expectes.* Videlicet ne ante usurpes omnia, aut mortem mihi acceleres. *Fab. lib. 9.*

10. Prodigus bonorum patris.

Brutus junior Adolescens paternorum bonorum prodigus, cùm ædes etiam thermasque Patris nuper venditas in luxum effudisset; audiente Crasso, *se nimium sudare* querebatur: *Non mirum,* inquit ille, *nam de Thermis nuper exiisti.* Sudat enim qui balneo egreditur: Exire verò is etiam dicitur, qui alteri heredi vendit: *Eras. lib. 6. apoph.*

11. Morus sapienter stultescit.

Thomas Morus Volsæo Cardinali Regis absentis personam ambienti, solus inter omnes assentiri noluit. Quocirca hic ad illum versus. *Stultum*

Stultum te More, inquit *consiliarium ostendis. Gratia,* respondit Morus, *Superis, quod Rex nonnisi unum in senatu stultum habeat.* Alludens proprio nomini, quod apud Græcos stultum significat, cujus potissimum occasione Erasmus Moriam eruditè adornavit. *Thom. Staplet. in vita c. 13.*

12. Loquax viator reprehensus.

Pausanias Puteus dictus, postquam in cadum fortè delapsus esset. *In cadum,* exclamat, *puteus cecidit.* Idem Pausanias cùm ineptè loquacem & jactabundum de Peloponneso à se obita lustrataque fabulantem attenderet. *Qui* inquit, *factum* igitur *quod primam ejus urbem* Sigeum (latinè silentium dicas) *non lustraveris* ? Athen.

13. Malum furi precatus.

Dorion *claudus* tibicen, cùm affecti pedis *calceum* in symposio amissum frustra quæreret: denique indignatus, inquit, *Deos precor, ut ejus, qui reperit, pedibus conveniat.* Quòd cùm citra pedis etiam contracti vitium fieri non posset, eâdem oratione qua rem alteri bonam optare est visus, malum imprecatus est. *Athen. lib. 8. c. 5.*

14. Convitium retortum.

Chabries postquam ebrium multis in se convitiis debacchantem, auscultasset, *Bene* inquit, *dixisti: nam eorum, quæ tibi insunt, nihil omisisti.* Anton. serm. de contumel.

15. Amissâ pecunia dolet.

Minacius cuidam cùm pecunias & vestes aleâ perdidisset, atque iccirco præ tabernæ foribus lacrymaretur, familiaris præteriens rogat: *Quid habes, quod defleas*? *Nihil,* inquit, *habeo.* Tum later-

alter rursum: *quid igitur ploras? Ob hoc ipsum.* respondit miser, *quod nihil habeam.* Poggius in facet.

16. Coquus insulsus.

Iulius Scaliger coquo suo Stephano homini insulso, sed nimio sale cibos condienti: *Te verò miror*, inquit, *nihil in te salis: in cibo nimium est.* das; quod non habes.

Argutè dicta facta.

17. Lusori nocturno illusum.

Lipsiæ Citharœdus noctu ad fores cujusdam luserat, oden ut sibi videbatur, non inelegantem. Discessurus, ne facti autor ignoraretur, valuis inscripsit. *Staudius fecit.* Primò diluculo Graphicus nugator fortè vestibulum transit, & inscriptionem legit: mox opimis januæ limen sordibus obsignat. Quod factum Staudio imputatum. docuit *famam inaniter aucupantibus proximum ab infamia periculum esse.*

8. Venditori illusit emptor.

Civis Florentinus equum Romæ empturus, cum Equisonem justum æstimationis excedere pretium intelligeret: fraude illius avaritiæ illusurus, non gravatè annuit: Verùm ea lege, ut præsenti ære quindecim aureos deponeret, reliquæ pecuniæ debitor maneret. Haud multò deinde post Equiso promissum aurum exigit. Tum emptor: *contra æquum pactumque id exigis, siquidem conventum, tuus uti debitor manerem,* quod soluto ære non potero. *Sed qui astu ita fidem præstat, fidem similem meretur.* Poggius *in facet.*

VENA-

VENA 2. ALLVSONVM.

Luditur inflexione vocis simul & significationis; quod fieri aut litterarum, aut syllabarum, aut casuum permutatione variè poterit.

GAllus exclamet. *Nomen amisisti Caligula, postquam amissa est caliga, & ligula: Vtinam & gula!* Vel *qui à Caligis olim Caligula nomen accepisti, nunc aucto nomine à toga Caligula togata dici poteris.* Vel: *Toro, quàm foro aptior es.* Vel. *si minus mento, saltem mente cum habitu tuo convenis.*

Argutè dicta.

1. Aristarchus felix scriptor, non pater.

De Aristarcho Grammatico, acerrimi judicii viro, Suidas memorat, plùs quàm centum illum *sapientes libros*; Duos verò tantum, eósque *stultos liberos* genuisse.

2. Adulator excæcat.

Cui Græci infelicem precantur exitum εἰς κόρακας dicunt? id est, ad corvos. Diogenes verò pejora illis evenire dicebat, qui irent, εἰς κόλακας, id est, ad adulatores: quod illi oculos corporis, hi mentis eruerent. *Laert.*

3. Ingratus socius.

Cato cùm ad socios versus diceret, eamus deambu-

ambulatum. Adolescens sciolus interpellabat. *Quid opus erat de?* (nam ambulatum sufficere existimabat) Immò, inquit Cato: *quid opus erat te?* testatus se illum neque socium, neque instructorem desiderare. *Cic. 2, de Orat.*

4. Claves cæli hæreticis negatæ.

Ex Calvinistarum proceribus nonnemo potator egregius, cùm adversus Richardum Vitum contenderet, sibi non minùs, quàm *D. Petro* claves à Deo traditas: *Verùm*, inquit Richardus, *asseris: at tu cellæ, ille cœli claves nactus est.* Ex Martyr. Angl.

5. Tarda defensio.

Sphortia armis Pauli Vrsini territus, licet à Columnarum familia defenderetur, urbe excessit. Cardinalis deinde à Pontifice missus, ut revocaret profugum. *An* inquit, *Sphortia ursum times, cùm sis sub columnâ natus? Verùm*, ait Sphortia, *quid surdæ, & immobiles juvant columnæ, si hæc bellua insiliat?* Quâ voce defensorum tarditatem, Vrsini vim non illepidè expressit. *Iovius de rebus Sphortiæ.*

6. Negligens famulus.

Utebatur nonnemo famulo sui officii negligente: igitur his illum verbis increpabat: *aut serviat, ut servus: aut fugiat, ut cervus.*

Argutè dicta facta.

7. Officio suo deesse.

Fortè levi à scholis distractus negotio Academicus Doctor, ut discipulis constaret, valuis

Gymna-

Gymnasii inscripserat. Professor avocatus *ad negotium publicum discessit.* Fuit qui expuncta litera B. ex voce *publicum* faceret *pulicum.* Ita res in risum versa, & Doctor monitus, ne tam facilè abesset.

7. Demostheni pecuniâ corrumpi turpe. Harpalus ab Alexandri partibus ex Asia ad Græcos profugus, cùm Demosthenem, in se recipiendo, maximè adversarium nactus esset: illum tamen ad opes suas inspiciendas admisit. Inter quas, cùm ingentem maximè craterem Demosthenes admiraretur, simulque ex Harpalo, quantum caperet? sciscitaretur. Tibi, inquit Harpalus, 20. talenta capiet, quæ cum deinde sub noctem transmisisset: altero die Oraturus contra Harpalum Demosthenes obvoluto in forum collo prodiit, anginæ vitium obtendens, sed nonnulli rem odorati, *non angina,* inquiunt, *sed argentangina laborat.* Igitur proscriptus Demosthenes, rejectus Harpalus. *Plut. in vita, Demost.*

VENA 3. ALLVSIONVM.

Alluditur ad antiquitatis usum, fabulam, aut historiam, artis, aut legis alicujus præcepta: comparatione, aut oppositione aliquâ rerum institutâ.

VT de Caligula. *Ne dicant Grammatici virum Masculei tantùm generis esse, postquam vir fa-*

ctus

ctus femina est. Vel. *Masculei tantum generis esse Caligula noluit: ideo communis factus est. Mirentur alii, semivirosque boves, semibovesque viros: semivir hæc mulier magis admiranda videtur.*

Argutè dicta.

1. Judex de ignotis ne judicet.

Apelles perfectas à se tabulas oculis judicioque transeuntium objiciebat, in pergula, nec procul delitescens observabat sensum intuentium. In his cùm fortè sutor notasset, ansam deesse in crepidis. Apelles errorem non multò post correxit. Reversus fortè sutor, dum suo hanc rem judicio actam animadverteret; alia cavillari ac malè corrigere in cruribus cœpit: Apelles indignatus acclamabat. *Ne sutor ultra crepidam.* Plin. lib. 35. cap. 10.

2. Latina lingua incorrupta sit.

Tiberius cùm in edicto quodam, verbo parum latino usus esset, Marcellus eum admonuit. *Ius quidem civitatis Romanæ hominibus dare potes; verbis jus linguæ Romanæ dare non potes.* Dionysius Nicæus in Tiber.

3. Ex humili elatus & crudelis.

Cùm sententiâ Cardinalis Volsæi, qui judiciis apud Henricum Angliæ regem præerat nobilissimus juvenis interficeretur, Carolus. V. Imperator qui tunc forte aderat, dolebatque unius hominis ex Lanio Patre nati, libidine omnia illic administrari. *Indignum est inquit, à Cane Laniitam pulcram damam devorari.* Quo dicto Volsæi & generi

neris humilitatem, & crudelitatem falsè carpsit. *Chytraus Orat. de Carol.*

4. Oratio sordida.

Cùm Aristodemus ex patre coquo natus Regi Antigono suaderet, ut impensas & dona larga nimis præscinderet, quò rei familiari magis esset consultum. *Oratio tua*, inquit, *jus olet*. sordes illi tam generis quàm orationis exprobans *Plut. in Apoph.*

5. Victor animosus Lucullus.

Lucullus adversus Tigranem 150. hominum millia censentem pugnaturus, cum undecim armatorum millibus pridie nonas Octobres, quo die Scipionis copiæ deletæ fuerant, monitus ut caveret: quòd Romani illum, ut nefastum & inauspicatum haberent. *Ergo*, inquit, *viri, pugnandum hodie, ut ex nefasto funestoque hilarem auspicatumque reddamus.* Cùm denique cataphractos esse plurimos ostenderent, *plus negotii*, inquit, *in spoliandis, quàm vincendis habebimus*, nobilissimæ victoriæ autor, cùm centum millibus profligatis, quinque suorum tantummodò amitteret. *Plut. in Rom. apoph. & Lucullo.*

6. Vafra mulier.

Caligula *Liviam* Augustam proaviam, *vaferrimi ingenii fœminam*, solitus est appellare *Ulyssem stolatum*, Suetonius.

7. Pluralitas beneficiorum illicita.

Joannes Pariensis, ex Cancellario, Dominicani ordinis concionator, *grammaticæ leges à viris canonicis subverti querebatur, quod beneficia in numero plurali, conjungerent cum persona numeri singu-*

laris

laris. Quanquam Prælatis nonnihil ignoscendum diceret, ut qui scriberent: Nos Dei gratia, eò quòd plurium personas sustinerent.

Argutè dicta facta.

8. Crudelis illusio.

VIr Prætorius impetrato à Caligula commeatu Anticyris operam valetudini helleboro dabat. cum verè nondum integrâ valetudine prorogari sibi commeatum postulasset, Cæsar speculatorem *misit, qui hominem interficeret.* Iocatus in tanto facinore, *necessariam videlicet sanguinis illi missionem esse, cui tamdiu helleborum nihil profuisset.* Suetonius.

9. Vano oratori silentium impositum.

Demonax cùm Sidonium sophistam Athenis suis in laudibus publicè hac oratione versantem auscultarent: *si Aristoteles me vocat in Lyceum sequar: si in academiam Plato, eo me conferam: si in porticum Zeno, ibi versabor: si Pythagoras denique vocet, tacere incipiam.* Mox surgens exclamat: *hem te*, inquit, *mi Philosophe, vocat Pythagoras.* quâ illi voce silentium imposuit.

VENA 4. ALLVSIONVM.

Alluditur ad parœmias, sive dictum aliquod factum vulgare.

VT si de Caligula Gallus enuntiet. *Omnium illum horarum esse hominem.* Vel. *Hodie verissimum*

ſimum experior illud eſſe, quod adagio fertur. Vir caput uxoris, nam virile tibi barbatumque caput, corpus in toga muliebre intueor.

Arguè dicta.

1. Facilius carpimus, quam imitamur.

ZEuxis cùm Athletam pinxiſſet, ſuæ artis, judiciique fiduciâ fretus, in hanc ſententiam ῥᾷον μωμήσασθαι ἢ μιμήσασθαι, faciliùs erit carpere, quàm imitari. *Fulg. lib. 3. c. 7.*

2. Imperitus Muſicus.

Cùm Stratonico Muſico arbitro, Cleon, bos cognominatus, imperitè vocem, & lyram moderaretur, in proverbiis, inquit, olim fuit, *Aſinus ad lyram*: nunc *bos ad lyram* dicendum eſt. *Athen. lib. 5*

3. Liberalis & benignus.

B. Martinus ovem jam recens tonſam ſuis oſtendit Diſcipulis, & *ovi vos huic ſimiles eſſe convenit, quæ* juxta præceptum Evangelicum; *cùm tunicas duas haberet, unam largita eſt non habenti:* Sulpit: in ejus vita.

4. Ex oratione elucet animus.

Apuleius narrat, quemadmodum vulgatum proverbium, *pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem*; Socrates inverterit, oſtenderitque, *pluris eſſe auritum unum, quàm oculatos decem.* Nam reperto Adoleſcente, qui philoſophiæ operam dare cuperet, ut exploraret, ipſius indolem; *loquere,* dixit, *adoleſcens, ut te videam.* Senſit igitur Socrates aurium judicium certiùs eſſe, quàm oculo-

oculorum; quod oculi tantùm de forma & moribus corporis, aures de mentis habitu judicent. *Lib. 1. Florid. Apulei.*

5. Ex puero dissoluto vir sæpe similis.

Diogenes puerum lapides in patibulum ingerentem observans. *Euge*, inquit, *attinges hunc aliquando scopum*, Plut. *de virtute.*

6. Victus Antonius in luxu, fugit.

Cùm post Mutinensem pugnam de Antonio, ad luxum omnem in Ægypto effuso, quæsitum esset, quid faceret? Familiarium nonnemo respondit; quod *canis in Ægypto, bibit, & fugit.* Allusit ad haurientes è Nilo canes, qui raptim ex eo bibunt crocodili metu. *Macrob. lib. 2. Satur.*

7. Illiberalis princeps.

Bubulcus Vespasiani jam seniculus, ubi Dominum ad imperium vocatum animadvertit; libertatem munusque aliquod expectans, venienti in urbem principi occurrit, pileumque rogat; sed Vespasiano illiberali, ut erat ingenio, nihil annuente. Senex magnâ voce exclamat, verissimo adagio ferri. *Vulpem pilos mutare, non mores.* Fulg. lib. 10.

8. Inconstantia Ciceronis perstricta.

Cùm Laberius Senator Romanus, Cæsaris favore elatus augustiorem in spectaculo publico locum quæreret, nec quisquam venienti cederet, versus ad illum Cicero, dixit, *reciperem te, nisi anguste sederem*: scilicet, ob tot novos homines à Cæsare in senatum admissos. Cui promptè Laberius ita respondit; *mirum, quod anguste sedeas, qui duabus in sellis sedere assoles.* Ciceroni levitatem exprobrans,

probrans, ut qui modò Pompeij, modò Cæsaris partibus adhæresceret. *Macrobius in saturn.*

9. Honor mores mutat, non emendat.

Romanus Cardinalis Michaëlem Sacellanum, eâ spe diu aluerat; fore ut ad Pontificatum promotus (si fortuna ac Deus obtulisset) simul ipsum ad lautiorem dignitatem eveheret. Evenit, ut ex Cardinale Pontifex existeret. Igitur Michaêl promissi fidem exacturus, adest, rogat, urget, præstolatur; verùm intimas fores, & aures Domini, clausas invenit: Quocirca desperans ita foribus inscripsit.

Stat foris ante fores Michaël, dicens, quod honores
Immutant mores, rarò tamen in meliores.

10. Furtum lepidè excusatum.

Rex Franciæ Philippus, cum studiosum pauperculum Theologiæ operam dantem, cænâque à se datâ alitum, caponem raptum pallio obtegere animadverteret, accersitum rogat. Nunquid suæ Theologiæ præcepta teneat, docentis: *nolite solliciti esse in crastinum?* Omnino inquit, *hinc oblata hodie arripui, ne cras sollicitus essem.*

11. Labore eloquentia paritur.

Demosthenes interrogatus, quomodo dicendi facultatem adeptus esset? *plus*, respondit, *olei, quàm vini consumpsi.* Plutarchus.

12. Deo potius, quam homini amicus.

Cùm à Pericle amicus testimonium rei falsæ, cum juramento postularet. *Usque ad aras*, inquit, *amicus ero:* significans amicitiam superum offensioni posthabendam. *Gell. l. 1. cap. 3.*

L 3. Mu-

13. Mulier à regno exclusa Franciæ.

Carolo Pulcro Franciæ Rege mortuo, Eduaddus III. Angliæ Rex sceptrum prensabat, sed Philippus Valesius feminas, quo titulo potissimùm nitebatur, lege Salicâ excludi asserens; illud sacræ scripturæ non ineptè usurpavit *Considerate Lilia* (insigne regni sunt) *agri, quomodo crescunt: non laborant*, (ut Rustici) *neque nent*, (ut feminæ) Ita & ignobiles,& mulieres à regno illo excludendas censuit. *Æmilius*.

14. Vxoribus juncti libertatem optant.

Vir neglectæ vitæ ac conscientiæ, postquam uxori mappam aliis sublatam obtulisset; coarguit illa virum; & verò *nescis*, inquit, *beatum esse non posse, qui aliena non restituit? Fateor*, ait ille, *& te ipsam quoque parentibus cuperem restituere, ut tanto essem beatior*. Nempe *improbis paucis sua sorte contentis, ac beatis vivere, contigit*.

Argutè dicta facta.

15. Missus ad regnum, non admissus.

IOannes dux Andegavensis, Neapolitanum Regnum, quod Alphonsus jam Arragonius obtinebat, repetiturus,vexillis militaribus inscripsit, *Missus, cui nomen erat Ioannes*.Alphonsus, ut irrideret hominis vanitatem, contra inseruit vexillis oppositis: *Et sui eum non receperunt*.

16. Breve regnum tyranni.

De Mario Tyrannorum septimo dictum est, *uno illum die creatum Imperatorem, altero imperasse, tertiò amisisse imperium*. Interemptus à milite.

qui

qui percussurus, illum dixit: *Hic est gladius, quem fecisti*; fuerat enim opifex ferrarius. Ita illi & generis ignobilitatem, & tyrannidis impotentiam exprobravit; alludens ad dictum illud. Tuo gladio te jugulasti. *Trebellius Pollio.*

17. Prædæ spes delusa.

Aurelianus imperator cùm in urbem Tyanam admissus non esset, offensus juravit, *se nec canem vivum in hac urbe relicturum.* Quâ voce milites iu spem prædæ erecti, & Herodamon urbis Præfectus metu consternatus urbem tradidit. Quo tanquam patriæ proditore sublato, cum milites cædis prædæque facultatem poscerent, *canes omnes occidendos tradidit*, aliud se nihil pollicitum asserens. *Vopiscus in Aureliano.*

18. In inferno nulla redemptio.

Michaël Angelus pingendi artifex peritissimus, Romanum *Cardinalem vita minus probata inter damnatorum animas ea specie expresserat; ut nemo, cui quidem cognitus esset, virum non agnosceret.* Accessit eâ de re questum ad Pontificem Cardinalis, simulque rogatum, ut imago obliteraretur. Verùm is delusit hominem, hac responsione, *si in purgatorio esses, spem tui redimendi ex hoc loco facerem; sed nosti, quod in inferno nulla sit redemptio.* Lepida, sed & salutaris correctio. Quanquam optarem mortales omnes, ita verum averſari inferni ignem, ut ille pictum aversatus est.

CAPVT VI.

Repugnantia promiscuè usurpata.

CVm per venas Fontium singulas, ad discrimen, varietatem, copiamque observandam, deductus lector fuerit; alia quædam promiscuè suppeditare placuit, quæ post primam editionem, pro altera hac selegeram, ex autoribus quibusdam, tum priscis, in quibus Plutarchus præcipuus est; tum verò etiam neotericis, ex quibus est Gaspar Ens in libris Epidorpidum; & Quirinus Pegeus in Apophthegmatum fontibus post meam editionem primam vulgatis. Et hi quidem licet autores suos, unde hauserunt, neglexerint: mihi tamen ad illos digitum intendere placuit, quòd illius me negligentiæ jamdudum pœniteat, quâ in adversaria, sine autoribus plura retuli, quæ mea deinde solius autoritate vilescere, aut certè magnum ad fidem pondus amittere existimavi. Malui igitur hos autores recentiora exempla ex diversis scriptoribus exhibentes, quamvis quædam mihi aliunde explorata, suâ fide introducere.

Hæc verò exemplorum indistincta varietas per quatuor solum fontes universè distributa, satis ad acuendum facilitandumq; in his ingenium præsidij allatura est, jam in ceteris utcunque versato. Quòd venarum illud discrimen observare sæpe sit supervacaneum, nisi per omnem te velis varietatem effundere, aut explorare in diversis quid sit optimum. Subitò enim acutum nervosumque

ſumque dictum inveſtiganti, ſatis erit ad quatuor hos fontes, hoc eſt Repugnantia, Aliena, ſeu Diſparata, Comparata, & Alluſiones in rebus, vocibus, aut ſententiis animum circumferre. Rurſum in his exemplis multa quoque reperies moribus ſcitè formandis idonea, quæ ad civilem, religioſumque etiam cultum, in erudita diſſertatione, ac recreatione traduci poſſint; ut hujus neminem lectionis pigere queat.

§. I. Exempla Repugnantium ex Plutarcho.

1. Oratio prudentior, quàm actio.

SIramnes Perſa admirantibus quibuſdam, quod de rebus agendis prudenter diſſereret, opera verò felici ſucceſſu deſtituerentur. dixit: *orationem in ſua eſſe poteſtate; actiones ſub arbitrio Regis.* mirum igitur non eſſe, ſi quandoque diſſentiant. *Plutarchus in Apoph. Regum & Princ.*

2. Ad iniqua, nec Regibus parendum eſt.

Regibus Ægyptiorum ita æquitas olim cordi fuit: ut Iudices ipſos juramento obſtringerent; *ne Regi iniquam ſententiam flagitanti, obtemperarent.* Adeò illos Iuſtitiæ potius, quâm Regum imperio parere voluerunt: impietatis arguendos, ſi fuiſſent obſecuti. *Ibid.*

3. Benignitas Reges ornat.

Philippo Regi Macedonum, poſtquam pleroſque Græcorum debellaſſet, nonnulli ſuadebant, ut devictis urbibus præſidia imponeret. Verùm ille reſpondit: *malo ſemper benignus, quam*

tam adolebat. Tum Leonidas Pædagogus: *parcius obsecro: ubi thuriferæ regionis dominus fueris, tum hac ratione incenses.* Alexander ea denique potitus memor Leonidæ has cum munere literas misit. *Talenta aliquot thuris & casiæ tibi submitto, ut me jam thuriferæ regionis dominum factum intelligas, & sordidus erga Deos esse desinas.* Superi se vinci liberalitate non patiuntur. *Ibid.*

7. *Liberalis Rex erga Doctos & amicos.*

Alexander dispensatori mandavit, ut Anaxarcho Philosopho munus petenti, quod vellet, offerret. Qui cum *centum talenta* Philosophum poscere retulisset. *Rectè*, inquit Rex, *facit, qui intelligit se habere amicum, qui tantum dare & possit & velit.* Paris liberalitatis penè illud, quod Perillo amico dotem pro filiabus petenti, quinquaginta talenta obtulerit. Cumque is *decem sibi assereret sufficere. Tibi*, inquit Alexander, *accipere tantum sufficiat, sed mihi non sufficit dare.* Ibid.

8. *Corruptela munerum spreta.*

Cum ad Epammondam Ducem Thebarorum Diomedon navigatione difficili venisset, atque à Rege Persarum tria adferret daricorum millia. *Stultum*, inquit, *factum, tantum se suscepisse itineris, ac molestiarum, corrumpendi mei gratia. I, ac Regi tuo renuncia, gratis me ipsi amicum fore, quamdiu is Thebanis non fuerit inimicus.* Ibid.

Non longè dispar, quod Fabricius Romanus ad Pyrrhum Epirotarum Regem pro liberatione captivorum missus præstitit. Nam ut illum sibi Rex devinciret, multum auri obtulit, quod repudiavit. postero igitur die, ut belluarum terro-

rem incuteret, elephantem ipsi ignorantiâ tergo statui, atque ad barritum excitari jussit. Quod ut factum, Fabricius conversus, subridensque: *neque heri* ait, *ô Rex, me aurum tuum: neque hodie bellua perculit.* Ibid.

9. *Fides facundia potior.*

Cum M. Tul. Ciceroni Metellus Nepos objiceret: quod *plures suo testimonio reos perdidisset, quam servasset patrocinio.* respondit, *non mirum, cum plus fidei mihi sit, quam facundia.* Et sic convitium ad laudem inflexit. *Ibid.*

10. *Inter amicos dissidentes alterutrum sequi difficile:*

Cum inter Cæsarem & Pompeium civile bellum Romæ extitisset, Cicero anceps quam partem tueretur, dixit: *nosse se quem fugere, ignorare quem sequi debeat.* Erat enim illi Pompeius amicior, sed Cæsar potentior. Cum verò quidam à Cæsare ad Pompeium transisset profugus, ac præfestinatione, *se illic equum reliquisse*, diceret. *melius*, inquit Cicero, *hic equo, quam sibi consuluit:* quòd intelligeret Cæsarem rerum potiturum. *Ibid.*

11. *Stulta natio est, quæ seipsam bellis evertit.*

Idem Agesilaus, cùm suos Lacedæmonios, adversus Corinthios & Athenienses, cum magna horum clade, victoriâ potitos esse intelligeret. *tristari* hac *victoria* visus est, & auditus exclamare. *O infelix & stulta Græcia, quæ tot homines ipsa interimis, quot barbaros omnibus vincendis sufficerent!* Plut. ibid. Quod hodie de Europa Christiana non minus rectè usurpaveris.

12. In-

12. *Iustitia fortitudine potior.*

Quæsitus Agesilaus, utra virtutum præstantior esset: *Iustitia, an fortitudo?* respondit. *Fortitudo sine Iustitia nulla est: Iustitia sine fortitudine colentibus sufficit.* Ibid. in Lac.

13. *Mors bona, vitâ malâ potior.*

Agis Rex Lacedæm. ultimus ab Ephoris indictâ causâ damnatus, cùm nonnemo mortem illius, dum ad supplicium duceretur, fleret. *noli.* inquit *deplorare mortem inique damnati; sed vitam improbè damnantium.* Ibid.

14. *Vita bona Morte potior.*

Cum quidam funebri oratione *Athenienses victos* eximiis in cœlum *laudibus extulisset*, Aristo Dux Lacedæm. subjecit. *Quales igitur Lacones, qui vicerunt, quantosque viros fuisse necesse est!* Ibid.

15. *Bonus Medicus, malus Poëta.*

Cum Periander nobilis laudatissimusque Medicus poësi se impenderet, atque ineptos versus conderet. *Miror*, inquit Archidamus Lacedæm. Dux, *quod malis appellari malus Poëta, quàm bonus Medicus.* Ibid.

16. *Ingenium hominum, & indoles dispar.*

Amici Lysandri Callicratidæ classis Præfecto offerebant talenta quinquaginta, modò ipsis cujusdam inimici occidendi potestas fieret. Sed recusavit: tum improbior illo Cleander: *accepissem,* inquit, *si tuo fuissem loco: Et ego* respondit Callicratidas, *si fuissem tuo:* improbitatem illius perstringens. *Ibid, in Lac.*

17. *Virtutem exercere, non speculari sapientis est.*

Eudamidas Lacedæm. videns Xenocratem, jam grandi natu, cum discipulis philosophantem, interrogavit: *quisnam esset senex iste?* cumque responderetur, ex iis esse Sapientibus, qui virtutem quærerent: subjecit: *ecquando igitur is virtute utetur, si in illa ætate etiamnum hanc quærit.* Ibid. in Lac.

18. *Peregrinatio raros facit meliores.*

Dum nonnemo Eudamidæ objiceret, *quòd Spartani apud exteros peregrinando, patriis moribus positis, fierent deteriores.* respondit: *at hoc laudis retinere Spartanos, quod exteri, qui apud hos peregrinentur, reddantur eorum moribus meliores.* Ibid. in Lacon.

19. *Imperium sine obedientia vanum.*

Cum nonnemo ad Theopompum Lacedæm. Principem diceret. *Salutem Spartanorum hinc profectam hactenus, quod Reges haberent ad imperandum idoneos*: falleris, inquit: nam *ex eo pendet quod cives habeat promptos ad parendum.* Ibid.

20. *Contemptor contumeliarum.*

Cleomenes Spartan. Rex, cùm Archivi illi perjurium, & impietatem objicerent. *Penes vos*, inquit, *est, ut mihi malè dicatis: penes me, ut malè vobis faciam.* Ibid.

21. *Spreta legatorum longa oratio.*

Cum apud eundem Cleomenem Legati Samiorum prolixa oratione usi essent, ita eam rejecit. *priorum*, inquit, *non memini, media non satis intellexi, ultima non probantur.* Ibid.

22. *Necessitas quævis non excusat.*

Cleomenes Prædonem maritimum interceperat, quem dum ad pœnam vocaret., is hac se ratione

tione tuebatur. *Non habuisse milites stipendia ad victum necessaria : ab habentibus autem impetrari non potuisse, ut ultrò deferrent : itaque se coactum ab iisdem accipere.* Ad hæc Cleomenes, *compendiosa*, inquit, *usus malitia es.* Poterat enim negotiatione aliisque mediis non illicitis, verùm plus laboris temporisque requirentibus, subveniri. *Ibid.*

23. *Aliud sanus, aliud æger sentit.*

Cleomenes sanus ridebat illos, qui Lustratores & Ariolos in morbis adhibebant: æger tamen denique eosdem ipse adhibuit. Quod cum amicus miraretur factum. *Quid,* quærit, *miraris ? non sum idem qui antea : mutatus itaque etiam muto sententiam.* Ibid.

24. *Æmulum habere prodest.*

Cur Archivi rebellantes sæpius à Spartanis victi essent, atque opprimi prorsus potuissent : nonnemo ex Cleomene quærebat: *cur Archivos penitus non delerent ? Ne*, inquit, *desint, qui juventutem nostram ad bella exerceant.* Ibid.

25. *Pro patria mori gloriosum.*

Cùm Leonidas Spartan. Dux sexcentos adversus aliquot centena millia Persarum duceret, angustias Thermopylarum defensurus, & sibi suisque moriendum videret; dicentibus Ephoris: *paucos admodum tecum educis:* respondit, *sat multos se ducere ad hoc, quod acturi essent.* nempe ad mortem Quare & milites monuit, ut *ita pranderent, tanquam apud inferos cœnaturi.* Cum quendam servare cuperet, ut eximeret prælio, scytalam illi dedit, ad Ephoros deferendam. Verùm ille, animadverso consilio: *Veni*, inquit, *ut miles tecum in*

exercitu, non tabellarius essem. Tantæ erat mori pro patria gloriæ. *Plut. in Apoph. Lac.*

26. *Sacrificia exigui sumptus sint frequentia.*

Cum ad contemptum Deorum vergere crederent nonnulli, quod Lycurgus exigui sumptus constituisset sacrificia: *ad honorem*, inquit ille, *majorem est. nam exigua volui, ne unquam venerari Deos cessemus.* Ibid.

27. *Injuria cunctanter vindicanda.*

Cum Pausanias Rex Laced. ab exulibus Atheniensium stimularetur ad bellum illis inferendū, eò quod ipsum in Olympicis victorem irrisissent. *Tanto minus*, inquit, *expedit; nam si non læsi, sed beneficio, affecti ludibrio me habuerunt, quid læsi non audebunt?* Ibid.

28. *Lex imperat omnibus.*

Interrogatus Pausanias, *cur de jure Laconum antiquo nihil liceret convellere? Quia*, inquit, *legum in viros, non virorum in leges debet esse autoritas.* Ibid in Lac.

29. *Nec vir mulieri, nec hæc viro sit similis.*

Pædaretus Lacon, cum audiret quosdam adolescentem natura mollem, ob mores placidos, laudare: dixit, *neque viros mulierum, neque mulieres virorum similes rectè laudari.* Ibid.

30. *Legatis impetrare honorificum.*

Polycratidas Lacedæm. cum aliis ad Regis Pers. præfectos missus, cum interrogatus esset, *privatimne, an publicò veniret nomine?* respondit, *si consequimur postulata, publicè adsumus: si repulsam patimur, privatim.* Ibid.

31. Me-

31. *Modestia minus potentes decet.*

Cum Thebanorum nonnulli apud Lacones, ob natam controversiam, gravioribus uterentur verbis, Lacedæmonij responderunt: *aut modestiores vos esse animis convenit; aut majorem esse potentiam.* Plut. in Lac.

32. *Scelus pœna dignum.*

Quidam ad supplicium à Lacedæmoniis abstractus, cum *se nolentem deliquisse* diceret, subjecit Lacon: *igitur & nolens pœnas dabis.* Ibid.

33. *Honesta norunt plures, quàm agunt.*

Senex ad Panathenæa serius veniens, Athenis, ab Atticis locum negantibus delusus, cùm ad eos qui Lacedæmone spectatum venerant accederet, hi certatim surgentes locum dabant, magno populi applausu. Tum Spartanus quidam subjecit: *Mecastor Athenienses norunt quid honestum sit, sed non agunt.* Plut. in Lac.

§ 2. Exempla Repugnantium ex Gaspare Ens.

1. *Originem sui generis scrutari vanum est.*

Maximiliano II. Imper. quidam scriptorum suam, in genealogia Austriacorum ab origine diducenda operam obtulit, ut honorem familiæ (quòd ajebat) illustraret. Verùm Imperator, hunc sibi delatum honorem rejecit. *metuendum enim,* inquit, *ne si altius scruteris, in rusticum, aut sutorem incidas, & pro gloria ignominiam reponas.* Ens l. 1. Epidorp.

2. *Et prodest humilem ortum intueri.*

Dux fortissimus Bajazetis Imperatoris Turc. Isaacus à ligone per arma ad summos provectus honores, ligonem domi inter sua pensilem insignia sæpe oculis filiorum ingerebat, cum hoc monito. *Ecce Originem vestram: comparate sortem præteritam cum præsenti, & hac vos dignos vestra facite virtute; ne posteri huc redeant, unde pater egressus est.* Ens lib. 1.

3. *Adolescentis generosi indoles.*

Iacobus Almansor Africæ Regis Abigvalid filius, cùm elegans patri gladius oblatus esset in conventu procerum, quem tamen justo breviorem omnes dicerent, ipse arrepto gladio, strictoque: *nulla*, inquit, *arma homini forti nimis brevia sunt:* simulque prolato pede dextero, *hoc*, ait, *modo supplebitur, quod longitudini deest.* Quo dicto recreatus pater, amplexusque filium, verbis Philippi Regis ad Alexandrum exclamavit. *Macedonia te non capit.* & appendens lateri ensem: *non alium*, inquit, *hic decet, quàm cui perfectissimus visus est.* Et sanè præconium patris grandior explevit filius, Hispaniæ denique trans mare dominatus. *Ens lib. 1.*

4. *Rex idem opportunè remissus, & gravis.*

Fridericus II. Daniæ Rex præter multas virtutes regias, gravitatem comitate tam egregiè temperabat, ut nec majestas odium, nec humanitas pareret contemptum. Ergo dum relaxandus esset inter familiares animus, velut deposita Regis persona: *agite*, inquit, *ludamus, & solvamus liberè animum, dum Rex hinc abest.* Ita lusu jocoque,

tanquam unus è vulgo, indulgens: cùm satis visum fuit, mox vultu moribusque ad gravitatem revocatis, *Ohe*, inquit, *satis est, jam Rex iterum adest*. Quo dicto, omnes debita veneratione adstabant. *Ibid.*

5. Civitas rusticis, hi civitate egent.

Vrbinates consultatione habita decreverant, *rusticis domos in urbe concedendas non esse*: ac Fridericum Comitem, pro ejus decreti confirmatione ac promulgatione, adière. Comes laudata civium cura, unum, inquit, priusquam decretum promulgetur, *scire velim, quid respondendum sit rusticis, si vicissim hi à me postulent, decretum aliud; ne civibus prædium aliquod extra urbem possidere liceat*. Vt enim civitas civium, sic rus esse rusticorum locum proprium. Hoc audito confusi abierunt. *Ibid.*

6. Cautè obsessis erumpendum.

Bernabove è familia Mediolanensium Vicecomitum Bononiam obsidente, cum Rodolphus nunquam cum suis erumperet, fortè insidias erupturis paratas intelligens, ideóque Bernabos istius consilij causam per aliquem captivum sciscitaretur, respondit: *Propterea Rodolphum non egredi, ne Bernabos cum suis ingrediatur.* Idem si in Fridericopoli ante biennium Dani considerassent, Vrangelius cum Suecis ingressus pro illis non esset. *Ibid.*

7. Par donum, sed imaginarium in titulis.

Vt Romanus Pontifex hodiedum titulos episcopatuum Orientis distribuit, possessione nunquam tradita; ita quondam Sancium Hispaniarum

rum Regis fratrem, exercitus Christiani adversus Saracenos ducem, *Regem creavit Ægypti*, populo passim acclamante, *vivat Rex Ægypti Sanctus*. Hic igitur, ut magis etiam ludicra solennitate gratus esset Pontifici, & par pari rependeret: Pontificem proclamari fecit, *supremum totius Ægypti & Babyloniæ Calipham*, hoc est, sacrorum præsulem. Ita titulis imaginariæ dignitatis lepidè concertatum est. *Ibid* l. 1.

8. *Ad dandum facilis habetur excusatio.*

Ad Tarquinium Abbatonium, militum Ducem in lectulo cubantem, nonnemo militum anhelans mæstusque accedens, interrogat: *Quid agis, Dux optime, an dormis?* Cui Tarquinius: *cur id rogas?* Ah inquit ille, *infelix ludendo pecuniam amisi, hanc ut recuperem, obsecro decem mihi ducatos tantisper commodes.* Tarquinius ad hæc reclini cervice, oculisque conniventibus; *abi*, ait, *jam enim dormio.* nolens militi dare, quod pari casu amitti posset. *Ibid* l. 2.

9. *Primas ferè obtinet, qui dat plurimum.*

Florentiæ in legendo magistratu, cum amicus Laurentio Mediceo Duci commendaret quendam, valde ut ajebat futurum obsequentem; *quod uno vini oblati cantharo quocunque deduci posset.* Tum Laurentius: *quid igitur me futurum est, si quis alius binos illi vini cantharos offerret?* Ibid l. 2.

10. *Bonorum dilapidator in carcere argutus.*

Franciscus Seminata Italus, magna bonorum parte lusu dilapidata, à Prætore in custodiam datus est. Hanc ille correctionem ægrè sustinens: *Durus*, inquit: *Prætor carceri me inclusit, quod bo-*

na

na mea dilapidarim; quid mihi fuisse facturum creditis, si ipsius ego res dilapidassem? Qui jocus adeo Prætori gratus fuit, ut plenæ eum libertati redderet. *Ibid l.3.*

11. *Patria contemptor explosus.*

Perettus Mantuanus acutus Philosophus à popularibus alienior, Mantuanos natura esse stupidos asserebat. Vnde auditorum nonnemo subjecit. *Absit*, inquit, *ut verum loquaris, nisi tu fortè ex illis nothus sis.* Quo dicto hominis temeritatem castigavit. *Ibid l. 3.*

12. *Vitia corporis non facile exprobranda.*

Motta vir eruditus summo Pontifici, ex legatione habita quæ evenissent, referens, cum altero careret brachiorum, ideoque à Cardinale minus prudente sæpius de altero brachio (ubinam illud esset?) interpellaretur; subjecit denique, *non omnibus natura largitur omnia: aliis pedes: aliis brachium; aliis etiam cerebrum integrum negavit.* Quo dicto Cardinalis stoliditatem notavit. Ib.l.2.

13. *Libertas in Conciliis loquendi danda.*

Cum in Concilio Constantiensi, Sigismundo Imperatore præsente, morosus quispiam quereretur: *non licere illa, quæ quilibet sentiret, liberè istic eloqui.* excepit Imperator: *nisi hoc liceret; tam profectò liberè hæc non esses prolocutus.* Ib.l.2.

14. *Religiosi facilius, quàm alij carpuntur.*

Agebatur apud eundem de statu Ecclesiastico reformando, cum nonnemo, à Religiosis quibusdam Franciscanæ familiæ alienior, dicebat; *à Minoribus reformationem inchoandam esse.* Tum Rex: *magis*, ait, *convenit, ut à majoribus.* His enim

ad

ad rigorem vigoremque priſtinum reductis, facilè alij conſequentur. *Ib. l. 2.*

15. *In libris vita eſt.*

Ludovicum Dulcem à muſæo & libris nonnemo his vocibus provocabat: *Quid tamdiu inter mortuos lates, quin prodis ad vivos? Falleris*, reſpondit ille, *à vivis me ad mortuos evocas: hi enim libri fama & eruditione vivunt; vos toti ad mortem properatis, quorum tale nihil poſt fata relinquitur.* Vivat igitur, quiſquis poteſt, diù multumque, cui hæc vita ſemel conceſſa eſt. *Ib. l. 2.*

16. *Tyranno quævis cauſa ad nocendum ſufficit.*

Caſtrutius remp. Lucenſem magna tyrannide opprimebat, atque in his etiam Quartigianæ familiæ homines ſibi deditos. Quare monitus: *ita veteres amicos tractandos non eſſe, ne brevi omnes experiatur inimicos:* reſpondit, *non in illos, ut amicos ſe veteres, ſed ut novos inimicos animadvertere.* Ita Luparum quoque virum omnium exiſtimatione bonum prudentemq; facultatibus exutum, miſit in exilium, dicens: *non prudentiam, ſed avaritiam Lupari plexui: qui poſtquam oſtendit ſibi majoris eſſe pecuniam, quàm meam ſalutem: me quoque pecuniam Lupari ipſo Luparo pluris facere conveniebat.* Ib. l. 2.

17. *Cur ſenes avari?*

Simonides interrogatus, cur extrema in ſenecta avarè ſtuderet cumulandis opibus; *Quia*, reſpondit, *malo moriens inimicis aliquid relinquere, quam vivens carere amicis.* Ens Epid. l. 3.

18. *Medici ſucceſſibus ſuis felices.*

Theodorus Cyreniacus felices eſſe *Medicos* aſſere-

ferebat, ut *quorum prosperos successus sol videret, adversos terra obtegeret.* Alteri eadem artis felicitate glorianti. *Verè*, inquit, *felix es, qui tam multos sustulisti, neque unquam dedisti homicidij pœnas.* Id. l. 3.

Philemon ait. *Tum malè habet Medicus, cum malè nullus habet.*

§ 3. Exempla Repugnantium ex Quirino Pegeo.

1. *Orandum pro seipso primum.*

CUm mendicus à Ioanne Arlotto eleemosynam accepisset; ut se hic gratum ostenderet. *Deum*, inquit, *sedulò pro te precabor: At* respondit ille, *pro te primum id seriò praestes: nam opis magis videris esse indigus.* Quirinus Pegeus p. 1. Apoph. font. 5.

2. *Proditio amatur, non proditor.*

Ioannes Rex Castiliæ munimentum Arienza à quodam sibi ultro dedente hanc arcem acceperat: cumque deinde, pro gubernatore arcis constituendo, suscepta esset deliberatio, & prior iste gubernator sibi tradi peteret, eo quod Regi promptè illam cessisset; *hac*, respondit, *de causa tibi minime relinquendam puto: non enim traditorem, sed defensorem quæro.* Quirinus Pegeus 1. p. Apoph. n. 691.

3. *Defensor urbis parum virilis.*

Chikvvitus Rex Maurorum, cùm Granatâ deditâ cedere cogeretur, in lacrymas solutus flevit: quod

quod Mater intuita, dixit. *Rectè fles urbem deditam, ut mulier, quam ut Vir tueri non potuisti.* Ibid. 692.

4. *Discrimen Sapientis & Stulti.*

Quidam inter Sapientes & Stultos hoc esse discrimen dixit, *quod illi somniarent noctu: hi interdiu.* Nonnemo alius haustum vini liberalem esse sensit, qui discrimen tolleret. hoc enim sumpto etiam Sapiens delirat. *Ibid.* 693.

5. *Duellatores ad pugnas inepti.*

Ferdinandus Marchio d'Auala generosus miles, *qui maximè pugnaturirent*, & prompti ad duella profilirent, hos tanquam iræ inconsultæ & impotentes, *minime dicebat esse pugnæ*, & constanti militiæ, *idoneos*: quòd hæc præsentes fortium virorum animos requirat, quos præceps ira non patitur. *Ibid.* 696.

6. *Vivere plerisque dulce est.*

Maleficii cujusdam accusatus, hoc quod in catasta fatebatur, solutus rursum negabat. Monitus verò, ut fatendo sibimet parceret. *Satius* inquit *est, ex brachiis sæpius: quam ex collo semel suspendi.* Ibid. 699.

7. *Non solâ doctrinâ regitur resp.*

Cum Florentiæ regimen ab optimatibus ad populum delatum esset. Evenit, ut ex nobilitate quispiam sartorem suum per ludibriũ interrogaret: *qua schola sartores ad regendam urbem instituerct? Perfacile*, inquit sartor, *nobis erit urbem regere: nam si contraria illis, quæ vos egistis, sequamur, bene illam moderabimur.* Ibid. 702.

8. Hoc

8. *Hoc quisque curet, quod potest.*

Princeps Mauritius Nassovius, cùm in Hollandia instruxisset spectabilem contra hostes aciem; ex Morione suo quærebat. *an suam tantisper personam in militia sustinere velit ; se illius acturum interea? Non convenit*, ait Morio: *nam perinde tu ad agendum Morionem, quam ego ad Archistrategum ineptus sum. Perstemus itaque in officiis, ne utrumque Hollandi dimittant.* Ibid.715.

9. *Lucrum honestum præstat utili.*

Cum Advocatus gloriaretur apud vicinum: *quod plures uno die ducatos, quam ipse sestertios in lucro numerare possit.* Hic respondit: *hoc tamen discrimen esse, quod sibi ex veritate hoc lucrum, ipsi ex mendaciis proveniat.* Ibid.720.

10. *Mendacia vitanda.*

Hoc Arabes suo nos docent proverbio. *qui famam habet veracis, illius mendaciis etiam fides habetur: qui mendacis, hujus veritati quoque non creditur.* Ibid.727. Persæ tradunt. *præstare, ut benefaciendo male audias, quam male faciendo audias bene.* Cum quo tamen non consistit politicum illorum monitum *Mendacium, quod pacem adferat, melius esse veritati. quæ pariat bellum.* Ibid.

11 *Quod pauperi datur, servatur.*

Ioannes Polus Senensis in pauperes adeò profusus, ut amici hortarentur, ne se universis exueret. Verùm moriens hoc scriptum reliquit. *quod egenis distribui, hoc solum nunc meum est: quod reliqui, hoc totum amisi.* Ibid.736.

12. *Curiositas auditores habet.*

Bononiæ concionator, cùm paucos haberet audi-

auditores, significavit, sibi apparuisse proximâ nocte Diabolum, qui mira nuntiasset, de quibus proximâ concione dicturus sit. Affluxit igitur urbs tota. Tum orator, *sæpe vobis Dei verbum exponere conatus sum; cum pauci adfuistis: nunc verò adestis frequentes, cum Dæmonis vobis figmenta nuntianda credidistis. Ergóne Dæmon vobis Deo est gratior?* Ibid. 769.

13. *Docti nobilibus prælati.*

Carolus Magnus, cùm Parisiis ipse Scholasticis exercitationibus interesset, & ignobiles quosque doctiores comperisset ceteris. his ab aliis semotis, inquit: *agite, & hoc pede insistite bonis artibus: vobis nobilissima regni officia deputo. Vos autem nobilitatem sine literis amplexos, ignobilium more patiar sordescere, ac justa indignatione opprimam.* Ibid. 773.

14. *In quo vita felix consistat.*

Ægidij Abbatis hæc documenta sunt. *Iactura temporalium lucrum tuum est. Vt bene videas, claudendi sæpe sunt oculi; ut rectè audias, sæpe aures obseranda. Si tibi mortaris, christianè victurus es. Vt bene comedas, jejunandum; ut bene quiescas, vigilandum est.* Ibid. 792.

15. *Satellitum iter præposterum.*

Quærebat Mater ex filio satellite cujusdam Principis facto. Quemadmodum tecum agitur? *in mala*, respondit, *via sat bene: at in bona sat male: illic enim dum meus Princeps tarde rhedâ incedere cogitur, facilè eum assequor. sed in planâ antevertor, & ægrè consequor.* Ibid. 808.

16. *Prin-*

16. *Principis Hispani fastus.*

Dux de Noiara magno fastu apparatuque Carolum V. Imperatorem invisebat. At Cæsar dicebat; *non venit Dux ille, ut nos videat; sed ut à nobis videatur.* Ibid. 822.

17. *Patriæ libertas Principis saluti præposita.*

Cum Ioannes Lucernensis præfectus arcis Sigenhemium in Hassia tueretur, & Cæsariani Landgravio capto, nisi arcem ipse dederet, exitium minarentur; respondit: *arcem in suis , Principem in manibus illorum esse de utrisque quemque constituere posse.* Denique cum ipse Landgravius juberet pandere: dixit, *Non posse se mandata illius, quæ liber dedit , negligere : & amplecti quæ det captivus.* Ibid. 1759.

18. *Docti potissimum aulæ præsidium.*

Ioannes Casimirus Princeps elector palatinus dicere solitus est, *plus se unius docti calamo , quàm decem indoctorum gladio posse.* Nobilitatem doctam duplici honoris prærogativa ornandam censebat. Ibid. 1761.

19. *Ptinceps legendo instruitur.*

Cum Morio Principem satis dissolutum, & admonitionis impatientem , librum opportunum volvere cerneret. *Age*, inquit, *hunc mutum audi, is tibi veritatem longè certius enuntiabit, quam omnes aulici, qui os oblinunt.* Ibid. 1765.

20. *Levitas feminis objecta, & diluta.*

Cuidam sæpius maritatæ , hæc mutatio objiciebatur. *Cum Deus*, inquit illa, *non desinat priores maritos tollere : cur ego desinam novos acquirere?* Ibid. 1792. Alteri exprobratum , quod meretrix esset,

effet, à turpi femina. *Non ſum talis* inquit, *qualis tu eſſe cuperes, & eſſe* (ob deformitatem) *non potes: ego poſſum, & non volo.* Ibid. 1794.

21. *Cura terrenarum cœleſtem aufert.*

Dux Caroli V. Albanus Saxoniæ Principem juxta Ingolſtadium gravi clade profligaverat; quē cum deinde tranſeuntem Galliam Rex Franciſcus ſciſcitaretur: *nunquid in dicto prælio duo in cœlis ſoles comparuiſſent? Neſcio*, inquit, *nam adeo occupatus eram in terris, ut cælos non obſervaverim.* Ibid. 1800.

22. *Plura neſcimus in hac vita.*

Ita quidam alteri pluſculum ſibi ſcientiæ vendicanti, inquit, *ſi illa ſcirem, quæ tu ignoras, doctiſſimus mortalium futurus eſſem.* Pegeus p. 2. n. 3632.

23. *Potatoris naſus purpureus.*

Contraxerat, ex multo vini uſu, quidam colorem in naſo purpureum. cum nonnemo ſuam certo pretio addicebat operam ad nativum colorem reducendum. Verùm potator hunc aſpernatus. *magnis*, inquit, *hunc naſi colorem impenſis comparavi: ut ſtultus futurus ſim, ſi novis hunc mihi impenſis tollam.* Ibid. 3636.

24. *Sanitatis bonum primum.*

Fridericus III. Imper. cum pedem gangræna correptum reſecari vellet: ſanitatis in morbo æſtimator egregius, *felicior*, inquit, *eſt ruſticus ſanus, quàm æger imperator.* Ibid. 3679.

25. *Ex humili magnus.*

Ioannes X. Pontifex ex humili genere ad ſummam dignitatem evectus, in annulo pretioſum fulgentemque lapidem, pro ſymbolo uſurpavit,

cum

cum lemmate: *Tunc gutta, nunc gemma.* Cum ex aquæ guttis ſole cooperante coaleſcant. *Pegeus* p. 2. n. 3816.

26. *Punita perfidia.*

Ludovicus Burgundiæ Dux contra Rom. Cæſarem arma ſumpſerat, ſed illo eventu terminata, ut victus ipſe captivuſque libertatem denique, illa lege, conſecutus ſit: ne deinceps rebellaret. Sed audacia & ſpes nova ſucceſſus hominem ad arma & perfidiam convertit. exitu quam antea infeliciori: nam ſuperatus bello captuſque utroque lumine orbatus eſt, atque hæc illi in fronte ab aure una ad alteram ducta inſcriptio: *hunc ſervavit clementia, & perdidit perfidia.* Ex Fulgoſo Pegeus n. 3823.

27. *Vitæ longæ apprecatio.*

Clementi VIII. electo horologium oblatum eſt, indice ad primam horam directo, cum lemmate: *ſemper prima, nunquam ultima*, tibi fluat hora. Ibid. 3825.

28. *Mors omnibus imminet.*

In ſceptro Caroli V. maſculus ſtabat, cum tabella, cui inſcriptum, *Sto*: ſed pedem ſtatuæ admordebant mures gemini (diem noctemque ſignantes) cum lemmate, *jacebis.* Clotarius Cæſar ex tribus philoſophis ſciſcitabatur; quo potiſſimum ſymbolo vita hominis exprimenda ſit. primo flos caryophyllum placuit, qui licet gratiſſimus, tamen limace tactus exareſcit. adſcribi voluit. *Tales opes memento pereunt.* Alteri phœnix volucris, qui longam vitam, & infeſtam avibus ceteris, denique in rogo abſolvit: cum lemmate,

tantorum laborum mors stipendium. Tertio naufragus placuit, supra quem Aquila cùm Anchora, & epigraphe juncta: *Domine, ad te sunt oculi nostri.* Hæc ille. Verùm in Orphei sepulchro scitè erat cithara posita, cum voce, *lusit.* Persarum illud familiare, cum solis imagine, lemma fuit, *orietur.* Ibid. n. 3830. & seq.

29. *Regnum mundi anceps & breve.*

Alphonsus Rex Arragoniæ coronæ regiæ inscribi voluit: *artifex cudit; Deus ludit, imponendo, deponendo.* Coronæ appensus, in forma pomi, Smaragdus erat, cum verbis: *æstate prodor, autumno probor, hieme pereo.* In medio coronæ manus ex tenui filo pendulum gerebat orbem, & inscriptio juncta erat: *tenui pendentia filo.* Ibid. 3837.

30. *Rex nuces relinquit.*

Ludovicus XIII. adolescens perquam addictus vixit avibus, sed ut primum regnum aggressus est, has à suis curis in libertatem remisit, dicens: *jam aliquid supra aves cogitandum est.* Id. n. 4979.

31. *Militis sepulti epigraphe*

Hic jacet miles,
à quo nemo occisus jacet.
In prælio maximè expeditus;
Sed ad fugam.
Magna laude contentiones aversatus est,
Pro gladio, & clypeo usus sæpe patientiâ est.
Ad spolia tardius, prinsquam nosset prædari,
Fame extinctus est.

Vt vult Deus veniunt militibus opes; ut vult Diabolus, abeunt. Huic, inquit Hispanus quidam, *preda*

cedit

cedit potissima, quando & anima ipsi pro vectura solvitur. Pegeus in Apoph.n.583.

32. *Hospes hospitem injuria arguit.*

Hospitem nonnemo *furem arguit, quòd plus quàm deberetur, exigeret. Erras,* respondit ille, *furis hospes sum, qui minus, quàm debeatur, solvat.* Id.n.584.

33. *Laus malè collocata.*

Alium nonnemo sociorum arguit, quod *sapius mentiretur. Fateor* respondet comes, *nam sæpe te immerentem laudavi.* Ib.593.

34. *Promissa fides sine fide.*

Promisit nonnemo alteri, *quod ipsius religionem acceptare vellet:* exigenti verò promissum, respondit, *Facturum se omnino si tamen ipse prius amplecteretur suum.* Ib.594.

35. *Ars fallitur arte.*

Rusticus à Procuratore suo petiit, ut efficacissima sibi in litibus vincendis verba suggereret, duos illi anseres pollicitus. Cumque hæc docuisset, *Domine, non est verum,* constanter illa usurpavit; etiam cum Procurator suos Anseres peteret; ut difficilis illi esse probatio, & sua jam arte teneretur. *Id.*n.596.

36. *Laus ex genere inanis.*

Cum Sostratum calumniator vituperaret, quod ignobili esset genere oriundus. *Hoc,* ait, *ex capite me laude, te vituperio dignum censeo; quòd hunc locum virtute mea sine nobilitate originis obtineam, quem tu, sine virtute tua, sola nobilitate es assecutus.* Id. 615.

37. *Germani artifices, sed sæpe madidi.*

Antverpiæ Hispanum mercator ad mensam invitaverat, cum rara illi arte elaboratos tapetes, pocula atque id genus opera proponeret. *Mirum,* ait Hispanus, *tantum ingenij in Germanis reperiri, cum adeo potui addicti sint.* Cui Mercator respondit, *ex vino poto Germani ingenium hauriunt: vos Hispani illud in aqua haustâ submergitis.* Id. 5618.

38. *Constantia non in malo, sed bono est.*

Quando Ioannes Pistorius ad orthodoxam Rom. Ecclesiæ religionem, à Novatoribus Constantiæ accesserat, horum unus Ioannes Pincer sic in illum lusit:

Pistorius Constantiæ fixisse sedem dicitur.
Sedem malim Constantia fixisset in Pistorio. Ib.

Verùm paulò inflexum esse convenit, ut verum sit.

Pistorius Constantiæ, cùm sedem quondam figeret,
Tum cœpit & Constantia, se figere in Pistorio.

39. *Nocere non est virtutis.*

Dignum memoria apud Reusnerum pronuntiatum est. *Vt summæ stultitiæ est nocere velle, cùm non possis: ita summæ Sapientiæ, cùm possis, non velle.* Ib. Huic affine alterum est. *Felix ille, qui nullum habet inimicum, felicior, qui nulli est; felicissimus, qui cum hostem habet, potest sustinere; cum ipse est, potest ignoscere.*

40. *Divites surgunt, jacent inopes.*

Pecunia dat sapientiam stulto, nobilitatem ignobili, formam turpi, eloquentiam rudi, existimationem vili, famam ignoto, obsequium deserto,

ſerto, gratiam ſpreto. Contra *inopia* ſapienti, ignobilitatem nobili &c. Ib. p. 2. f. 8.

41. *Jejunium verum & fictum.*

Quidam jactabat; *quòd à mane ad veſperam uſque jejunare poſſet*: Tum alter *nihil hoc mirum, nam indies tantundem præſto, qui à veſpera ad matutinum tempus jejuno.* Ib.

42. *Religio bello malè propagatur.*

Dum hiſce temporibus pro Religione bellum in Germania ſuſceptum erat, quidam ſcitè dixit. *Dum religionem hoc bello quærimus, illam ubique evertimus.* Ib.

43. *Mutua convitia.*

Quidam alterum hominem procerum acerbè perſtringens: *tam magnum* inquit, *ſtultum non vidi hactenus.* Cui alter; *hactenus igitur uſus ſpeculo non es.* ut ſcilicet teipſum videres. Ib.

Cum quidam Principis Conſiliarius ad ſui defenſionem honoris adferret, *quod perſona eſſet publica.* repoſuit alter, & *talis quoque eſt uxor tua.* levitatem ipſi conjugis exprobrans. *ibid.*

CAPVT VII.

Alienata promiſcuè uſurpata.

NObiliſſimus hic fertiliſſimuſque fontium eſt, cui principatus meritò inter Argutiarum luſus tribuitur. In hoc etiam plus ingenij felicitatiſque in reperiendo eminet. Cum Repugnantia, ex ipſa rei cujuſque natura inſpecta, haud magna

2. Et prodest humilem ortum intueri.

Dux fortissimus Bajazetis Imperatoris Turc. Isaacus à ligone per arma ad summos provectus honores, ligonem domi inter sua pensilem insignia sæpe oculis filiorum ingerebat, cum hoc monito. *Ecce Originem vestram: comparate sortem præteritam cum præsenti, & hac vos dignos vestra facite virtute; ne posteri huc redeant, unde pater egressus est.* Ens lib. 1.

3. Adolescentis generosi indoles.

Iacobus Almanfor Africæ Regis Abigvalid filius, cùm elegans patri gladius oblatus esset in conventu procerum, quem tamen justo breviorem omnes dicerent, ipse arrepto gladio, strictoque: *nulla*, inquit, *arma homini forti nimis brevia sunt:* simulque prolato pede dextero, *hoc*, ait, *modo supplebitur, quod longitudini deest.* Quo dicto recreatus pater, amplexusque filium, verbis Philippi Regis ad Alexandrum exclamavit. *Macedonia te non capit*, & appendens lateri ensem: *non alium*, inquit, *hic decet, quàm cui perfectissimus visus est.* Et sanè præconium patris grandior explevit filius, Hispaniæ denique trans mare dominatus. *Ens lib. 1.*

4. Rex idem opportunè remissus, & gravis.

Fridericus II. Daniæ Rex præter multas virtutes regias, gravitatem comitate tam egregiè temperabat, ut nec majestas odium, nec humanitas pareret contemptum. Ergo dum relaxandus esset inter familiares animus, velut deposita Regis persona: *agite*, inquit, *ludamus, & solvamus liberè animum, dum Rex hinc abest.* Ita lusu jocisque,

tan-

tanquam unus è vulgo, indulgens: cùm satis visum fuit, mox vultu moribusque ad gravitatem revocatis, *Ohe*, inquit, *satis est, jam Rex iterum adest*. Quo dicto, omnes debita veneratione adstabant. *Ibid.*

5. Civitas rusticis, hi civitate egent.

Vrbinates consultatione habita decreverant, *rusticis domos in urbe concedendas non esse*: ac Fridericum Comitem, pro ejus decreti confirmatione ac promulgatione, adière. Comes laudata civium cura, unum, inquit, priusquam decretum promulgetur, *scire velim, quid respondendum sit rusticis, si vicissim hi à me postulent, decretum aliud; ne civibus prædium aliquod extra urbem possidere liceat.* Vt enim civitas civium, sic rus esse rusticorum locum proprium. Hoc audito confusi abierunt. *Ibid.*

6. Cautè obsessis erumpendum.

Bernabove è familia Mediolanensium Vicecomitum Bononiam obsidente, cum Rodolphus nunquam cum suis erumperet, fortè insidias erupturis paratas intelligens, ideóque Bernabos istius consilij causam per aliquem captivum sciscitaretur, respondit: *Propterea Rodolphum non egredi, ne Bernabos cum suis ingrediatur.* Idem si in Fridericopoli ante biennium Dani considerassent, Vrangelius cum Suecis ingressus pro illis non esset. *Ibid.*

7. Par donum, sed imaginarium in titulis.

Vt Romanus Pontifex hodiedum titulos episcopatum Orientis distribuit, possessione nunquam tradita; ita quondam Sancium Hispaniarum

rum Regis fratrem, exercitus Christiani adversus Saracenos ducem, *Regem creavit Ægypti*, populo passim acclamante, *vivat Rex Ægypti Sanctus.* Hic igitur, ut magis etiam ludicra solennitate gratus esset Pontifici, & par pari rependeret: Pontificem proclamari fecit, *supremum totius Ægypti & Babyloniæ Calipham*, hoc est, sacrorum præsulem. Ita titulis imaginariæ dignitatis lepidè concertatum est. *Ibid* l. 1.

8. *Ad dandum facilis habetur excusatio.*

Ad Tarquinium Abbatonium, militum Ducem in lectulo cubantem, nonnemo militum anhelans mæstusque accedens, interrogat: *Quid agis, Dux optime, an dormis?* Cui Tarquinius: *cur id rogas?* Ah inquit ille, *infelix ludendo pecuniam amisi, hanc ut recuperem, obsecro decem mihi ducatos tantisper commodes.* Tarquinius ad hæc reclini cervice, oculisque conniventibus; *abi*, ait, *jam enim dormio.* nolens militi dare, quod pari casu amitti posset. *Ibid l.* 2.

9. *Primus ferè obtinet, qui dat plurimum.*

Florentiæ in legendo magistratu, cum amicus Laurentio Mediceo Duci commendaret quendam, valde ut ajebat futurum obsequentem; *quod uno vini oblati cantharo quocunque deduci posset.* Tum Laurentius: *quid igitur me futurum est, si quis alius binos illi vini cantharos offerret?* Ibid l. 2.

10. *Bonorum dilapidator in carcere argutus.*

Franciscus Seminata Italus, magna bonorum parte lusu dilapidata, à Prætore in custodiam datus est. Hanc ille correctionem ægrè sustinens: *Durus*, inquit: *Prætor carceri me inclusit, quod bo-*

na mea dilapidarim; quid mihi fuisse facturum creditis, si ipsius ego res dilapidassem? Qui jocus adeo Prætori gratus fuit, ut plenæ eum libertati redderet. *Ibid l. 3.*

11. *Patriæ contemptor explosus.*

Perettus Mantuanus acutus Philosophus à popularibus alienior, Mantuanos natura esse stupidos asserebat. Vnde auditorum nonnemo subjecit. *Absit*, inquit, *ut verum loquaris, nisi tu fortè ex illis nothus sis.* Quo dicto hominis temeritatem castigavit. *Ibid l. 3.*

12. *Vitia corporis non facile exprobranda.*

Motta vir eruditus summo Pontifici, ex legatione habita quæ evenissent, referens, cum altero careret brachiorum, ideoque à Cardinale minus prudente sæpius de altero brachio (ubinam illud esset?) interpellaretur; subjecit denique, *non omnibus natura largitur omnia: aliis pedes: aliis brachium; aliis etiam cerebrum integrum negavit.* Quo dicto Cardinalis stoliditatem notavit. Ib. l. 2.

13. *Libertas in Conciliis loquendi danda.*

Cum in Concilio Constantiensi, Sigismundo Imperatore præsente, morosus quispiam quereretur: *non licere illa, qua quilibet sentiret, liberè istic eloqui.* excepit Imperator: *nisi hoc liceret; tam profectò liberè hac non esses prolocutus.* Ib. l. 2.

14. *Religiosi facilius, quàm alij carpuntur.*

Agebatur apud eundem de statu Ecclesiastico reformando, cum nonnemo, à Religiosis quibusdam Franciscanæ familiæ alienior, dicebat; *à Minoribus reformationem inchoandam esse.* Tum Rex: *magis*, ait, *convenit, ut à majoribus.* His enim

ad

ad rigorem vigoremque pristinum reductis, facilè alij consequentur. *Ib. l. 2.*

15. *In libris vita est.*

Ludovicum Dulcem à musæo & libris nonnemo his vocibus provocabat: *Quid tamdiu inter mortuos lates, quin prodis ad vivos? Falleris,* respondit ille, *à vivis me ad mortuos evocas: hi enim libri fama & eruditione vivunt; vos toti ad mortem properatis, quorum tale nihil post fata relinquitur.* Vivat igitur, quisquis potest, diu multumque, cui hæc vita semel concessa est. *Ib. l. 2.*

16. *Tyranno quævis causa ad nocendum sufficit.*

Castrutius remp. Lucensem magna tyrannide opprimebat, atque in his etiam Quartigianæ familiæ homines sibi deditos. Quare monitus: *ita veteres amicos tractandos non esse, ne brevi omnes experiatur inimicos:* respondit, *non in illos, ut amicos se veteres, sed ut novos inimicos animadvertere.* Ita Luparum quoque virum omnium existimatione bonum prudentemq; facultatibus exutum, misit in exilium, dicens: *non prudentiam, sed avaritiam Lupari plexui: qui postquam ostendit sibi majoris esse pecuniam, quam meam salutem: me quoque pecuniam Lupari ipso Luparo pluris facere conveniebat.* Ib. l. 2.

17. *Cur senes avari?*

Simonides interrogatus, cur extrema in senecta avarè studeret cumulandis opibus; *Quia,* respondit, *malo moriens inimicis aliquid relinquere, quam vivens carere amicis.* Ens Epid. l. 3.

18. *Medici successibus suis felices.*

Theodorus Cyreniacus felices esse *Medicos* assere-

ferebat, ut *quorum prosperos successus sol videret, adversos terra obtegeret.* Alteri eadem artis felicitate glorianti. *Verè*, inquit, *felix es, qui tam multos sustulisti, neque unquam dedisti homicidij pœnas.* Id.l.3.

Philemon ait. *Tum malè habet Medicus, cum malè nullus habet.*

§ 3. Exempla Repugnantium ex Quirino Pegeo.

1. *Orandum pro seipso primum.*

CVm mendicus à Ioanne Arlotto eleemosynam accepisset; ut se hic gratum ostenderet. *Deum*, inquit, *sedulò pro te precabor*: *At* respondit ille, *pro te primum id seriò præstes*: *nam opis magis videris esse indigus.* Quirinus Pegeus p.1.Apoph. font. 5.

2. *Proditio amatur, non proditor.*

Ioannes Rex Castiliæ munimentum Arienza à quodam sibi ultro dedente hanc arcem acceperat: cumque deinde, pro gubernatore arcis constituendo, suscepta esset deliberatio, & prior iste gubernator sibi tradi peteret, eo quod Regi promptè illam cessisset; *hac*, respondit, *de causa tibi minime relinquendam puto*: *non enim traditorem, sed defensorem quæro.* Quirinus Pegeus 1.p. Apoph.n.691.

3. *Defensor urbis parum virilis.*

Chikvvitus Rex Maurorum, cùm Granatâ deditâ cedere cogeretur, in lacrymas solutus flevit: quod

quod Mater intuita, dixit. *Rectè fles urbem deditam, ut mulier, quam ut Vir tueri non potuisti.* Ibid. 692.

4. *Discrimen Sapientis & Stulti.*

Quidam inter Sapientes & Stultos hoc esse discrimen dixit, *quod illi somniarent noctu: hi interdiu.* Nonnemo alius haustum vini liberalem esse sensit, qui discrimen tolleret. hoc enim sumpto etiam Sapiens delirat. *Ibid.* 693.

5. *Duellatores ad pugnas inepti.*

Ferdinandus Marchio d'Auala generosus miles, *qui maximè pugnaturirent*, & prompti ad duella prosilirent, hos tanquam iræ inconsultæ & impotentes, *minime dicebat esse pugnæ*, & constanti militiæ, *idoneos*: quòd hæc præsentes fortium virorum animos requirat, quos præceps ira non patitur. *Ibid.* 696.

6. *Vivere plerisque dulce est.*

Maleficii cujusdam accusatus, hoc quod in catasta fatebatur, solutus rursum negabat. Monitus verò, ut fatendo sibimet parceret. *Satius* inquit *est, ex brachiis sæpius: quam ex collo semel suspendi.* Ibid. 699.

7. *Non solâ doctrinâ regitur resp.*

Cum Florentiæ regimen ab optimatibus ad populum delatum esset. Evenit, ut ex nobilitate quispiam sartorem suum per ludibriũ interrogaret: *qua schola sartores ad regendam urbem instituerent? Perfacile*, inquit sartor, *nobis erit urbem regere: nam si contraria illis, quæ vos egistis, sequamur, bene illam moderabimur.* Ibid. 702.

8. Hoc

8. *Hoc quisque curet, quod potest.*

Princeps Mauritius Nassovius, cùm in Hollandia instruxisset spectabilem contra hostes aciem; ex Morione suo quærebat. *an suam tantisper personam in militia sustinere velit; se illius acturum interea? Non convenit*, ait Morio: *nam perinde tu ad agendum Morionem, quam ego ad Archistrategum ineptus sum. Perstemus itaque in officiis, ne utrumque Hollandi dimittant.* Ibid. 715.

9. *Lucrum honestum præstat utili.*

Cum Advocatus gloriaretur apud vicinum: *quod plures uno die ducatos, quam ipse sestertios in lucro numerare possit.* Hic respondit: *hoc tamen discrimen esse, quod sibi ex veritate hoc lucrum, ipsi ex mendaciis proveniat.* Ibid. 720.

10. *Mendacia vitanda.*

Hoc Arabes suo nos docent proverbio. *qui famam habet veracis, illius mendaciis etiam fides habetur: qui mendacis, hujus veritati quoque non creditur.* Ibid. 227. Persæ tradunt. *præstare, ut benefaciendo malè audias, quam malè faciendo audias bene.* Cum quo tamen non consistit politicum illorum monitum *Mendacium, quod pacem adferat, melius esse veritati. quæ pariat bellum.* Ibid.

11. *Quod pauperi datur, servatur.*

Ioannes Polus Senensis in pauperes adeò profusus, ut amici hortarentur, ne se universis exueret. Verùm moriens hoc scriptum reliquit. *quod egenis distribui, hoc solum nunc meum est: quod reliqui, hoc totum amisi.* Ibid. 736.

12. *Curiositas auditores habet.*

Bononiæ concionator, cùm paucos haberet audi-

16. *Principis Hispani fastus.*

Dux de Noiara magno fastu apparatuque Carolum V. Imperatorem invisebat. At Cæsar dicebat; *non venit Dux ille, ut nos videat; sed ut à nobis videatur.* Ibid. 822.

17. *Patriæ libertas Principis saluti præposita.*

Cum Ioannes Luternensis præfectus arcis Sigenhemium in Hassia tueretur, & Cæsariani Landgravio capto, nisi arcem ipse dederet, exitium minarentur; respondit: *arcem in suis, Principem in manibus illorum esse de utrisque quemque constituere posse.* Denique cum ipse Landgravius juberet pandere: dixit, *Non posse se mandata illius, quæ liber dedit, negligere: & amplecti quæ det captivus.* Ibid. 1759.

18. *Docti potissimum aulæ præsidium.*

Ioannes Casimirus Princeps elector palatinus dicere solitus est. *plus se unius docti calamo, quàm decem indoctorum gladio posse.* Nobilitatem doctam duplici honoris prærogativa ornandam censebat. Ibid. 1761.

19. *Ptinceps legendo instruitur.*

Cum Morio Principem satis dissolutum, & admonitionis impatientem, librum opportunum volvere cerneret. *Age*, inquit, *hunc mutum audi, is tibi veritatem longè certius enuntiabit, quam omnes aulici, qui os oblinunt.* Ibid. 1765.

20. *Levitas feminis objecta, & diluta.*

Cuidam sæpius maritatæ, hæc mutatio objiciebatur. *Cum Deus,* inquit illa, *non desinat priores maritos tollere: cur ego desinam novos acquirere?* Ibid. 1792. Alteri exprobratum, quod meretrix esset,

esset, à turpi femina. *Non sum talis* inquit, *qualis tu esse cuperes, & esse* (ob deformitatem) *non potes: ego possum, & non volo.* Ibid. 1794.

21. *Cura terrenarum cœlestem aufert.*

Dux Caroli V. Albanus Saxoniæ Principem juxta Ingolstadium gravi clade profligaverat; quē cum deinde transeuntem Galliam Rex Franciscus sciscitaretur: *nunquid in dicto prælio duo in cœlis soles comparuissent? Nescio*, inquit, *nam adeo occupatus eram in terris, ut cœlos non observaverim.* Ibid. 1800.

22. *Plura nescimus in hac vita.*

Ita quidam alteri plusculum sibi scientiæ vendicanti, inquit, *si illa scirem, quæ tu ignoras, doctissimus mortalium futurus essem.* Pegeus p. 2. n. 3632.

23. *Potatoris nasus purpureus.*

Contraxerat, ex multo vini usu, quidam colorem in naso purpureum. cum nonnemo suam certo pretio addicebat operam ad nativum colorem reducendum. Verùm potator hunc aspernatus. *magnis*, inquit, *hunc nasi colorem impensis comparavi: ut stultus futurus sim, si novis hunc mihi impensis tollam.* Ibid. 3636.

24. *Sanitatis bonum primum.*

Fridericus III. Imper. cum pedem gangræna correptum resecari vellet: sanitatis in morbo æstimator egregius, *felicior*, inquit, *est rusticus sanus, quàm æger imperator.* Ibid. 3679.

25. *Ex humili magnus.*

Ioannes X. Pontifex ex humili genere ad summam dignitatem evectus, in annulo pretiosum fulgentemque lapidem, pro symbolo usurpavit,

cum

cum lemmate: *Tunc gutta, nunc gemma.* Cum ex aquæ guttis sole cooperante coaleſcant. *Pegeus* p.2.n.3816.

26. *Punita perfidia.*

Ludovicus Burgundiæ Dux contra Rom. Cæſarem arma ſumpſerat, ſed illo eventu terminata, ut victus ipſe captivuſque libertatem denique, illa lege, conſecutus ſit: ne deinceps rebellaret. Sed audacia & ſpes nova ſucceſſus hominem ad arma & perfidiam convertit. exitu quam antea infeliciori: nam ſuperatus bello captuſque utroque lumine orbatus eſt, atque hæc illi in fronte ab aure una ad alteram ducta inſcriptio: *hunc ſervavit clementia, & perdidit perfidia.* Ex Fulgoſo Pegeus n. 3823.

27. *Vitæ longæ apprecatio.*

Clementi VIII. electo horologium oblatum eſt, indice ad primam horam directo, cum lemmate: *ſemper prima, nunquam ultima*, tibi fluat hora. Ibid. 3825.

28. *Mors omnibus imminet.*

In ſceptro Caroli V. maſculus ſtabat, cum tabella, cui inſcriptum, *Sto:* ſed pedem ſtatuæ admordebant mures gemini (diem noctemque ſignantes) cum lemmate, *jacebis.* Clotarius Cæſar ex tribus philoſophis ſciſcitabatur; quo potiſſimum ſymbolo vita hominis exprimenda ſit. primo flos caryophyllum placuit, qui licet gratiſſimus, tamen limace tactus exareſcit. adſcribi voluit. *Tales opes memento pereunt.* Alteri phœnix volucris, qui longam vitam, & infeſtam avibus ceteris, denique in rogo abſoluit: cum lemmate

tantorum laborum mors stipendium. Tertio naufragus placuit, supra quem Aquila cùm Anchora, & epigraphe juncta: *Domine, ad te sunt oculi nostri.* Hæc ille. Verùm in Orphei sepulchro scitè erat cithara posita, cum voce, *lusit.* Persarum illud familiare, cum solis imagine, lemma fuit, *orietur.* Ibid. n. 3830. & seq.

29. *Regnum mundi anceps & breve.*

Alphonsus Rex Arragoniæ coronæ regiæ inscribi voluit: *artifex cudit*; *Deus ludit, imponendo, deponendo.* Coronæ appensus, in forma pomi, Smaragdus erat, cum verbis: *æstate prodor, autumno probor, hieme pereo.* In medio coronæ manus ex tenui filo pendulum gerebat orbem, & inscriptio juncta erat: *tenui pendentia filo.* Ibid. 3837.

30. *Rex nuces relinquit.*

Ludovicus XIII. adolescens perquam addictus vixit avibus, sed ut primum regnum aggressus est, has à suis curis in libertatem remisit, dicens: *jam aliquid supra aves cogitandum est.* Id. n. 4979.

31. *Militis sepulti epigraphe*

Hic jacet miles,
à quo nemo occisus jacet.
In prælio maximè expeditus;
Sed ad fugam.
Magna laude contentiones aversatus est,
Pro gladio, & clypeo usus sæpe patientiâ est.
Ad spolia tardius, prinsquam nosset prædari,
Fame extinctus est.

Vt vult Deus veniunt militibus opes; ut vult Diabolus, abeunt. Huic, inquit Hispanus quidam, *præda cedit*

cedit potissima, quando & anima ipsi pro vectura solvitur. Pegeus in Apoph.n.5583.

32. *Hospes hospitem injuria arguit.*

Hospitem nonnemo *furem arguit, quod plus quàm deberetur, exigeret. Erras,* respondit ille, *furis hospes sum, qui minus, quàm debeatur, solvat.* Id.n.5584.

33. *Laus malè collocata.*

Alium nonnemo sociorum arguit, quod *sapius mentiretur. Fateor* respondet comes, *nam sæpe te immerentem laudavi.* Ib.5593.

34. *Promissa fides sine fide.*

Promisit nonnemo alteri, *quod ipsius religionem acceptare vellet:* exigenti verò promissum, respondit, *Facturum se omnino si tamen ipse prius amplecteretur suum.* Ib.5594.

35. *Ars fallitur arte.*

Rusticus à Procuratore suo petiit, ut efficacissima sibi in litibus vincendis verba suggereret, duos illi anseres pollicitus. Cumque hæc docuisset, *Domine, non est verum,* constanter illa usurpavit; etiam cum Procurator suos Anseres peteret; ut difficilis illi esse probatio, & sua jam arte teneretur. *Id.*n.5596.

36. *Laus ex genere inanis.*

Cum Sostratum calumniator vituperaret, quod ignobili esset genere oriundus. *Hoc,* ait, *ex capite me laude, te vituperio dignum censeo; quòd hunc locum virtute mea sine nobilitate originis obtineam, quem tu, sine virtute tua, sola nobilitate es assecutus.* Id. 5615.

37. *Germani artifices, sed sæpe madidi.*

Antverpiæ Hiſpanum mercator ad menſam invitaverat, cum rara illi arte elaboratos tapetes, pocula atque id genus opera proponeret. *Mirum,* ait Hiſpanus, *tantum ingenij in Germanis reperiri, cum adeo potui addicti ſint.* Cui Mercator reſpondit, *ex vino poto Germani ingenium hauriunt: vos Hiſpani illud in aqua hauſta ſubmergitis.* Id. 56 18.

38. *Conſtantia non in malo, ſed bono eſt.*

Quando Ioannes Piſtorius ad orthodoxam Rom. Eccleſiæ religionem, à Novatoribus Conſtantiæ acceſſerat, horum unus Ioannes Pincer ſic in illum luſit:

Piſtorius Conſtantia fixiſſe ſedem dicitur.
Sedem malim Conſtantia fixiſſet in Piſtorio. Ib.

Verùm paulò inflexum eſſe convenit, ut verum ſit.

Piſtorius Conſtantia, cùm ſedem quondam figeret,
Tum cœpit & Conſtantia, ſe figere in Piſtorio.

39. *Nocere non eſt virtutis.*

Dignum memoria apud Reuſnerum pronuntiatum eſt. *Vt ſumma ſtultitia eſt nocere velle, cùm non poſſis: ita ſumma Sapientia, cùm poſſis, non velle.* Ib. Huic affine alterum eſt. *Felix ille, qui nullum habet inimicum, felicior, qui nulli eſt; feliciſſimus, qui cum hoſtem habet, poteſt ſuſtinere; cum ipſe eſt, poteſt ignoſcere.*

40. *Divites ſurgunt, jacent inopes.*

Pecunia dat ſapientiam ſtulto, nobilitatem ignobili, formam turpi, eloquentiam rudi, exiſtimationem vili, famam ignoto, obſequium deſerto,

ferto, gratiam ſpreto. Contra *inopia* ſapienti, ignobilitatem nobili &c. Ib. p. 2. f. 8.

41. *Jejunium verum & fictum.*

Quidam jactabat; *quòd à mane ad veſperam uſque jejunare poſſet:* Tum alter *nihil hoc mirum, nam indies tantundem præſto, qui à veſpera ad matutinum tempus jejuno.* Ib.

42. *Religio bello malè propagatur.*

Dum hiſce temporibus pro Religione bellum in Germania ſuſceptum erat, quidam ſcitè dixit. *Dum religionem hoc bello quærimus, illam ubique evertimus.* Ib.

43. *Mutua convitia.*

Quidam alterum hominem procerum acerbè perſtringens: *tam magnum* inquit, *ſtultum non vidi hactenus.* Cui alter; *hactenus igitur uſus ſpeculo non es.* ut ſcilicet teipſum videres. Ib.

Cum quidam Principis Conſiliarius ad ſui defenſionem honoris adferret, *quod perſona eſſet publica.* repoſuit alter, & *talis quoque eſt uxor tua.* levitatem ipſi conjugis exprobrans. *ibid.*

C A P V T VII.

Alienata promiſcuè uſurpata.

NObiliſſimus hic fertiliſſimuſque fontium eſt, cui principatus meritò inter Argutiarum luſus tribuitur. In hoc etiam plus ingenij felicitatiſque in reperiendo eminet. Cum Repugnantia, ex ipſa rei cujuſque natura inſpecta, haud magna

difficultate eruantur: at in hisce Alienatorum Argutiis omnis penè se rerum creatarum, quæ cum re proposita nexu aliquo inexspectato sociari potest, offert contemplanti. ut hic inexhaustum quoddam mare investiganti aperiatur. Hoc quidem in promptu semper futurum est, quod in ipsa rei, quam spectamus, natura occurrit, atque excogitata aliqua ratione ab illa alienari potest; sed quod extra hanc occultam aliquam connexionem suppeditat, id quodammodo immensum est. Quocirca non effundendus huc vago incertoque discursu intellectus est, sed vestigiis illius, quam prosequeris rei, ita insistendum est; ut hac velut indicante signanteq; occultos hosce nexus, inter disjunctissima etiam quæque reperias. Cujus inventionis vim modumque ab exemplis tibi propositis facillimè capies. Si præsertim illa quæ in Epigrammatum Argutiis prolixius tradidimus, non asperneris. Damus aliquantò uberius ex iisdem, quibus supra, autoribus; ut in amœno hoc Argutiarum prato, inter rivulos floresque diversos, ad oblectationem honestam, non desit studioso lectori delectus.

§ I. Exempla Alienatorum ex Plutarcho.

1. *Vita mollis inidonea militiæ est.*

XErxes Persarum Rex Babyloniis, post defectionem subactis, pœnæ loco imperavit, ut deinde *pro armis fides gestarent, ac fistulas, cauponasque pro castris adirent*, ratus his armis non facilè

esse rebellionem novam auspicaturos. *Plutarchus in Apopht. Regum & Princ.*

2. *Fames ciborum condimentum.*

Ataxerxes Mnemon superatus pugnâ, omnibusque in fuga rebus spoliatus, cùm famelico panis hordeaceus, & ficus aridæ oblatæ essent, iis vescens, exclamavit; *Divi quanta hactenus voluptatis imperitus fui!* Nempe optimum ciborum condimentum fames, quâ plerique felicium destituuntur. *Idem ib.* Huic non dissimile est, quod Alexander Magnus Reginæ Cariæ Adæ, cibos sibi exquisitè apparatos submittenti, respondit *coquos sibi domi meliores esse: iter nocturnum, quo prandium, & parcitatem prandij, qua cœnam condiret.* Ibid.

3. *Scelere dedocere scelus.*

Syracusanis in luxum effusis remedium Dionysius Senior Tyrannus adhibendum esse monuit. Itaque cum in reliqua animadverteret acerbè maleficia, furibus tamen indulsit. ipse etiam tributis pressit, & cum precibus lamentisque intercederent, iterum hæc iterumque imperavit: donec postremò in foro convitia in se inter scommata & risus torquentes audiret. *Nunc*, inquit, *animadverto nihil pecuniæ reliquum ipsis esse, postquam me contemnunt.* Ita suos ad frugalitatem instruxit per inopiam; se ad crudelitatem exercuit per avaritiam. *Ibid.*

4. *Simulare quandoque scientiam profuit.*

Dionysium Seniorem ob insidias timidum hospitum nonnemo monuit, insidias se illi facilè detecturum. Iussus itaque aperire: *ut credaris à me*

indicia accepisse insidiarum., ait, *da mihi talentum*, satis erit hostes tuos vereri, ne sint proditi. Miratus ille astutiam hominis, talentum obtulit, & re vulgata, hac arte continuit insidiatores. *Ibid.*

5. *Temulento aliquid ignoscendum.*

Cum duos inter pocula adolescentes Dionysius gravius ipsius tyrannidem per convitia lacerasse intelligeret, dissimulatâ re, utrumque ad cœnam vocavit, & liberalibus ad temulentiam usque poculis irrigavit. Quorum alterum, cùm multa garrire, atque ad ineptias solvi videret: alterum, lautius inter pocula & colloquia versari illum, *ut temulentiâ ad convitia prolapsum* statuit esse innocentem: hunc, *ut malitia in se peccantem*, interfecit. *Ibid.*

6. *Sub umbra improbioris lateт improbus.*

Evexerat idem seniori Dionysius improbum invisumque Syracusanis universis hominem ad præcipua reip. munia. quod cum plerique amicorum factum reprehenderent. *Volo*, inquit, *hominem esse, in quem sua magis odia, quàm in me convertant.* Ibid.

7. *Nimium garruli molesti sunt*

Archelao Regi tonsor erat, qui prolixa garrulitate aures non rarò obtunderet. Quare dum nonnunquam à Rege interrogaret: *quemadmodum tonderi abs se vellet?* *A te*, inquit Rex, *tacente*. Ille de tonsuræ modo Rex de personæ moribus loquebatur. *Ibid.*

8. *Regem cithara non decet.*

Rex Macedonum Philippus quendam in mensa Fidicinem suo minus judicio apposite concinentem,

nentem, de moderandis fidibus, nervisque tangendis instruere volebat: Tum ille: *absit*, ait, *à te ô Rex, ista infelicitas, ut me melius ista noris.* Ibid. Hinc illud convenit, quod de Stratonico citharœdo *apud Athenæum l. 8 Deipn.* legimus, qui Ptolomæo Regi de arte pulsandi citharam ambitiosius differenti dixit: *aliud ô Rex, est sceptrum; aliud plectrum.* Ib.

9. *Barba hosti ad capiendum ansa.*

Cum Alexandro adversus Darium pugnaturo nuntiaretur, omnia jam esse ad pugnam instructa: num quid præterea vellet? *nihil*, respondit, *nisi ut barbæ Macedonum radantur; ne ansam hosti præbeant capienti.* Ibid.

10. *Dux de præda parum sollicitus.*

Alexandro jam ad Arbela cum quadraginta Persarum millibus pugnaturo nuntiatum ab amicis fuit. Milites de præda inter se dividenda agitare consilia, nihilque inde regio ærario illaturos. subridens, inquit; *bona nuntiatis: audio enim colloquia hominum, de victoria magis, quàm fuga cogitantium.* Non dissimile quod Alexander suis ad Granicum pugnaturis imperavit; *ut* scilicet annona (quæ tenuis supererat) in medium collatâ, *largiter omnes cœnarent: cras enim*, inquit, *hostium opibus cœnam instructuri estis.* Ibid.

11. *Regum secreta non vulganda.*

Cum Alexander epistolam à Matre acceptam legeret, Hephæstione amico eandem simul intuente, non subduxit oculis, quamvis secretas de Antipatro querelas, contineret; sed *sigillum annuli*

ori legentis appressit: ut si dixisset, *ore tuo hæc secreta clausa sunto.* Ibid.

12. *Rex beneficiis potius, quàm armis vincat.*

Taxiles Indorum Rex, Alexandro Persarum victori obvius cum muneribus, hortatus est, ne bello secum velit decernere: Sed *si inferior esset, acciperet à se beneficia: si superior, illa in se conferret. At,* inquit Alexander: *de hoc ipso nobis certandum est, uter alterum possit beneficiis superare.* Ibid.

13. *Hominem se Rex meminerit.*

Alexander in templo Ammonis salutatus ab Antistite *Iovis filius: non mirum* inquit, *Iovem, qui natura est pater omnium, optimos suorum filiorum nomine dignari,* Sed jaculo deinde crus ictus, cum sanguis ex vulnere deflueret, ad circumstantes, qui illum, ut Deum salutabant, renidente vultu: *hic,* inquit, *sanguis de corpore Divum manare non solet.* Ibid.

14. *Vestis pulchra deformibus turpis.*

Cum Dionysius Tyrannus Lysandri Lacedæm. Ducis filiabus *pretiosas* submisisset *vestes*, non admisit; quòd *vereri se diceret, ne iis indutæ filiæ turpiores viderentur.* vel quod turpi vultu essent; vel quòd infamis cum Dionysio consuetudinis notandæ. *Ibid.*

15. *In prosperis elatio premenda est.*

Epaminondas Thebanorum Dux Lacedæmoniorum ad leuctra illustri certamine victor, postero die squalido humilique processit cultu; cùm aliàs uncto corpore serénoque vultu incederet. Causam vero rogantibus, & quid evenisset adversi? sciscitantibus, respondit: *hesternam in me ela-*

elationem deprimo , & immoderatum gaudium castigo. Ibid.

16. *Cunctatio prudens armis potior.*

Cum post Cannensem cladem Romani Fabium Max. creassent unà cum Claudio Marcello Consulem: hic ad pugnandum præceps: ille cunctatione hostem frangendum consultius existimavit. Vnde Hannibal dicere auditus est *magis se à non pugnante Fabio, quàm Marcello pugnante metuere.* Cum verò Minucius ejusdem Fabij collega feliciter aliquando pugnasset, ideoque in ore omnium esset, & anhelaret ad prælia: *maius*, inquit Fabius *à prospero Minucij successu , quàm adverso malum formido.* Et verò evenit, ut ad pugnam egressus longius, totus ab hoste conclusus teneretur, nisi in necessitate procurrens Fabius, per medias hostium strages viam aperuisset: Tum Hannibal: *an non præsenseram, ab ista aliquando nubecula è montibus*(quos insederat Fabius)*in nos tempestatem erupturam? Ibid.*

17. *In victis animus integer.*

P. Licinius Romanus Cos. victus equestri prælio à Perseo Rege Maced. cum hic pacem Romanis offerret, respondit Licinius: *non recusare se pacem, modo res suas arbitrio Romanorum Perseus tradiderit.* hoc est , *victor à victis pacis leges accipit.* Ibid.

18. *Qui hosti obsequium præstat, sibi præstat.*

Cæsar Romanam Vrbem contra Pompeium victor ingressus, cum hujus jam statuas in sui gratiam dejectas cerneret: illas rursum honorificè curavit erigi. de quo acutè judicans Cicero , dixit:

dum Pompeij statuas erigit, figit suas. Existimans futurum, ut revoluta fortuna idem de ipso statueretur, quod in Pompeium designasset. *Ibid.*

19. *Etiam suspicio criminis magni vitanda est.*

Cæsar uxorem Pompeiam dimiserat, quod rumor esset, à Clodio hanc vitiatam, cumque iccirco dies Clodio diceretur, & testis adesset Cæsar: nihil de ea sinistri dixit: *ut quid igitur*, quærunt Judices, *illam dimisisti? Quia*, inquit, *Cæsaris uxorem etiam suspicione criminis puram esse decuit.* Ib.

20. *Clementia Principis.*

Cum Pompeius ad mare fugisset, Cæsar Romæ ex ærario pecuniam poposcit, sed Metellus juvenis ærarij custos occlusit prohibuitque aditum, unde Cæsar mortem illi minatus, cum vidisset attonitum: *hoc*, inquit, *mi adolescens, difficilius mihi est dicere, quàm facere.* Nam ut alio idem Cæsar ferebat dicto: *magna facinora facienda sunt, non deliberanda.* Illud arroganter, hoc etiam improbè dictum fuit. Quanquam in priori effato suam Cæsar clementiam prodebat, quâ remotâ, facile illi erat juvenem hunc trucidare. *Ibid.*

21. *Amor liberorum facit viros repuerascere.*

Ægesilaum Spartanorum Regem ferunt domi amore liberorum cum illis in arundine obequitasse. cúmque amicorum nonnemo, adhuc improlis, illud facientem deprehendisset: *ne*, inquit, *hoc factum meum cuiquam dixeris, priusquam ipse pater factus sis.* Hoc est, scias, quid sit liberos amare, & educare, exemploque meo id facias. *Plut. in Apophth. Lac.*

22. Sim-

22. *Sententia arbitri in lite arguta.*

Archidamus Spart. Dux in difficili causa postulatus arbiter, cum litigantes in fano Minervæ jurassent, se ejus staturos sententia. Hanc pronuntiavit: *ne fano Minervæ excederent priusquam essent odiis positis conciliati.* Ita ipsosmet ad reconciliationis remedium admittendum impulit. *Ibidem.*

23. *Ostentorum vanitas derisa.*

Leotychidas Dux Spart. cum propioris se portæ pessulo Draco circumplicasset, & ostentum hoc esse vates dicerent: *Non sanè,* inquit, *hoc mihi videtur, verùm esset, si pessulus circa anguem se plicasset.* Plut. in Lac.

24. *Pauper in morte dives.*

Cum Philippus Orphei Sacrificulus extremè pauper, diceret, suis sacris initiatos in morte beatos fore. *Cur igitur, ô fatue,* ait Leotychidas, *non moreris, ut qui miser es, beatus fias?* Mors enim ultro sibi illata apud hos Ethnicos in vitio non erat. *Ibid.*

25. *Oraculi vanitas delusa.*

Cum Lysander Rex Laced. in Samothrace oraculum consuleret. Sacerdos ex tripode entheata jussit edicere: *quodnam in vita scelus admisisset gravissimum?* Tum Lysander, Tuóne hæc, an Deorum jussu exigis? cumque respondisset Deorum. *Igitur,* inquit, *tu hinc abi: Diis, cum interrogabunt, dicam.* Ibid.

26. *Factis dispar oratio.*

Cum Panthœdas Lacedæmonius in Asia legatione

tione fungeretur, & Philosophos in Academia præclara differentes audisset. rogatus quid de illorum oratione sentiret: *illustris*, inquit, *est*; *sed nullius apud vos pretij*, *qui eâdem in factis non utimini*. Ibid.

27. *Quæ patria censenda sit?*

Delij adversus Athenienses pro Delo Insula certabant, atque in ceteris hoc debitæ sibi possessionis adferebant argumentum; quòd legibus patriis præceptum esset, *ne mulieres earum in Insula hac parerent* (ob honorem Apollinis) *nec mortui sepelirentur*. Ad quæ Pausanias Laced. inquit, *Quomodo igitur Delus vestra est patria, in qua neque vestrûm quispiam natus est, neque sepultus?* ibid.

28. *Ira cohibenda.*

Charilaus Lacedæm. Dux, cum nonnemo servorum asperius sese illi opponeret, justa indignatione concitatus, iræ tamen impetu frenato, admirandæ moderationis sententia usus est: *interficerem te*, inquit, *nisi iratus essem*. ibid.

29. *Fortitudo picta magis, quàm vera.*

Cum in tabula pictor Lacedæmonios ab Atheniensibus victos adumbrasset, & nonnemo spectatorum adjiceret; *sanè fortes sunt viri Athenienses*, Lacon subjecit: *sed tantùm in tabula*. ibidem.

30. *Nec hostis nec amicus desideratus.*

Philippus Rex Macedonum cum ad Lacedæmonios misisset interrogatum; *amicumne se, an ut inimicum venire velint?* responderunt: *neutrum*. ibid.

31. *Vindicta cohibita.*

Cum adolescens Lacon à consodale lethale in duello vulnus accepisset, atque amici adessent, qui se vulturos morte alterius factum dicerent: *nolite*, inquit, *rem tam iniquam: nam ego hoc facturus eram, nisi me prævertisset.* ibid.

32. *Constantia in scelere obtegendo.*

Lacones, ut ingenia astutiamque puerorum acuerent, & quemvis ad rei suæ custodiam redderet vigilantem lege iis lata furtum indulgebant; deprehendi tamen in furto, & turpe, & pœnâ dignum fuit. Vnde qui vulpem à sociis furto ablatam sub veste occuluerat puer, hanc ad viscera usque laniatu grassantem tulit, sine gemitu, ne proderetur, factum deinde sociis mirantibus: *mori* inquit, *satius erat, quàm in furto deprehendi.* ibid.

33. *Mori, quàm servire quibusdam dulcius.*

Puer Spartanus à Rege Antigono captus ac venditus, cum in omnibus Domino morem gereret, servile tamen officium matulæ ferendæ detrectabat. compulsus, in tecti denique conscendit apicem, inclamansque Dominum; ut *scias*, inquit, *quod emeris liberum, morior*, simulque se ex tecto abjecit præcipitem. *ibid.*

34 *Improbi turpe pulchrum est.*

Cum Lacon quidam Athenis publicè etiam lenocinia, aliaque parum honesta sine probro exerceri vidisset, reversus Spartam, quæsitusque, *quid Athenis vidisset? omnia*, inquit *pulchra: nam nihil illic factu turpe erat.* ibid.

35. Ora-

35. *Oratio rebus conveniens sit.*

Cephisophon orator cùm apud Lacedæmonios jactasset, de quavis re, integra se differturum die: urbe pulsus est: quòd *negarent Oratorem sibi convenire, qui orationem rebus non haberet æqualem.* Plut. in Lac. Institutis.

36. *Castigata puerorum licentia.*

Spartanorum juventus cuilibet Seniori honorem & obedientiam præstabat, & plagis à quovis corripi poterat; de quibus si apud parentes quererentur probrosum erat, *nisi verbera hi addidissent.* Qui peccantem non perstringeret, pari erat in culpa cum delinquente. probrum erat corripienti restitisse. In delicto graviore *cogebantur ad aram*, quam circumeundo, *vituperium suum concinerent:* aut certè plagas, *cum plausu*, sine lamentis sustinerent. Vnde *Laconum disciplina erudiri*, est severissimè educari. Et identidem ingerebatur. *Spartanum est fortia agere, aut pati.* Plut. ibid. & in Apopht.

37. *Libido castigata.*

Messalina Claudij Imperatoris uxor effrenis mulier libidinis, cum Mnesterem saltatorem amore impuro nequicquam ad facinus sollicitasset, Claudio questa est, hominem illum sibi esse immorigerum, cumque iccirco Imperator illum jussisset morem gerere Imperatrici, & Mnester hoc astu, tanquam probante Claudio, ad nefas inductus esset. Facinore postremùm detecto cum Imperatrice morti est adjudicatus, *quòd nimium fuisset obsecutus.* Xiphil. & Dion. l. 60.

2. Exem-

§ 2. Exempla Alienatorum ex Gaspare Ens.

1. *Stultum feras, dum nequis corrigere.*

CUm Florentiæ in Senatu Cosmo Medices Duci non nemo impotentius obloqueretur, atque elata jam manu Angelus Acciajolus colaphum inflicturus esset, prohibuit Cosmus. Ad quem dimisso jam concilio Angelus, inquit, *vapulasset profectò nisi obstitisses.* Nimirum ait Cosmus ita *effecisses, ut duo in concilio stulti essent, cùm unus tantum antè audiretur.* Ens. l. Epid.

2. *Virtus in milite non in armis.*

Celeberrimi Epiri Principis Georgii Castriotæ, sive Scanderbegi gladium quo Turcarum duo millia, sua ipse manu, confecisse memorabatur, Mahometus II. Turc. Imp. videre gestiebat. Sed hoc submisso, spectatoque, remisit, qui dicerent, hunc non videri tot cladium patratorem esse posse. Tum Castriota: *nunciate Domino vestro, gladium quidem me illi meum, non tamen brachium submisisse.* Ens Epid. l. 1.

3. *Rex unus totum concilium est.*

Cum Ludovicus XI. Franciæ Rex, ut singulari pollebat ingenii acrimonia, ita paucorum ad res suas consiliis uteretur, & unus ipse multorum instar esset: Bressaius Normandiæ præfectus, eundem paruo mannulo insidentem comitatus, *ubi*, inquit, *Rex tam robustum equum nactus es?* Quid ait, *Rex, an, in hac ætate, & statura, validus is tibi satis videtur?* Tum Bressajus: *certè perquam vali-*

validus, Regem cum omnibus consiliariis suis ferre potest. Ens l. 1. Epid.

4. Actu restituta Roma Pontifici.

Cum Romani tempore Basileensis Concilii ab Eugenio IV. defecissent, & nepote illius capto S. Angeli arcem obsedissent, Hispanus quidam Riccius inter Romanos milites admissus, simulat in arce sibi notos esse, per quos traditionem, Præfecto sublato, facilem speret, modò signo à se dato armis ipsi virisque præsentes adsint, Cum placeret consilium, ad arcem sese ut transfuga recipit. Sed hic Præfecto fraudem aperit, fingitque signo dato proditionem cœptam: &, ne quid ambigerent, simulacrum præfecti ex muris velut occisi suspendit. Ergo Romani circumfunduntur: verum Riccius, nisi pretio facti accepto, se negat illos admissurum, cum primoribus ea de re conferre velle: quos cum admisisset, compegit in carcerem, sicque *illis arcem fide data traditam esse* memorat, reliquam multitudinem bellicis machinis, & magna telorum vi ab arce reiicit. Qua re dejecti Romani & pacti suorum procerum libertatem, Pontifici, Florentiâ revocato, rursum cessere imperium. *Ens lib. 1. Epid.*

5. *Principe tripudiante resp. perit.*

Cum Anglorum arma passim Galliæ metuenda invalescerent, Hira strenuus militum Dux ad Carolum VII. Regem ab exercitu missus, ut de suis atque hostium viribus doceret Regem, hunc in gynæcei deliciis, inter epulas saltusque, adeo reperit occupatum, ut pluribus convenire diebus non posset. Perfregit tandem, & Rege ad primum

mum congressum postulante ; *nunquid hac ipsi rara & magnifica viderentur ? Sanè*, inquit, *perquam rara, nam majori pompa & latiori tripudio pereuntem Principem nunquam vidi.* Quæ tam libera & vera vox veternum dormitanti excussit Regi, atque ad suum periculum evigilare fecit. *Ibid.*

6 *Stulti sunt, qui delinquunt.*

Quidam alteri caput gravi vulnere afflixerat, ideoque à Neapolitano Prætore adjudicatus erat triremibus: Intercessor ut hominem liberaret, hoc argumento apud Prætorem instabat, quod stultus esset. *Rectè*, ait, *Prætor, mei enim muneris est, non sapientes, sed stultos plectere.* Ibid.

7. *Stultorum plena sunt omnia.*

Julius Neapolitanus ministrum habuit, quem per contemptum sæpius Stultorum Regem compellabat. Indignatus hic tandem, cùm audiret eadem toties. *Utinam*, inquit, *quem me dicis, stultorum Rex essem : totius orbis Monachas potentia vincerem, nec te inter postremos meos numerarem. Ibid.*

8. *Rara Principis generositas.*

Guilielmus Angliæ Rex, trajecto in Galliam exercitu, cùm Normanniam, quæ ab ipso defecerat, brevi subiugasset : Eliam quemdam seditiosorum Ducem interceptum contemptim increpuit. Qui cum arroganter respondisset : *at scias, O Rex, hunc Eliam si adhuc liber esset, facturum ut tota Normannia contremiscat* : Rex hominem aspernatus. *esto* inquit, *liber & fac quod poteris* : Statimque dimisit. *Ibid.*

9. Ho-

9. Honores mutant mores.

Benedictus Albizius nobilis adolescens amicum cardinalitiâ nuper purpurâ donatum gratulandi causa convenit; Sed cum ille se dissimularet novisse accedentem: mutatâ repentè oratione. *Dolere sese ipsius sortem queritur, quòd adeò cum fortuna omnem illi sensum eversum videat, ut familiares, olim sibi ne agnoscere quidem possit; optare ut ad statum mentemque pristinam revertatur.* Ibid.

10. Tædiosæ dictionis molestia.

Ad Vrbanum V. Pont. Avenione, decumbentem Legati tres Perusini venerant, admissi jubentur paucis exponere veniendi causam. Vnus tamen, ne quid opinor concinnatæ orationis intercideret, longam orationem pertexuit. Pontifex postremò defatigatus: num quid aliud in mandatis haberet? interrogat, Tum alter, qui Pontificis fastidium notaverat, *hoc* inquit, *ut nisi postulata quam primum impetremus, collega meus longè proliziori oratione priora repetat.* Igitur Pontifex, responso statim dato, abs se dimisit, hujus legati ingenio magis, quam alterius loquacitate provocatus. *Ibid.*

11. Pœna sæpe offenso nil prodest.

Rudolphus Dux militum in Italia, cum extra Camerinam oppidum inambulans, ab imperito jaculatore inconsultò vulneratus esset, ideoque civium nonnemo de pœna irroganda deliberantium statueret, manùm jaculatori amputandam esse. *Serius*, inquit, *Rodolphus id decernitur: priusquam jacularetur hoc mihi consilium salutare fuisset.* ideoque dimitti hominem petiit. *Ibid.*

12. Red-

12. Redde beneficium, ut novum merearis.

Cum Arlottum Florentinum amicus pro aliquot frumenti modiis mutuandis conveniret, qui priores nondum restituerat: granarium demonstrat, quod adire jubet, ut modios illic colligat. abiit, sed cum vacuum reperisset locum, id significat. *Nihilne igitur*, inquit, Arlottus, *reperisti? ergo nondum retuleris, id quod praeterito tibi anno fuerat concreditum. tua itaque culpa est, quod nequeam gratificari.* Ibid.

13. Aquam Germani in vino non amant.

Germanus quidam, cùm reliqui vinum aqua diluerent: cur idem non faceret? interrogantibus facetè respondit. *Ab Astrologis sibi quondam praedictum esse, aqua se interiturum: quare ab aquis, quantum liceat, abstinere.* Ens lib. 2. Epidor.

14. Odore pastus, sono solvit.

Viator serius ad hospitium divertens, cum mensa penè finita parcè cœnasset. Hospes tamen manè communem ab eo symbolam exigit: querentique, quod parum edisset: *odore*, inquit, *satiari potuisses.* tum eductam viator, tanquam soliturus, pecuniam in mensam explorandi sonitus gratia proiicit. Et *haec moneta*, ait, *nunquid proba videtur? Proba satis*, *hospes* inquit, *Ergo* reponit hospes, *hunc nummi sonitum pro odore ciborum accipe.* Ita par pari redditum. *Ibid l. 2.*

15. Sors vertitur in morte:

Quidam lepidè ostendebat, *pauperes ingluvie, divites fame, clericos frigore, ac nuditate mori.* Nam dum pauper aegrescit, undique cibi submittuntur quibus stomachum opprimunt; Cum dives,

dives, superfluorum cibòrum reliquias & cruditatem inediâ sæpe intempestivâ, & noxiâ, subducere serius nititur. Dum vero clerici decumbunt gravius, famuli, ancillæ, cognati omnia subtrahunt, ut necessitati præsenti, non rarò opportuna desint. *Ibid l. 2.*

16. Tributa & eorum autores vulgo exosi.

Armellinus Cardinalis Pontifici novarum exactionum auctor fuerat, unde ingenti apud subditos Rom. flagrabat odio. Quare cum Pontifex aliquando, præsente eodem Cardinale, & consiliariis de tributis rursum exigendis meminisset: Vnus à secretis salso joco dixit, si Armellini pellem (alludens simul ad animal, & Cardinalem) sua sanctitas detractam per ditionem Rom. circumferendam visendamque præberet populo, fore ut singuli bonam stipem illi inspiciendæ tribuerent. Nihil motus Cardinalis. *lætor*, inquit, *quod me mortuum etiam usui futurum agnoscas; cum tu nec vivus, nec mortuus prodesse queas.* Ibid. l. 2.

17. Infelicium divitum felices filii.

Nonnemo quærebat, quosnam in terra *beatiores* esse ceteris existimaret? respondit, *quorum patres in inferno sepulti sunt.* Quod hi plerumque opibus, ab illis per fas nefasque congestis, abundent. Vnde filiis felicitatem, sibi calamitatem instruxere. *Ibid. l 2.*

18. Quem quisque se fingit, sæpe non videtur.

Parasitus interrogatus, *cur stultum se fingeret, cum satis aliis sapiens videatur?* Respondet; *Video filium meum, dum laborat, ut sapiens habeatur, stultum videri omnibus.* Ibid. l. 2.

19. Ani-

19. Animosi juvenis prudens vitæ defensio.

Guidonis Comitis Montefeltrii filius Fridericus apud Malatestam Ariminensem pro obside relictus erat. Cum tamen Guido, solutis induciis, armato milite Malatestæ ditionem invasisset: hic Friderico mortis supplicium interminatus est, si Guido pater cum exercitu secundum revertisset: At, excepit subitò Fridericus: *de quo igitur supplicium sumpturus es, cum tertium armatus pater meus redierit?* Vox generosi potius viri, quàm pueri Malatestæ hoc consilium excussit. *Ibid. l.2.*

20. Liberalitas in devictos hostes.

Cajetâ oppugnatâ Consalvus Ferdinandus multis devictorum Gallorum, ne pedites cogerentur redire, equas donavit: Tum Obignius Dux illorum minacior. *Quæso te*, inquit, *ejusmodi nobis equos prabeas, qui & abeuntibus in Galliam, & huc revertentibus usui esse possint.* innuens bellum mox ab ipsis redintegratum iri. Ite, ait *Consalvus, & redite, cum lubet: pari vos sorte, ac munere rursum dimittam.* Hoc est superatos, uti nunc, & meæ beneficientiæ indigentes. *Ibid.*

21. Sat sapiens, qui sapientibus obsequitur.

Antonius Puccius cuidam Florentino suadebat, ut oblatum à Cosmo Medices Vexilliferi officium, quod inter primas illic dignitates est, admitteret, homine se identidem excusante, *quòd parem huic muneri sapientiam non afferret!* Tum Puccius: *Falleris, nam plus satis ad illam sapientiæ adferes, si ex Ducis sapientissimi Cosmi consilio omnia feceris: istius enim prudentiæ, si praterea tuam adjeceris, & illius, & propriam ad hoc munus allatu-*

rus es. En viam expeditam cuivis obsequenti ad sapientiam. *Ibid.l.2.*

22. *Qui obliviscitur, indignus beneficio est.*

Principi vir nobilis spe bêneficii ab eodem impetrandi equum perquam generosum obtulerat. Evenit verò lapsu temporis, ut ab hospite Principe visus ille laudatusque equus esset. cumque quæreret, Vnde hunc comparasset? atque id nescire se diceret, existimare tamen obvenisse dono. Nobilis fortè præsens, ubi hæc verba observaret, ac facile intelligeret, quid à tam oblivioso Domino gratiæ sibi esset exspectandum, de equo reducendo adjecit animum. Quare equisonem, dum ad proximam equum piscinam aquatum producit, insequitur, arreptoque freno furem inclamat, ac probè contusum deiicit, rectaque cum equo ad judicem pergit, ac multis argumentis suum esse convincit. Princeps à judice, *quid hac in re fieri velit*, rogatus, *equum jubet restitui, simulque mandat, ut omni diligentia in furem, qui hunc sibi dono obtulerit, inquiratur: ne impunis hac audacia maneat.* Ibid. l. 2.

23. *Ex rapto ædificare pauperibus.*

Thomas Guadagnius mercator Florentinus tantum lucri ex usitatis hodie artibus fecerat, ut aliquando Francisco I. Regi Gall. quingenta scutatorum millia mutuò dederit. Hic post mortem sui aliquam relicturus memoriam. Nosocomeum Lugduni excitare ad miserorum hominum solatium constituit. Fundamentis jam descriptis Nicolaum Salterellium architectonicæ peritum artis inducit, quidque de hac designatione videatu

atur, interrogat. qui cum vaftum ceteroquin ædificii opus, nimis fibi arctum anguftumque videri affereret: Miratus Guadignius; *itane*, inquit, *in tam amplo fpatio, nimia tibi anguftia? Magnum fateor*, ait Salterellius, *fpatium, nondum tamen omnes capiet, quos tu ad paupertatem redegifti.* Ibid. l. 2.

24. Parvi animofi frequenter.

Cum ex Nicolao Conftantio quidam fcifcitaretur: cur parvi fæpe homines ceteris effent animofiores? refpondit, *quia parvum habent corpufculum, quòd tueantur; cui fe putant defendendo fufficere.* Ibid. l. 2. Alius refpondit: *mirum non effe, fi anima in his anguftiis, tanquam aer inclufus, fortius obluctetur.* Vis unita fortior: & ignis paruum hypocauftum facilius calefacit.

25. Cum debitore creditor patitur.

Debitor cum folvendo non effet, amico fe invifenti folantique in mærore, dixit, fufpendiffem me ad finiendum hunc mœrorem, nifi librum *de patientia* fortè nactus, animum & confilia mutaffem. *Ergone*, inquit, alter, *jam creditoribus fatisfactum eft? Nequaquam*, ait, *deeft.* Tum ille. *Magis igitur conveniebat, iftos hunc de patientia librum volvere: qui velint nolint, carere eo, quod tibi deeft, cogentur.* Ex vacua crumena nihil folvitur. *Ibid. l. 2.*

26. An Medici reip. conveniant?

In menfa Alexandri IV. Pontificis aliquando de Medicis quæfitum: Præftaretne hos à rep. fubmoveri? Cumque (ut multorum hi dicacium linguis vapulant) hoc nonnulli contenderent,

fore ex re & bono communi, ut quibus Romani olim sexcentis annis caruissent. Contrarium sese Pontifex sentire arguto joco dicebat: *Nisi enim*, inquit, *hi essent, jam hominum multitudinem mundus ægrè sustineret.* Ens lib. 3. Epid.

27 Convitia spernendo imminues.

Idem Pontifex de Pasquilli statua, ad quam infames obtrectantium alienæ famæ theses affiguntur, in Tiberim præcipitanda delibera . erat. Cum Sessæ Dux intercessit. Et, *ne*, inquit, *beatissime Pater, hoc feceris: metuendum enim, ne pro uno Pasquillo innumeræ ranæ hoc strepitu excitatæ longè infestius totas noctes coaxent.* ibid.

28. Furti argutè perstrictus.

Quidam ad Amicum sex pingues Gallinas dono miserat: ex quibus unam lator subduxerat. quam fraudem cum acceptor notasset: *Pro quinque*, ait, *gallinis meo nomine gratias amico refer; tuo verò nomine pro sexta gratiarum actionis non oblivisearis.* Ibid.

29. Prudentia senem commendat.

Senex ac juvenis eandem pro conjugio prensabant Virginem, cumque illo consilio fortè apud illam convenissent. Juvenis senis ætatem perstricturus: *quot annorum esset?* quæsivit: Tum senex, *id quidem usque adeo non teneo; attamen scio, Asinum viginti annos natum seniorem censeri homine septuagenario.* Ibid.

30 Victa repentè Lusitania.

Sebastiano Lusitaniæ Rege in Africa occiso Philippus III. Hispan. Rex Ferdinando Toletano Albæ Duce intra 58. dies suo milite occupavit.

Qui cum in expeditione subita parum commeatus haberet: Hoc deinde jactare auditus est. *Lusitaniam à se non aliter, quàm regnum cælorum expugnatum esse, jejunio in pane & aqua tolerato.* Ibid.

31. Filia consultò collocanda.

Democritus cuidam filiam in matrimonium collocanti. Rem, ait, ancipitem aggrederis: *si generum commodum nactus es, filium invenisti: si incommodum, perdidisti filiam.* Ibid. l. 3.

§ 3. Exempla Alienatorum ex Quirino Pegeo.

1. Chirurgus oculos curat, & loculos.

DUm viduæ senescenti suos Chirurgus curaret oculos, neque magna spes solutionis esset, subducebat per intervalla ex suppellectile sibi magis opportuna. Denique, cùm illa, recepto jam visu, plura sibi deesse in domo animadvertisset: & Chirurgus præterea solutionem bene curati visus posceret. *Miror,* inquit, *illa, quemadmodum tua me opera adjutum dicas, quæ nunc minus in domo mea videam, quàm unquam antea?* Pegeus. p. 1. apopht font 5.

2. Pontifex tantò pauperior, quantò ditior.

Pontifex Alexander V. adeo liberalis erat in pauperes, ut cum honoribus ejus benignitas creverit, ideoque dicere auditus sit: *Cùm Episcopus essem, dives eram, cùm Cardinalis, pauper factus sum; cùm Pontifex mendicus.* Ibid.

3. *Non omnis fert omnia tellus.*

Principis cujusdam ſtultus lapides per agrum tanquam ſemina ſpargebat: rogatusque, *quid ageret?* Reſpondit, *lapideas ſe domos ſeminare*, quas iſtic deeſſe videat. *Potius*, inquit Princeps, *ſapientes homines (ut olim Deucalion) ſemines. Terra*, inquit, *O Princeps, hæc tales non profert.* Ibid. apoph. 2405.

4. *Malæ fidei Quæſtor proditus.*

Philippus I. Rex Hiſp. Molineto Morioni aulico viginti & ſex coronatos pro toga aſſignaverat: ſed Quæſtor Regius tredecim tantummodo contulit. Igitur Molinetus togam ſibi curat, dimidiatam, ac ſic in conſpectum Regis progreſſus, omnibus riſum, admirationem etiam Regi concitavit. Et *ubi*, inquit, *toga dimidia? Exſpectat* ait ille, *tredecim coronatos reliquos: nam pro 30. mihi oblatis hæc fuit comparata.* Ita Quæſtor confuſus, & Milinetto ſolutum eſt. *Ibid. n. 2433.*

5. *Verſus inepti Poëtæ.*

Marcus Dalodius Clementi VII. Carmina quædam honoris gratia offerebat, cumque legeret Pontifex Dalodium monuit, *in primo verſu ſyllabam deſiderari.* Vidit, agnovitque. verùm ſubjecit, *in ſequentibus hinc inde ſyllabam ſupereſſe, ut hunc defectum compenſari.* Ibid. n. 2435.

6. *Ineptus reſponſor confuſus.*

Dantes Poeta celebris ex quodam, *quænam eſſet hora?* ſciſcitabatur: qui cum falſè reſpondiſſet: *jam illa hora eſt, qua aſini adaquantur*: *Mirum igitur*, ait Dantes, *te hic in ſicco verſari.* Ibid. n. 412.

7. Ægra simplicitas.

Nonnulla Medicos nunquam experta, cum accessisset Doctor, venamque pertentasset, ac remedium præscripsisset morbo: ad suos deinde versa, inquit, *profectò hic Medicus insanit, qui cum ego ex lateribus doleam, ipse explorat brachium.* Ibid. n. 417.

8. Moriones ab aula rejecti.

Rex Daniæ Christianus Moriones sibi pro aula oblatos repudiabat: & *si* inquit, *Moriones habere placeat, aulicos meos inebrio; & mox illo genere hominum abundo.* Ibid. 443.

9. Judicium stultum, & iniquum.

Agebatur in oppido quodam de ancipiti judicio Rei cujusdam, interea nonnulli Carnificem aliunde accersiveraut. Tum Judex inter Scabinos ultimam pronuntiaturus de Reo sententiam. *Censerem*, inquit, *hominem esse dimittendum; cum tamen accersitus sit carnifex, illi videtur ad supplicium tradendus, ne frustra adfuerit.* Ibid. 449.

10. Post mortem quidam auribus metuit.

In Hollandia locis quibusdam moris est, ut in exequiis pueri ex vicinia convocentur, illisque lac similagine intritum detur. Nonnemo igitur illic testamento cavit, ne pueri *suis in exequiis* convenirent, sed sua cuique in ære portio submittetetur: *non enim*, inquit, *aures meæ hujusmodi puerorum garritus queunt sustinere.* ibid. n. 441.

11. Ebrius Parochus spretus.

Rusticus Porocho ebrietati dedito honorem detrectat. Accusatus hujus irreverentiæ, & *meum*, inquit, *Asinum nudato capite nemo honorat, cum*

tamen is nostro sit Parocho prudentior, nec plus bibat, quam ferre queat. Pegeus in Apoph. p.1.n.170.

12. Petulantia tacitè exprobrata.

Dum ex socio conviva nonnemo in mensa quæreret: *num quid sibi ex vitulina carne præputatum vellet? Omnino*, inquit, *sed cave ne te lædas.* ibid.n.177.

13. Appetitus honoris.

Antonius leva inter præcipuos Caroli V. Duces, cum in Hispania illum quem primores Hispani, caput coram Rege obtegendi honorem non haberet, ob afflictos tamen ex podagra pedes sedere juberetur. *Quanquam*, ait, *pedibus doleam, magis affligor frigore capitis* ibid. 178.

14. Cupiditas avari delusa.

Hispanus ad opulentum, cupidumque juxta, Dominum circa tempus prandii ingressus, ut famem triduanam pasceret, ait: *reperisse rationem, qua Dominus 1000 coronatos lucrari queat:* lætus ille invitat hospitem, ut mensæ adsit, ac deinde rationem exponat. Ergo ventre prius bene suffarto, ad Museum unà digressus. *En*, inquit, *Domine mi quàm paratum tibi lucrum illud sit: elocasti primam filiarum, attributa dote 2000 millium: alteram mihi filiarum concede, cum dote media: ita mille coronatos in lucro repones.* Tum alter: *nondum cogito hanc filiam tradere alteri.* Hispanus itaque discedens ait. *Quod si ita sit, consilium hoc meum servabo aliis, nos interea amici iidem futuri sumus qui antea* ibid. 930.

15. Iocus crassus Hirschauiensis.

Miles Hirschauiam ingressus, cellario hospitis ad

ad quem diverterat. *Audio hanc urbem à jocis celebratam, equidem Hirschauiensem mihi jocum experiri gratum sit.* Poterit, inquit, ille, hæc gratia fieri, simulque abit & ab ocreis, quas tum fortè detrahebat, priores partes cum soleis, instar crepidarum amputat, & has offert pro pedibus. Miles ubi manè repetitas ocreas inducturus, ita mutilatas cerneret. *quid hoc*, inquit, *rei est? locus*, respondit alter, *Hirschauiensis.* ibid. 932.

16, Iudicium contra se latum.

Rusticus Prætorem conveniens, *infelix*, inquit, *casus tulit, ut bos mea tuam cornibus impetens, eandem occiderit: quid consilii?* Cui Prætor, *æquum igitur est, ut pro illa mihi satisfacias.* Tum Rusticus, tanquam verbis lapsus: *non hoc*, inquit *assero. sed meam à tua occisam dico. Planè*, inquit Prætor, *rem diversam narras. quid enim obstare poteram? ego certè id bestia non præceperam.* ibid. 951.

Maximilianus Cæsar, cum ex familiaribus quendã 300. Imperiales daleros intervertisse deprehendisset, re aliquantulum dissimulata opportunè ex illo tandem sciscitabatur. *quâ pœnâ dignum censeret ministrum furto as Domini depeculantem? Patibulo*, respondit ille. *Verùm.* inquit Cæsar, *tua nobis operâ adhuc deinceps erit opus.* Itaque sua perstrictum sententia clementer correxit. *ibid.* 949.

17. Ingenua confessio miseratione digna.

Dux de Ossuna suas invisebat triremes, cumque remis mancipati suam plerique innocentiam obtenderent, spe consequendæ libertatis:

tum miles, iisdem reductis, redditisque. *Si*, inquit, *hoc pretio non offerantur, erunt relinquenda.* ibid. 990.

22. *Miles jactabundus,*

Miles Hispanus aluearia transiens, educto gladio aliquod dissecuit, & *sic*, inquit, *mactabo hæreticos*: Verùm apes lacessitæ turmatim eundem inuasere: tum ille indignatus: *hoc*, inquit, *iniquum est, omnes unum inuadere; siquid audetis veniant singula.* ibid. 993,

23. *Turpe viro vindictam à muliere sumere.*

Cum minister Ducis Hispani Infantago à muliere verberibus malè multatus esset, & questus factum, adiiceret; *hanc ad Ducem spectare ignominiam. Si*, inquit, *ad me spectat. ego hanc animosa mulieri condono.* ibid. 996.

24. *Musici magno impendio alendi.*

Cum Ludovicus XI. Gall. Rex consultaret *quid legatis*. Anglorum minimo suo detrimento *offerre posset*? Respondit D. Bressajus, *etiam cum lucro tuo, o Rex, Musicos illis tuos oblaturus es, in quos tantùm facis impendii.* ibid. 705.

25. *Politicus sermonem loco aptat.*

Castilianus & Portugallus in Castilia de Regibus suis contendebant: *uter illorum major*? & cum quisque pro suo contenderet, Portugallus verbis verberibusque Castilianorum coactus denique est, Castilianum Regem præferre. Evenit deinde, ut in Portugalliam Castilianus ille transiens. illic deprehenderetur à socio, qui vindictæ cupidus, rursum quæstionem de Regibus movet: cumque Castilianus, Regem Portugalliæ majo-

rem esse diceret, ut vim ac verbera declinaret. *Vtquid*, inquit Portugallus, *contrarium igitur urgebas in Castilia? Quia*, respondit Castilianus, *illic in meo fimeto canebam.* ibid. 712.

26. Gravitas importuna.

Quidam certæ gentis gravitatem, in suo incessu adeò pertinaciter est tuitus, ut cum sub carnifice virgis cæderetur, jussusque esset ad supplicium citius terminandum, incitare gressum: responderit: *nullo opprobrio se ad hoc dedecus impellendum, ut gravitatis fuisse immemor feratur.* Alius dixisse fertur: *Ita mihi nunc placet incedere, tu si ad carnificis manus & virgas damneris, tuo arbitratu incedas.* idem Pegeus n. 3807. &c.

27. Hosti mortuo insultare.

Tyrannus aliquis ex ossibus mortuorum organum instruxerat, cui inscriptum fuit: *Saltus Regum, mors hostium.* Occisorum verò capita horti arboribus appenderat: ostio inscribens: *Bellaria Martis.* ibid. n. 3827.

28. Furtum astutè detectum.

Cum Cæsar Rudolphus Norimbergæ tempore comitiorum ageret, & peregrinus cuidam hospiti crumenam pecunia plenam tradidisset, quam repetenti negaret; re ad Cæsarem delata, & utroque audito, ut erat jocorum amans Rodolphus conversus ad hospitem *permutemus pileos* inquit, *tuus enim mihi aptior futurus videtur*: videlicet ad rem, quam paro. Quod ille honoris causa factum interpretatus, lubens admisit: interea detento homine Cæsar misit, qui ostenso uxori pileo, juberent crumenam viro submitti,

quæ

quæ ad Cæſarem delata, & peregrino reſtituta eſt: cui ſine teſte fuiſſet in judicio ſuccumbendum. ibid.n.3848. Ex Tympii menſa Phil.p.2.

29. Par merces labori.

Cum Imperator Carolus IV. adverſus Philippum Auſtriacum bellum geſſiſſet: quibuſdam parum fidis, ſolutionem ex corrupta moneta præſtitit, qui cum quererentur. *Æquum,* inquit *præſto: nam tale eſt præmium, quale ſervitium.* ibid. n. 3857.

30 Mendacium ſæpe proditur.

Quidam vicini Aſinum utendum certo in labore rogabat. Verùm invitus Dominus, negabat Aſinum Domi eſſe. Interea Dum colloquuntur, rudit, auditurque præſens Aſinus. *En*, inquit, ſollicitator, *prodit Aſinus mendacium.* *Ergone*, excepit alter, *plus Aſino meo crediturus es, quàm mihi?* Pegeus n. 4462.

31. Doctor imperitus.

Muſicus parum peritus cum aliorum inſtructor fieret: à peritiore nonnemine interrogatus eſt. *ut quid doceret alios, ipſe tam paucorum gnarus?* Reſpondit: *doceo imperitiores & à peritioribus diſco.* ibid. n. 4464.

32. Fur captus.

Fur interrogatus, *quod malum perpetraſſet maximum?* hoc, *ait, quod me capi permiſerim.* Alter capite plectendus orabat, *ut ſe velint ſuſpendio necare, non enim ſe ferre oculis ſanguinem ex vulnere poſſe, quin in animi deliquium incidat.* Alius, *venam ſibi aperiri* poſtulabat, *quòd intellexiſſet hoc in mortis periculo præſens auxilium eſſe.* ibid n. 4466. &c.

34. *Spurius.*

Quidam alteri malè nato his verbis genus exprobrabat: *Salvo honore parentum tuorum id dictum velim, ſpurius es.* Cum alius laudaret ſpurios; ab ingenio ingenuus magis, quàm ingenioſus adoleſcens, qui aderat: *doleo*, inquit, *me talem quoque non eſſe.* Pegeus. n. 4484. & alibi.

35. *Negligens in ſtudiis.*

Parens filio exprobrabat, quòd pluribus in una claſſe hæreret annis. *Quomodo*, inquit, *hoc probro mihi verti poteſt, cùm Magiſter meus pluſquam 20 annis eadem in claſſe hæſerit?* Idem.

36. *Multi diſſoluti.*

Erat qui à frenorum artifice pro aſino ſuo frenum poſceret: qui cum inter colloquendum queteretur, vix ex ſuo ſe artificio ſuſtentari poſſe. *Mirùm verò*, inquit, *cùm tam multos hæc urbs aſinos habeat. Sed hi*, excepit opifex, *frenum non admittunt.* ibid. 4520.

37. *Duellum lepidè rejectum.*

Miles in diſſenſione ab alio provocabatur ex ædibus. Ille è feneſtra quærit: *Ecquid ages, ubi ad te deſcendero? Caput*, inquit ille, *tibi infringam. Ergo*, reſpondit alter, *non convenit me deſcendere; ne parricida fias, meique gratia ad patibulum commigres.* Id. n. 4515.

38. *Hiſpanus honorarium à Gallo reſpuit.*

Miles Hiſpanus à Principe Momorantio literas ſalvi conductus poſtulabat, cumque is præter literas aureum nummum adjiceret, aſpernatus pecuniam eſt, quamvis lacera in veſte. Tum Princeps, *ut quid reſpuis as oblatum? Indignum*, inquit, *nobi-*

nobilitate mea factum sit, mendicatò vivere. Pluresne ait Princeps, *Rex tui alit similes? Nescio*, inquit, *hoc scio, quod plures similes vestrûm.* ib.4916.

39. *Furis vafrities.*

Vidit nonnemo in foro hominem, aureum ore coronatum recondentem, quo, ut potiretur, transiens, velut casu, auream argenteamque monetam in terram effudit, in qua colligenda, dum mercator ille aliique subveniunt. subjecit, *coronatum sibi deesse, quam observasset ori alium inserere.* qui frustra obnitens, cum deprehensus esset, coactus est, cum infamia suum furi cedere. Tam subtiles malitia recessus habet. *id.*n.4915.

40. *Fur delusus.*

Docuerat nonnemo equum suum ad has voces *flectamus genua*, eadem submittere. Evenit, ut hostis illum furto abducturus, jam flumen cum equo transiret. Ergo, ut inclamavit Dominus, *flectamus genua*, equus præcepti morisque sui tenax, inter aquas submissis genibus, insessorem deposuit. *ibid.*4917.

41. *Captivus mansuefactus.*

Nonnemo carceribus inclusus, cum tumultuaretur, seque non diu mansurum illic minitaretur, custos intra biduum nihil illi ciborum attulit, tertio demum accedens die, velut admiratione plenus, exclamat, *etiamne tu illic moraris, qui te repentè abiturum juraveras, existimabam te fidem dictis habiturum*? ibid.4921.

42. *Malæ mulieres domitæ.*

Cum mulierem obstreperam verberibus paulò severius vir castigasset, illa, velut ad ictus letha-

les,

duti habitu, feminæ Dearum in cultu frequentarunt. Post quod, cùm urbem improvisa premeret inopia, cives arguto sarcasmo questi sunt, *Deos Deasque collectam pro hominibus annonam consumpsisse.* Id.n.4933.

45. In sublimi humilitatis suæ memor.

Benedictus IX. Pontifex vili prosapia oriundus, Matrem habuit superstitem, quæ filium salutatura, *nobiliori*, ut decere putabat, *cultu induta*, accessit. Verùm Pontifex ut illam vidit: negavit *talem se Matrem suam agnoscere.* Ergo sic rejecta, pristino in cultu reversa, hilari vultu amplexuque à filio excepta: *hæc*, inquit, *mea his in pannis Mater est.* Id.n 4939.

46. Regnorum vanitas

Alphonsus Rex. Arrag. hac delectatus imagine est, coronam & sceptrum humi strata, & veluti à fugiente relicta, aliis juxta subsistens designabat, cum lemmate: *Non tollit, qui novit.* Id.n 4943.

Carolus Magnus Cæsar in capulo ensis annuli sui signatorij figuram gerebat: atque illo graviora & majoris momenti obsignabat negotia, indicans *sine gladio Reges magna imperare, ac tueri mandata non posse.* Id.n.4958.

47. Discordia conjugum.

Discordes in domo conjuges hoc nonnemo emblemate notavit, & admonuit. Ex perticâ transversa vas aquæ pendulum erat, quod hinc vir, inde mulier, tanquam laturi sustinebant, sed aversis frontibus, tergoque ad se invicem converso, cum inscriptione qualis signis distinctivis ædium præfigi solet: *In sensu disparato.* Id.n.4957.

48. *Fraus*

48. *Fraus in autorem recidens.*

Judæus quidam apud Electorem Saxoniæ jactabat, quod *Schemhamphorasch* adversus quævis vulnera, & Kaméa adversus capitis dolores possideret, offerebatque Principi. Tum exerto Princeps gladio, atque in caput illius inflicto, ubi sanguis miserè querenti ex vulnere flueret: *ut video* inquit, *parum probatum est remedium, quod venditas.* Id. n. 5776.

49. *Levitas in vestitu correcta.*

Christophorus Dux VVittenbergicus hostis novitatum in vestibus, cùm longæ Helvetorum à Gallis caligæ, in Germaniam quoque transirent, Lictorem suum hoc induit habitu: & si quem deinde hoc cultu habuisset obvium, quærebat, *nunquid lictoris sui habitum, & munus occupasset?* Ita brevi hanc levitatem sua ditione submovit. n. 5777.

50. *Levitas feminæ perstricta.*

Quædam in matrimonium ducta, cum primo mense lapso prolem peperisset, cunarum artificem vir adit, ac duodecim sibi cunas præparari postulat, causam verò facti tam insolentis rogantibus: *pro integro,* inquit, *mihi anno providere cupio, si quot mensibus uxor prolem datura sit* ib. n. 5778.

51. *Ambitio & cupiditas punita.*

Hermenfridi Thuringiæ Regis uxor marito in publico convivio tantum mediam sterni mensam, aulamque vestiri curarat: dicens, *alteram partem ex Regis Franciæ possessionibus vestiendam, cui temere medium regni cessisset,* atque his aliisque probris maritum perpulit, ut pro regno sibi inte-

grè

grè vendicando adversus Francum arma caperet; sed uno demum prælio victus amisit omnia, & ambitiosæ mulieri nihil deinde in aula regia vestiendum reliquit. *Ib.n.*5791.

CAPVT VIII.

De Fonte comparatorum universè.

QVamvis hujus fontis inventio perquam facilis appareat, tamen in recessu suam quoque abdit difficultatem. Cum vel *ratio* debeat esse, atque inexspectata quædam, in rebus tamen notioribus, reperta comparatio: occultâ aliquâ dote erutâ: vel certè ex alienis fontibus simul exornari. Quia tamen vulgarem magis obviamque disciplinam continet, parcius hic exemplis adducendis insistam, quæque ex suprà lectis Auctoribus *Plutarcho, Caspare Ens*, & *Pegeo* se digniora obtulerunt generatim depromam.

§1. Argutè comparata ex Plutarcho.

1. *Diligentiâ & ager, & resp. proficit.*

ATaxerxi Mnemoni omnibus per viam ad compellandum obviis patens: Cum tenuis illi conditionis homo, suo ex agello, pomum ingens, honoris & muneris gratiâ, obtulisset, hilari illud vultu excepit. *Et hic*, inquit, *ex parva sibi urbe commissa magnam quoque noverit efficere*; ejusque

jusque illi administrationem commisit. *Plutarchus in Apoph. Reg. & Princ.*

2. *Homini fucato non fide.*

Philippus Rex Maced. cum quendam amicum Antipatri in collegium Iudicum cooptasset: ubi animadvertit hominem tincto capillitio barbaque incedere, eum removit: asserens: *nihil homini in negotiis publicis fidendum, qui mala fide proprios crines vultumque tractaret.* ibid.

3. *Exercitus fortis sine Duce inutilis.*

Cum Alexander Magnus jam fato functus, robustum ac victoriosum Macedonum reliquisset *exercitum*, Demades Orator, hunc *suo Imperatore destitutum, Cyclopem dixit esse excæcatum.* ibid.

4. *Et musca sua bilis.*

Brasidas Princeps cum inter caricas *murem cepisset, morsus* ab eodem acrius, captum dimisit. Tum adstantium nonnemo inquit: *nihil ita parvum est, quod salutem sibi non paret, si ulcisci audeat invasores.* ibid

5. *Miles timidus ignavus est.*

Lysander suos Lacedæmonios in obsidione ad Corinthiorum muros expugnandos animaturus, cum ex fossis urbis prosilire vidisset leporem. *Hos*, inquit, *vos metuitis hostes, quos lepores non metuunt, sed eorum securè muris indormiscunt?* ibid.

T. Quinct Flamminius, cùm in Græcia apud Achæos versaretur, & Antiochus cum ingenti veniens exercitu illos terreret; ad illos animandos narrabat: *se in Chalcide apud hospitem in cœna multitudinem carnium miratum, intellexisse ab illo denique.*

nique. nullas in mensa carnes, nisi suillas esse, condimentis duntaxat & apparatu distingui: ita ipsos quoque, non debere Regis copiis terreri, cum lancearios, cataphractos sagittarios, pedestres, atque equestres copias distingui audiant: omnes enim tantum Syros esse, ex vilissimo genere hominum. ibid.

6. *Desperata in bello res.*

Cum ex pugna Pharsalica victus Pompeius fugisset, Nonius quidem Cicerone audiente retulit, nondum prorsus desperatum, *cùm adhuc septem aquilæ* (signa erant militaria) *supersint. Rectè*, inquit Cicero, *moneres, si cum graculis pugnandum esset.* ibid.

7. *Tueri causam æquam ratione.*

Cum Rex Lacedæm. Agesilaus Reum, contra disertum Actorem, malè causam suam tueri audiret: isque ingeminaret identidem, Agesilae, *Regem tueri leges æquum est.* Tum Agesilaus. *Rectè inquis, sed si domum tibi perfodisset quispiam, aut vestem abstulisset, putasne architectum, aut textorem tibi opem laturum?* Plut. in Apopht. Lac.

8. *Mortis contemptor.*

Thectamenes Spartanus judicio Ephororum morti addictus; ad sententiam risit. Mirantibus, &, *num contemneret eorum leges?* sciscitantibus. *nequaquam*, inquit, *sed lætor hanc imponi mulctam, quàm, neque precariò, neque fœnori sumpto ære, licet exsolvere.* ibid.

9. *Ex factis vir agnoscitur.*

Cum Lysandrum Laced. Regem nonnemo verbis extolleret, diceretque, *laudo te ac defendo:* spre-

ta illius laude dixit: *Duos ruri boves alo, quibus tacentibus, uter illorum ignavus sit, uter industr. us, exquisitè novi.* ibid.

§ 2. Argutè comparata ex Caſpare Ens.

1. *Vana ſine viribus ira.*

COſmi Medices Florentini Ducis, qui primus familiam ſuam maximè extulit, multa ut prudenter, & aſtutè facta, ſic & dicta celebrantur. Ei, cum proſcriptus quidam Florentinus minaciter ſignificaret: *Gallinam jam ſuis incubare ovis*, innuens, conſilia ab exulibus adverſus illum cudi: *atqui*, inquit, *extra nidum illa pullos non facilè excluſerit.* Significans, exulum conſilia difficilem habitura extra patriam ſucceſſum. *Ens Epid. l. 1.*

Cum alij ſignificarent: *hoſtes ipſius nequaquam dormire.* Reſpondit, *Facilè illud credidero, cùm ſomnum illis ac quietem jamdudum excuſſerim.* ibid.

2. *Gratiarum actio nil prodeſt egenti.*

Simonides gratias ſibi pro oblatis carminibus referenti, inquit, *duas ſibi domi ciſtas eſſe, ex quibus altera quidem præmiorum plena, in neceſſitate adſit; altera gratiarum vacua, nihil juvet indigentem.* Ibid. ex Plut. de Curioſ. & aliis.

3. *Et proſunt inimici.*

Antiſthenes diligenter attendendum eſſe dicebat, quid inimici de nobis ſentiant & loquantur: nam, *ut à ſerpentibus ſæpe remedium, ita ab inimicis utilitatem petendam eſſe.* ibid.

4. *Fortuna volubilis errat.*

Petrus Albizius, inter Florentinos, ſummarum opum

opum & autoritatis vir, quondam hospites splendido exceperat epulo, cum oblatus inter bellaria clauus fuit. Res mira & improvisa omnibus erat: cum nonnemo accepto oblatoque Albizio clavo: *hoc*, inquit, *fortunam tuam, summo quo illam tenes loco fige, ne illa more suo ad ima devolvatur.* Præsagium id fuit: nam brevi post tempore fortunis eversus omnibus, ignominiosa etiam morte sublatus est. *ibid.*

5. *Regem excellere æquum est.*

Leonidas Rex Spartanorum à quopiam hoc dicto contemptus. *Tu quidem excepto regno nihilo me es melior:* respondit: *nisi te melior fuissem, Rex non essem.* ostendens nihil esse in ipso, Rege dignum. *Eus lib. 2. Epid.* Alterius illa elegans est Regis comparatio, qua se *nuci* similem dicebat: *sub quam in tempestate se multi recipiant: at sereno rursum cœlo, ramos diverberent, decutiantque fructus.* Ibid. l. 2.

6. *An Achilles Homero præferendus?*

Nonnemo interrogatus, Achillesne tot rerum cum laude gestarum patrator; an Homerus doctissimus illarum scriptor esse malit? rursum quæsivit ex altero. *malitne ipse buccinator in bello, an imperator haberi?* Verùm elusit magis quæstionem, quàm solvit: major enim apud posteros laus atque æstimatio Homeri, quàm Achillis fuit. *Ibid. l. 2.*

7. *Amor conjunctus dolori.*

Sunt qui *Chimæræ similem faciant Amorem*, cujus, in principio ferocis, caput Leo sit; in medio luxu-

luxuriosi venter capræ; in fine noxij & venenati, cauda sit Draconis. *Ibid l.2.*

Littore quot conchæ, tot sunt in amore dolores:

Quæ patimur multo spicula felle madent.

8. *Ornatus mulieris vanus.*

Mulierem quidam admodum ornatam conspicatus *hæ plumæ*, inquit *majoris sunt pretij, quàm ipsa avis. Freno inaurato nihil ipse equus melior futurus est.* Ib.l.2.

9. *Astutia temeritati præferenda est*

Galeatius Sphortia Dux Mediolanensis ad Bartholomæum Colonium celeberrimi Veneti exercitus Ducem, *vulpem cavea inclusam misit*: ut significaret, *astutam etiam militem capi posse.* Colonius, ut par pari rependeret, Galeacio Accipitrem puerilibus nolis ac catenulis ornatum, (qualem pueri pro lusu circumferunt) remisit: ut indicaret temerarium ipsum, ac ridiculum juvenem esse, quem pro oblectamento habeat & aspernetur. *ib.*

10. *Senium non sit otiosum.*

Diogenes iam senex monitus à quopiam, *ut quiesceret in senio. Quid enim* respondit, *si in stadio currerem, utrum meta proximus remittere, an verò cursum intendere deberem?* Eus. lib. 3 Epid. Huic addo quod Marcellus Virginius de *senibus* dicere est solitus: hos *oculos in sinu, pedes in manibus dentes in vagina ferre.* Quod tu facilè ænigma solves.

11. *Non quivis Rhetor Orator est.*

Isocrates interrogatus. qui fieret, quod ipse cum oratoriam doceret artem ceteros, ipse

tamen

tamen orator non diceret. respondit, & *cotem ferrum acuere, cum tamen ferrum non scindat.* Indican quibusdam ad usum n nunquam deesse, quæ ad instructionem non desunt. *Ib.*l.3.

§ 3. Argutè Comparata ex Pegeo.

1. *Fur furi parcit.*

Militum nonnulli Agricolam ruri aggressi, equum illi subducere nitebantur. Tum ille, *obsecro vos, ô Domini, parcite mihi; nam & talis ego fur um, quales vos estis.* Quir. Pegeus in Apoph. n.2422.

2. *Par pari astutè repensum.*

Helvetus Regi Sueciæ Carolo militaverat jamque exautoratus 600. daleros Imperiales sibi debitos à Rege postulabat: cui hic contemptim respondit, sexcentos tuum in caput Diabolos numerabo. Ille interea regiâ in urbe liberaliter indulgebat genio, tanquam jam possessor nummorum factus. cumque rationibus initis trecentos daleros hospes posceret. tuum, ait, in caput trecentos tibi Dœmonas rependam. Ita contentione susceptâ, cum res ad Regem delata esset, & Miles citatus venisset. *Quid*, ait hic, *injuriæ intuli, quando eâdem monetâ eidem solvi, quâ abs te Rege mihi solutum est?* Quare Rex injuria hac pacto commonitus, & hominis ingenio delectatus, hospiti ac militi satisfecit *Id.*p.1.n.929.

3. *Et parvis urbibus sua vires.*

Cum Regina Hungariæ soror Caroli V. Comiti Nassovio ante Peronam in Italia diutius hærenti

scri-

ſcriberet: *ut quid ante columbarium illud tamdiu moraretur?* reſpondit: *novi illic generis columbas reperiri, quas capere atque educere perquam ſit difficile.* ibid. n. 934.

4. *Suus conſtat labori fructus.*

Pater moriturus, ut filios ad vineam perfodiendam exacueret: ait, *audite Filij: theſaurus in vinea noſtra reconditus eſt; ſed locum deſignare non poſſum. Igitur, ut reperiatis, ordine vobis erit ſuffodienda.* Fecêre, ſed nihil repertum: cum tamen uberrimos fructus daret: intellexere, quem illis pater theſaurum reliquiſſet. ibid. 936.

5. *Mutare Militiæ fidem.*

Princeps quidam ad Regis Francorum partes acceſſurus in nummis excuſis manum cum nudo gladio propoſuerat, inſcribens *combuſta vagina eſt.* Idem tamen haud multò poſt mutata ſententia cum receſſiſſet, vulgò dictum eſt, *novam ab illo vaginam repertam eſſe.* ibid. 5994.

6. *Alieno malo ſuum bonum quærere.*

Iulius II. Pontifex ſimiam habuit, quæ dum videret aulicos ad prunas caſtaneas nuces aſſare, ut iis innoxiè potiretur vicini arripuit catti pedé, eruitque, arridentibus aliis, quòd hoc brutum animal quoque *ſuum commodum alieno quæreret incommodo.* ibid. 2973.

7. *Cunctatio ſæpe nocet.*

Ferdinandus I. Rom. Imp. legatum miſit Hieronymum Balbum ad Pontificem Adrianum pro ſubſidiis adverſus Turcam, cumque Pontifex cunctaretur Balbus, inquit, *Fabius Maximus cunctando*

ctando Rom. imperium servavit, vestra Sanctitas cunctando rursum amittet. ibid. 3650.

8. *Tributa moderata sint.*

Cum Rex Gall. Henricus IV. de mediis ærarium locupletandi deliberaret, & nonnemo suaderet, aquis ad usum necessariis tributum imponendum esse, respondit: *hanc sibi Deus solus facultatem reservasse videtur, ut ex aquis vinum aurumque conficiat.* ibid. 3860.

9. *Indigniorem digni quandoque fulciunt.*

Cum Henricus II. Rex Gall. aliquando hominem ineptum ad supremum Concilium promotum vellet, qui ad examen adhibitus ab aliis rejiceretur. Rex ita intercessit: ut quæreret, *an non inter tot Equos liberos, unus simul Asinus, transire posset?* ibid. 3861.

10. *Et propugnator, & oppugnator habendus.*

Cum Fabius cunctando Hannibalem deluderet: Marcellus contra viribus eundem urgeret; ille *Romanorum clypeus*; hic *ensis scitè est appellatus* Ens l. 3. Epid.

11. *Veritas & mendacium distant.*

Thales Milesius interrogatus, *quantum distaret à mendacio veritas?* respondit, *quantum oculi ab auribus.* Sentiens auditu sæpe falli homines, visis porrò, nos tutius credere. Quo & Homeri figmentum spectat de somniis: quorum illa, quæ per corneam portam, hoc est, oculos subeunt, vera sint: quæ per eburneam, hoc est os ac dentes loquentium, vana. *ibid.*

12. *Aliud verbis, aliud vita profiteri.*

Cleanthes Philosophus Peripateticis idem quod

lyris evenire dicebat, quæ *aliis quidem grata harmonia insonent, seipsas verò non audiant. Ita hos præclara aliis tradere, quæ ipsimet non audiant, nec sequantur.* ibid.

13. *Inferior parcat, & pareat majori.*

Cum Philippus I. Rex Hispaniarum intellexit, Accipitrem, seu Falconem suum Aquilam aggredi ausum esse: jussiit occidi; dicens: *Subdito nihil contra Dominum impunè licet.* id. n. 4983.

CAPVT IX.

De Fonte Allusionum universè.

DIc fons plus sæpe felicitatis, quàm ingenii requirit. quando in luso verborum rerumq; , inveniendi quodam promptitudine, etiam rudioribus illa subvenire possunt, quæ perspicaciora ingenia subterfugiunt. Quod si tamen cum felicitate concurrat ingenium, planè hinc argutis vibrantur aculeis sententiæ, quæque altè sensum animumque penetrant. Mihi, ut factum in ceteris, quædam hic universum satis erit attigisse.

§. 1. Exempla Allusionum ex Plutarcho.

1. *Reges decet esse liberales.*

ATaxerxes Rex Persarum, cum alteram haberet manum longiorem *longimanus* dictus est. Ad quem Rex ipse scitè alludens: *Regium.* inquit, *magis*

magis est addere rebus, quàm detrahere. Ita *Plut. in Apoph. Regum.*

Et illud Nasonis eidem convenire poterat:

An nescis longas Regibus esse manus?

2. Regnare dulce est.

Dionysius Orator Syracusanus cùm inter plures ad populum dicturos sortitò aliqui deligerentur, M litera illi obtigit. Nonnemo itaque in ipsum jocatus dixit. *Morologus*, id est, stultus Orator futurus es: *Imò* respondit Dionysius, *Monarcha*. Et ita eventus tulit. Cum enim esset de eligendo Rege instituta deliberatio, ipse præ reliquis placuit, coronaque est donatus; Sed orta in caput suum conspiratione, cum amici, *ut imperium deponeret*, suaderent: cernens bovem à coquo iugulatum subitò corruere: *nonne*, inquit, *indignum esset, nos mortis tam brevis metu, deserere imperium*? idem ib.

3. Rex liberalis.

Cum Philippo Macedonum Regi *claviculam pedis* læsam curaret Medicus, isque alia atque alia munera postularet indies: Rex tandem, inquit, *accipe quantum lubet, habes enim claviculam in manibus.* ibid.

4. Pro regno facilè certatur.

Alexander Magnus jam moriturus. cùm vastissimum, post multas victorias, regnum, multis atque ambitiosis Macedonum Ducibus relinqueret. *Video*, inquit, *magnum mihi certamen funebre exhibendum.* ibid.

5. Omen victoria ex cane.

Paulus Æmilius Consul & Imperator adversus

Perseum Regem Maced. creatus, domum redux filiam flentem reperit. cumque interrogaret, *ut quid fles mea filia? Perseum*, inquit, *mortuum lugeo.* (erat illud catelli nomen) *Bonum omen*, ait, *tu fles, ego gaudeo: magna spes vincendi affulsit Persei.* Et verò superauit cepitque ipsum Perseum. Sed cum triumpharet, alter filiorum antè, alter post triumphum extinctus, gaudium mœrore confudit. ibid.

6. *Servilis conditio spreta.*

Cum servorum olim esset habere aurem perforatam, quidam Afer natione, qui servilis apud Rom. conditionis erant Ciceroni objectabat, *se dicentem non intelligere. Mirum verò est*, respondit Cicero, *cum tamen aurem habeas perforatam.* ibid.

7. *Corruptela munerum exprobrata.*

Hortensius Orator, ut Verrem adversus Ciceronem tueretur, ab illo *sphingis simulacrum aureum dono acceperat.* Evenit deinde, ut Ciceroni de Verre obscurius quædam dicenti, Responderet Hortensius, *se ænigmatum solvendorum esse imperitum. Mirum*, ait, *Cicero, cum tamen sphingem possideas domi.* ibid.

8. *Libertas vafrè oblata.*

Cum Demetrius Antigoni filius Megaram oppugnaret inter pacta deditionis erat, ut liberam urbem relinqueret. Admissus verò omnes quotquot erant servorum in captivitatem abduxit. Tum Stilpon Philosophus Demetrio non ingratus: *Sane*, inquit, *o Rex, liberam nobis urbem restituis, postquam nullum in illa servorum relinquis.* Plut. in vita.

§ 2. Exempla Allusionum ex Gaspare Ens.

1. *Fidem violare turpe est.*

Simonetta à Francisco Sphortia, ad Colionum Venetæ militiæ præfectum missus, ut eum ad Sphortiæ partes reduceret: cùm reperiret obstinatum. *Scin'*, inquit, *quid herus meus dicturus sit: te nimirum, magnum fortemque virum, millenis aliquot ducatis victum esse.* Tum Colionus, id si dixerit, tu meo ipsi nomine respondeto: *multò esse turpius, non mille ducatis sed ducatu uno victum fuisse.* Intelligens Ducatum Mediolanensem cujus obtinendi spe contra eos, quos tuendos susceperat arma convertit. *Ens l. 1. Epid.*

2. *Difficile est cedere opulentis prælaturis.*

Ludovicus XI. Rex Galliar. Benniensis Monasterii Abbatem sua ut prælatura alteri cederet, orabat. Cui Abbas respondit, rogare se inducias certi temporis. *Iam enim annos quadraginta duos primis Alphabeti literis A. B.* (gallicè abbè) *discendis se impendisse, totidem igitur sibi opus videri, ut sequentes literas C. D.* (Cede) *rectè assequatur.* sperare se, fore, ut Rex illi suæ tarditati ignoscat. *ibid.* l. 1.

3. *Malum caput corpus reip. turbat.*

Ad Vrbanum V. Pontificem nonnemo ex oppido Romanæ ditionis introductus, cùm in multis Hierarchæ obluctaretur., *profectò*, exclamat Pontifex, *malum vobis caput est.* Tum legatus: *ita fateor est, ac melius nobiscum ageretur, si non es-*

ſet. In ipſum Pontificem caput populi Romani illud detorquens. *ibid.* l. 1.

4. Epitaphium diſſoluti adoleſcentis.

Franciſcus Philelphus ſuperioris ætatis vir doctiſſimus, cum à quodam importunius urgeretur, ut cognoto ſibi adoleſcenti epitaphium conderet; denique rogavit nomen: cumque is diceret Joannem Vitellum (quod Latinis paruus vitulus eſt) nuncupari, hoc, leviter arroſô ungue, condidit.

Juppiter omnipotens *Vituli* miſerere *Ioannis*
Quem mors præveniens non ſinit eſſe *bovem.*

idem lib. 2. Epid.

5. Avarus paterfamilias cibum ſuis invidet

Avarus paterfamilias vinum, quod præbebat, immodicâ diluere aquâ ſolitus, cùm familiarem quempiam immoderatè in potu ciboque tuburcinantem obſervaret. *Quando*, inquit, *hoc tuum molendinum ceſſabit?* (uſitato proverbio) *qui poteſt*, ait alter, *ceſſare, quando tu aquam affundere non deſinis?* id. l. 2.

6. Hominis ſimplicitas, & timor deriſus.

Quidam homini *ſimplici timidoque* obuius, quærit, unde veniat? Cumque in macello ſe fuiſſe diceret. excepit alter. *An tu illum locum adire auſus es, ubi tot oves quotidie mactantur, nec tibi metuis?* *id.* l. 2.

§ Exem-

§. Exempla Allusionum ex Pegeo.

1. *Prædicans uxorem verberans.*

Harlemii in Hollandia Prædicans ebrius immitius uxorem tractabat verberibus, cumque vicini ad tumultum accurrerent, factumqne reprehenderent, in viro, quem ceteris exemplo esse deceret. Mirum inquit, vos hoc meum factum reprehendere, quando juxta Apostoli doctrinam & exemplum *castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* 1. *Cor.* 9. Cum *vir & uxor sint duo in carne una* Ephes. 5. Quirinus Pegeus p. 1. Apoph. 2402.

2. *Olus pro ægris.*

Medicus imperitus, cùm pluribus suæ curæ traditis olus medicinæ loco præparasset: nihil hac medicina præstantius esse afferebat: quòd divinis illa literis probata esset, Rom. 14. v. 2. Apostolo monente. *qui infirmus est, olus manducet.* ibid. apoph. 2409.

3. *S. Scriptura ad iniqua traducitur.*

Dolcbella homo perversus alteri togato pallium in pluvia detrahebat, seque hoc pietatis & officii gratiâ dicebat agere: mandante scripturæ, *alter alterius onera portate.* Gal. 6. v. 2. Deinde æquum esse, ut sibi donet quandoquidem præcipiatur à Christo: *qui duas habet tunicas, det non habenti.* Luc. 3. n. 11. ibid n. 2411.

4. *Mala latinitas pejore correcta.*

Nonnemo linguæ Latinæ imperitior ita salutem vesperi obvius alteri precabatur: *Deus det*

tibi bonum serò : Cui respondit alter : & *tibi malum citò* Ita precatio utrimque in imprecationem versa est. *ibid. n. 2416.*

5. De barbarismis linguæ concertatio.

Tres Poloni de Gallina in mensa proposita, ita concertabant, ut illius esset, qui maximè barbarè loqueretur. Ergo primus, inquit, *o Luna quantum distas ab ego* : Tum alter. *O Sol, quantum distare ego à tu.* Tertius verò arrepta Gallina *Hac sola*, inquit, *pro omnia latinorum mearum sufficiebit.* ibid 2415.

6. Vacuum non dari à stultis locum.

Bergerdickius professor Lugdunensis in Hollandia cùm doceret, *posse dari in orbe vacuum.* Quidam hoc argumento usus est. *Stultorum plena sunt omnia.* Ergo *nullum ab his datur vacuum.* Tum rursum professor. Ergo *nec toga quidem tua ab his est vacua.* ibid. 2438.

7. Arte sis quàm marte potior.

Studiosus ad hospitium divertens hanc tabulæ cretâ inscripsit sententiam :

--- --- *Iacet ensis, penna triumphat*

Miles illud observans : adjecit ; *Hic scriptor nequam est* --

Hanc censuram, cum studiosus notasset, suo expuncto versu, alterum reliquit, nomine Militis signatum. *ibid.* 2448.

8. Episcopum arma non decent.

Cum Eduardus III. Episcopum Galliarum armatum contra se intercepisset in prælio, & pro ipsius liberatione Pontifex ad Regem dedisset literas, Eduardus armaturam illius totam Ro-

mam misit, cum inscriptione hujus sententiæ filiorum Jacob. *Vide, an hæc sit tunica filii tui, an non?* Gen. 37.

9. Opus respondeat verbis.

Joannes Dux Mediolanensis ad Eleonoram sponsam duos aliquando misit annulos, primo inscripserat, *Ave*: alteri, *Age*. His illa acceptis paribus eidem annulis respondit: uni inscriptum erat. *Expendi*: alteri *Appendi*. id. p. 2. 3842.

10. Dos præ forma placet.

Opulentam nonnemo uxorem, sed perquam turpem duxerat: quæsitus cur hoc fecisset? *non* inquit, *attendi ad oculos, ed loculos*. idem.

11. In crinibus superbire stultum.

Cum nonnemo noctu ad lumen ex libro physiognomico legisset, *barbam oblongam fatuum arguere hominem*: arrepto speculo, & admota candela suam ipsius barbam contemplari voluit: quod cùm agit curiosius, quàm cautius, admotum barbæ lumen magnam parrem consumpsit. Quocirca iram risu temperans, adscripsit loco libri ita differentis: *probatum est*. Ens lib. 3. Epid.

12 Mercatorum sors dubia.

Mercatorum aliquis Philosophum interrogabat: *quomodo fortunas suas conservare posset? Si* respondit ille, *Fortunæ non commiseris*. Ferdinandus Pulgar dicere solitus est. ad divitias acquirendas *duo parum, & duo multum* esse necessaria: *parum* verecundiæ, & *parum* conscientiæ: *multum* cupiditatis, & *multum* industriæ. ibid.

13. Regnum Franciæ ad feminas non transit.

Carolo Pulchro Franciæ Rege vita functo

Eduardus Angliæ Rex ſibi illud vendicabat, cui Philippus Valeſius ſe oppoſuit, atque ex ſalica lege proximum eſſe ſucceſſorem contendit, his ſcripturæ verbis argutè pro ſe uſurpatis: *Conſiderate lilia agri* (regni Franciæ ſymbolica) *quomodo creſcunt; non laborant, neque nent.* Hoc eſt, nec laborantibus ignobilibus: nec feminis nentibus competunt. *ibid.*

14. Ex humili emergens deprimitur.

Marius Tyrannorum ſeptimus ex humili emergens ſorte, militari audacia, unâ die Imperator factus dicitur, alterâ imperaſſe, tertia interemptus à milite, cum hoc dicto: *hic eſt gladius quem feciſti.* Indicans eum aliquando fabrum, tunc feciſſe gladium, quo modò Tyrannus, & impotens dominator, interiret. Hoc erat, *ſuo illum gladio jugulari.* ibid.

15. Mors optata aliis.

Cardinalis Richelius in Gallia ſub Ludovico XIII. regnante Dominum de La Theu Auguſti Thuani filium capite plecti fecerat; hujus igitur ſoror Cardinale jam mortuo & in Sorbona ſepulto, juxta hujus ſepulchrum, hiſtoriam ſepulti Lazari, & ſororis apud Chriſtum ſupplicis depingi fecit, ad ectis Mariæ verbis, *Domine ſi fuiſſes hic* (id eſt ſi Cardinalis, jam olim in ſepulchro hoc fuiſſes) *frater meus non fuiſſet mortuus.* id. n. 4944.

CA-

CAPVT X.

Argutandi artis Secretum, ac frequens in diversis usus paucis aperitur.

HIc argutiarum lepos, anima quædam est liberalis artis & scientiæ, neque in Sola tantum dictione, verum etiam rerum conceptibus in mente eruditè eleganterque formandis, usum habet.

Et I. Quidem nullum omnino poëma est, quod ex his fontibus eleganti conceptuum raritate, ac copia abundare non possit. Illa verò in primis Heroicam Dramaticamque poësin explicandi ratio, quæ variis illam & improvisis eventibus suspendit, deducitque, his aptè fontibus derivatur. Verùm separato hæc opere apertiùs tradimus

II. Subtiliores Oratorum sacrorum, juxta ac profanorum conceptiones mentis, inventarumque rationum dispositiones his principiis eruuntur. Illis enim hoc in primis agendum, ut voluptate atque admiratione auditorem suspensum teneant; quem si denique inexpectata ad veritatem via deducant, altissimè hæc in animum dimittitur, faciliusque assensum meretur. Sed neque illa hujus sunt loci: in Oratoris sacri instructione, quædam eorum, siquidem deinde Superi tempusque opportunum faverint, aperientur.

III. Emblemata, Si quid elegantiæ rarioris possident, ab his argutiarum fontibus irrigatur, quæ tam in ipsa rerum materie, quam forma, seu lemmate adhibito locum inveniunt. ut singulari etiam traditum opere, in *Speculo Imaginum*.

IV. Inter philosophos quoque argutandi illa subtilitas non sine gratia locum occupat; ut cum brevi aliqua nervosaque argumentatione quicquam inexpectatum, aut infertur, aut contra alios concluditur. Quæ cùm vix ab Epigrammatica nostra dicendi agendique ratione diffideant, nec alio se nobis loco tractanda offerant, paucis per quosque fontes exemplis declarabimus.

§ 1. Fons Repugnantium.

1. Iactator refutatus.

AGathoclem Peripateticum jactanter gloriantem solum se, & primum dialecticorum esse, Demonax, ita confutavit. *Si solus es, qui primus es? Si primus qui solus?* Nam primum nemo censet, ubi secundus non est. *Lucia. in Demonacte.*

2. Aviditas habendi delusa.

Antigonus Rex Trasyllo Cynico drachmam petenti, *non est*, ait, *munus Rege dignum.* Igitur Trasyllus inquit, talentum porrige; *Sed hoc non est*, reponit Antigonus, *munus dignum* Cynico quo dilemmate ejus aviditati illusit. *Plut. in Apoph. Reg.*

3. Motus incessu probatus.

Cum Zeno in Scholis acutissimis rationibus probare conaretur, *motum non dari*. Diogenes per Scholam ceteris inspectantibus *obambulare*

in-

incipit. Rogatus à Zenone, quid ageret? *Tuas* inquit *rationes confuto.* Laer. lib. 6 cap. 2.

4. *Iudicium implicatum sophismate.*

Corax Syracusanorum Rhetor, primus mercede accepta artem tradidit, pactus igitur cum eo Lysias adolescens est ære certo, cujus dimidium jam tum exsolvit, alterum soluturum se recipit, ubi primam apud Judices causam orasset, vicissetque. Verùm deinde cunctatus ab ipso Præceptore in jus vocatus, suamque ipse causam agere est coactus. Sed dum quæritur: quis litis futurus sit finis? Lysias, inquit, *utcunque sors ex sententia judicium ceciderit, nihil solvam. Nam si causam vicero, nihilque me debere persuasero Iudicibus: nihil utique dabo, Si non vicero, nihil etiam ex pacto dare tenebor.* Tum Corax: *imo verò, sive persuaseris,* inquit, *dabis ex pacto, quia artem tenes, & vicisti: Sive non persuaseris, dabis ex sententia Iudicum, quia ego causam vici.* Iudices hac fraude observatâ subjecerunt κακῦ κόρακος κακὸν ὠόν, id est, mali corvi, malum ovum Aul. Gell. *lib.* 5. c. 10.

5. *Orator sophisticus.*

Pari ferè argutandi ratione *Aristol. refert l. 2. Rhet.* Sacerdotem quandam filio, ne ad populum verba faceret, dissuasisse; & confutatam esse. *Ne,* inquit illa, *feceris: nam si injusta suaseris, Deos habebis iratos; Si justa; homines.* Imò *faciam,* inquit filius: *nam si justa suasero, Deos amicos habiturus sum; injusta, homines.*

6. *Sophisticum Responsum famuli.*

Nonnemo dum famulum mendacii suspectum

10. Iniqua postulans non metuendus.

Dum Pyrrhus Lacedæmoniis minitaretur exitium nisi Cleonymum Regem admitterent: Dercyllidas hoc dilemmate excepit. *Si Deus es, nihil te metuimus, injuriâ nullâ Lacessitum: si homo es, nihilo nobis præstas.* Plut. in Apoph. Lac.

11. Virtute parta, eâdem conservantur.

Cum Rex Persarum Adolescenti dissoluto paternam hereditatem sustulisset, hic supplex Regi factus illa sibi reddi orabat: quòd Pater sua virtute hæc promeritus adiisset. Tum Rex ad juvenem. *Heres itaque non es; cum nequitiâ tuâ exciderıs. Quod enim virtute partum est, virtute est retinendum. Agè; & si vis, tua te virtute in hereditatem restitue.* Quirinus Pegeus p. 1. Apoph. f. 5.

12. Cum simplicibus age simpliciter.

Viator suo Comiti simplicius quædam enarranti, quæ stomachum ipsi cierent: *ex hoc sermone*, inquit, *tuam prodis simplicitatem. Imò tuam*, excepit comes; *nam sic loquor, ut intelligas.* ibid.

§ 11. Fons Alienatorum.

1. Alexander ab Agasone correctus.

Alexander magnus ab oraculo monitus, ut primùm sibi de porta egresso obviam immolaret, *agasonem cum Asino* occurrentem habuit, eumque ad mortem jubet abripi. Causam ille postulans inexpectatæ & immeritæ mortis, de oraculi sententia monitus est. Si *ita*, inquit, *res habet, quique tibi prior, ô Rex, occurrit, morti est destinatus: non ego, sed Asinus meus mori debet.* Si-

qui-

ctum Romanus centurio diceret, se castellum quod hostis insidebat facile invasurum, neque ultra decem amissurum milites; excepit Metellus. *visne igitur tu esse ex illis decem?* Atque ita temeritatem illius levi argumento repressit. *Plut. in apoph. Reg.*

7. Repertori adjudicatus thesaurus.

Rusticus homo in Turcia Thesaurum in silua inter fodiendum repererat. Res ad Tamberlanem Imperatorem delata est, cui persuadere conati sunt aulici, hunc illi Thesaurum deberi. Accersitus Rusticus & inspecta pecunia, quaerente Tyranno: *An majorum suorum effigies, aut insignia in nummis essent?* cumque, *Romanorum esse,* respondissent. *Non igitur ad me illa spectat, quando cum illis mihi nulla conjunctio est. Rustici proinde maneant, cui Deus obtulit.* Pegeus font. 5. Apoph. p. 1.

8. Non facile credendum obtrectatoribus.

Cum uxor cujusdam ab amicis levitatis insimularetur, atque illa se negando ac lamentando apud maritū tueretur: ita hic deniq; apud amicos uxorem defendit. *Quid mea uxor,* inquit, *agat, utri melius sciunt, vos an illa?* cumque, *illam optimè omnium scire,* Respondissent; *Ergo*, intulit, *satius est, ut illi hac in re quàm vobis assentiar.* Ens lib. 3. Epid.

9. Philosophus major homine.

Apud Æginetas à Carmenio lex lata fuerat, ut si quis homo Atheniensis Æginam intrasset, capitis damnaretetur, Plato illuc deductus capite periclitabatur, nisi Philosophorum aliquis legem le-

pidā

pidâ diſtinctione interpretatus, in lege, dixiſſet, *vetari ne quis homo ſubiret, at Platonem Philoſophum eſſe.* Laert. lib. 3.

§ 3. Comparatorum.

1. Mala ad perfidiam inductio.

POſtquam Græci reſcindere pacta cum Antigono inita, ſuadente Archidamo Lacedæmonio nollent, hac denique ratione impulit, *Oves* inquit, *eandem tantum vocem edunt, homines varias. vos oves non eſtis, ſed homines.* Plutarch. in Lac.

2. Voluntas benefaciendi muneranda.

Plato hac ratione pervicit apud Dionyſium, ut Æſchinem in familiaritatem admitteret. *Si quis*, inquit, *in Siciliam appuliſſet ut tibi malè faceret, impeditus verò non poſſet, an hunc impunè dimitteres?* Cumque Dionyſius negaret: pergit Plato. *Quid ſi verò*, inquit, *veniſſet, ut benefaceret, deſtitutusque occaſione non poſſet; an omni præmio indignum cenſeres?* Qualem cum dixiſſet eſſe Æſchinem, gratus fuit. Laert. l. 3.

3. Tormenta ſub nomine Apoſtolorum.

Guſtauus Adolphus Rex Sueciæ, cum quadam in urbe Germaniæ intercepta duodecim reperiſſet ænea belli tormenta, quæ Apoſtolorum totidem effigies præferrent ac nomina, eductis ex clauſo in publicum loco, *Si Apoſtoli*, inquit, *ſunt ut producantur neceſſe eſt, atque ad prædicandum promovendumque Evangelium in orbem mittantur.* Pegeus.

4. Prin-

4. *Princeps ineptus.*

Nonnulli subditorum suum conveniebant supplices Principem, & ut imperata hactenus tributorum onera levaret, obsecrabant. Quibus Princeps, *aures non habeo,* inquit, *quibus vos audiam.* *Ergo,* inferunt iidem, *caput idoneum non es, quod nos moderetur.* Ibid.

§ IV. Allusionum.

1. Sapienti omnia subsunt.

Diogenes in hoc mundo omnia Sapientum esse hac ratione probabat. *Deorum in mundo sunt omnia: Diis autem amici Sapientes sunt, & amicorum omnia sunt communia. Sapientum igitur sunt omnia.* Ens Epid.l.3.

Subtilitatis illusor deluditur.

Dum Plato in convivio Philosophorum de suis illis Ideis specificis ac genericis inutili subtilitate dissereret, atque identidem de mensa ac scyphis loquens, menseitatem ac Scypheitatem in ore ferret. Diogenes subtiles hasce nugas deridens: *mensam,* inquit, *& scyphum video, menseitatem ac scypheitatem non observo*, simulque arreptum ex mensa scyphum ori admovet: Atque hunc, ego inquit hauriam, tu scypheitatem ebibe. Nec segnior Plato, *manus,* inquit, *atque os habens quibus scyphum capias; mentem qua scypheitatem apprehendas, non habes.* Laërt.

EPILOGVS.

POssem denique ostendere, quemadmodum in ipsa rerum natura, eá quæ maximè admirationem merentur, majorique voluptate sensus animumque titillant, quandam horum fontium imaginem connatam habeant; quomodo inter illiberales etiam artes, in præstantissimis quibusque, operibus, horum usus, atque observatio conducat ac facilitet. Nã quis illa in pretio esse nesciat, quæ hic exspectationem fallant, aut superant? ut quæ motum dant rebus naturâ immobilibus, vocem mutis tribuunt, gravia in altum sublevant suspenduntque, & sexcenta ejusmodi, aut opposita, aut aliena naturæ rerum moliuntur, aut certè veri similitudine, vel ambiguitate fallunt. & ne per singula oberrem, quod insigni rerum amœnitate quispiam fecerit In militari inprimis arte, omnis strategematum inventio ex his fontibus peti subjicique omnino varia animo poterit; ita ut strategus, explorato ante omnia locorum ingenio, hostiumque aut urbium situ, non multo tẽmpore ac labore, omnem hostis strategemate aggrediendi rationem facilè sibi repræsentare cogitatione possit. Neque enim quisquam astutè circumvenit hostem, nisi aut contraria expectationi attulerit, aut aliena, vel rerum verisimilium propositione, vel certè ambiguarum illuserit, quarum rerum experiundarum principia per tot vias venasque explorare operæ non omnino magnæ futurum est. Qua

de

de re, si lubet, aut Frontini, aut Polyæni stratagemata consule, & rarissima quæque exempla ad hos fontes principiaque reduces, quo facto, haud difficulter ad artem, inventionemque similium curioso sectatori viam aperies Sed illorum tractatio, cùm & longioris sit temporis, laborisque; & à mei instituti ratione aliena, deferenda aliis est, quibus suffecerit digito intendisse fontes. Verùm tamen, ubi de implicationibus Dramaticis agendum erit, nonnulla ex hoc genere delibabo. Ad quæ cupidum lectorem remitto.

FAMILIARIVM ARGVTIARVM

Honestæ & eruditæ recreationis,

LIBER III.

CAPVT I.

De conviviis jucunde, lepidè atque eruditè, sine offensione instituendis.

VT conviviis hilares, arguti, innocentesque joci, perquam commodè, & honesta cum voluptate adhibentur: ita nisi ejusmodi fuerint, submovendi erunt; quæstionibus ac narrationibus rerum jucundarum subrogatis. Plutarchi hic verbis uti libet. *Rex*, inquit in sympofiacis, *(a) Assyriorum præconis voce præmium ei pollicitus est, qui novam voluptatem aliquam excogitasset: At convivij Rex meritò præmium & honorem detulerit ei, qui jocum contumelia purum, & oblectationem utilem, risumque, non Momi & injuriarum, sed gratiæ & comitatis socium in convivium introduxerit. Hunc enim ad rem pleraque convivia naufragium faciunt, dum non rectè gubernantur. Est autem hominis modesti ac prudentis*

(a) *Lib. 1. Sympos. quæst. 4.*

tis iram atque inimicitias vitare: quarum occasiones in foro ex avaritia, in palæstris & gymnasiis è contendendi studio, in magistratibus & honorem petitionibus ex ambitione, in cœna atque inter pocula è jocis captata nobis insidiantur.

Quo verò joci temperamento, & qui ludi in conviviis non facilè sint adhibendi, paulò ante eadem dissertatione sympoſiaca tradidit. *Quod,* inquit, *vulgò dici solet jucundissimam esse navigationem prope terram, & deambulationem juxta mare, id huc convivij Modoimperator transferet. itáque seria jocis temperabit, ut & jocantes ad seria se demum convertant, & rursum seria pertractantes, animam velut à nausea recipiant, dum ad ludum jocumque sequentem respiciunt. Nam & risus ad utilia multa potest accommodari, & seria res dulcedine quapiam temperari.*

Sicut Echinopodes inter, duramq; & Ononin,
Nonnunquam florent mollia Leucöia

Qui vero ludi seria è conviviis excludunt, eos à compotoribus submoveat, ne contumeliâ lædant. quemadmodum & imperata mutua offensioni idonea, ut dum balbi cantare, calui se pectere, claudi saltare jubentur. Sic enim Agamestori Academico, cui alterum crus tabe consumptum atque exile erat; malè convivæ illudebant, dum quemque suorum, uno pede dextro subnixum, poculum jusserunt epotare, aut multam persolvere. Verùm cum jus mandandi ceteris ad ipsum pervenisset, jussit omnes, ita ut se viderent, bibere: allataque mani testa, pede debili in illã inserto exhausit poculum: quod cum reliqui, experimento sumpto, se non posse animadverterent, mulcta quoque fuit

fuit persolvenda. Scitus profectò hac in re Agamestor fuit. Atque ita omnino cum facilitate & hilaritate quævis alia vindicanda sunt. Proinde mandatis illis adsuescamus uti ad voluptatem, & utilitatem accommodare, eaque imperare quæ facturo sunt familiaria, & præstari facile possunt, ornentque exequentem. Vt jubeamus musicos canere, oratoriam callentes artem dicere, philosophos quæstionem aliquam obscuram solvere, poëtas versus recitare. libenter enim unusquisque, atque alacriter ad eam rem ducitur. In qua seipso cernitur præstantior.

Pergit in altero libro sympofiacon, (*a*) *Incundum*, inquit, *esse, interrogari de iis rebus, de quibus in promptu sit responsum: hoc est, quarum peritus sit, qui interrogatur. Nam de ignotis interrogati, cum non habent quod respondeant, ægrè ferunt: tanquam id postulati, quod dare non possint. aut demonstrationes argumentaque proferentes parum firma, perturbantur & hærent. Quod si responsio non modo facilis sit, sed etiam subtilis id respondenti jam voluptatem adfert. Fit autem, cùm de iis interrogantur, quæ ipsis nota plerique ignorant, ut de astrologia, aut dialecticis. Hinc fit etiam, ut qui peregrinati, ac multas pervagati sunt longinquas regiones, moresque & instituta barbarorum inspexerunt, & mare navigarunt exterum, & de iis rebus se interrogari gaudeant, lubenterque narrent, & depingant sinus atque loca, existimantes ita se laborum suorum gratiam quandam ac solatium reportare. Omnino autem quæ nemine interrogante, ipsi ultro narrare solemus, de iis quæri è nobis gaudemus. quod videmur iis gratificari,*

(*a*) *Lib. 2 symp. q. 1.*

ficari, quibus alioquin eramus nostra narratione obturbaturi. Qui magis gloriosi sunt, interrogari de iis rebus desiderant, quæ cum ipsi præclarè gesserint, præsentibus ipsi ultro exponere verentur. Probè igitur Nestor, qui Vlyssis ambitionem perspectam haberet, sic hominem compellat:

Inclyte, dic mihi, maxima Achivûm gloria Vlysses,
Quâ cepistis equos ratione?

Molesti enim sunt, qui seipsos, prosperosque successus suos commendant, nisi præsentium impulsu hæc differant. Itaque de legationibus, de rep. administrata, aliisque, quæ splendidum magnumque quid continent, interrogandi. Quæ, si invidi malignique adsint, prætereunt atque aversantur, ne occasionem illa narrandi præbeant, quæ ornent dicentem.

Cavendæ verò sunt de calamitatibus illatæ interrogationes. ægro quippe animo narrant damnationes sui, aut liberorum interitus, aut parum felices terrâ marique negotiationes. Contra si quæras, quomodo ad tribunal steterint, aut à Rege compellati fuerint, aut aliis in tempestatem prædonesve illapsis, periculum ipsi subterfugerint, pergratum feceris illud non rarò ingerendo: cum libertate sermonis freti, expleri iis narrandis commemorandisque vix soleant. Gaudent etiam interrogati de lætis amicorum successibus, de filiorum profectu in literis, in agendis caussis, amicitiaque regum successu. Inimicorum verò & malevolorum dedecora, damna, in scelere damnationes, in adversis casus promptiùs alacriúsque rogati exponunt; ne si ultro id faciant, alienis malis gaudere videantur. Senes quoque, licet narratio omnino nihil

ad rem factura videatur, tamen delectat, qui ex ipsis aliquid quærunt, gratiamque ineunt eorum dicendi voluntate excitanda.

Vniversè autem qui voluptatem malunt, quam molestiam offerre hujusmodi proponunt quæstiones, quarum responsa non vituperatio, sed laus, non odium, aut invidia, sed benevolentia & gratia auditorum comitetur. Atque hæc quidem, inquit, de interrogationibus. Salibus autem, qui nequit cautè, artificiosè, ac tempestivè uti, omnino iis abstineat, censeo. Sicut enim in lubrico loco, etiam ij subvertunt, qui tantum in transcursu attingunt: ita in vino quævis oratio, non satis commoda, occasionem nobis peccandi præbet. Est enim cum salibus magis, quàm conviтiis exagitamur, cum hæc ab ira inconsultò profisci sæpe videamus: illos non à necessitate, sed studio contumeliæ & malignitate.

Hæc præclarè & sapienter à Plutarcho tradita, & Latio ex illo sermone traducta exhibere paucis libuit, ut appareat, quâ potissimum ratione convivia, etiam sine salibus, ubi ingenium, aut locus iis tractandis defuerit, non injucundè, & citra offensionem transigi possint. Estque hac in re non modicum sympòsiarchæ adhibendum studium, ne gratiam, quam liberali sæpe epulo apud hospites mereretur, illiberalis atque inhumana quorundam societas evertat. Vnde in priscis Græcorum sympoſiis illa viguit non illaudabilis consuetudo, quâ nonnemo, vel forte, vel electione Rex convivij statueretur, quem illi βασιλέα, aut συμποσίαρχον, nos Modimperatorem vocamus, qui leges ac decreta convivalia conderet, quibus omni

omnibus erat vivendum ; ut varietas lætitiaque consensu omnium constaret , ac siquæ offensio nata esset. omnium quoque conspiratione, ad unius velut imperium conquiesceret.

Ceterum inter epulas tacere præstat, quàm vel privatis tantùm indulgere colloquiis, quæ vicinos in suspicionem traductæ suæ inter illos famæ, aut conspirationis mutuæ vocare possint : vel molesta , aut parum digna præsentium hilaritati miscere colloquia. Hoc Isocrates, inter pocula orationem detrectans , non ignoravit , ac poscentibus responsionem dixit : *in quibus ego valeo, ea non sunt hujus temporis: quæ verò sunt hujus temporis, in iis ego non valeo.* Cui hoc munus detrectanti applaudens Crato dixit. *Probè eieravit orationem , siquidem per longas verborum comprehensiones omnes nobis gratias à mensa proscripturus erat.* *(a)* Sapientis itaque jucundique Modimperatoris ingenio convivium regi convenit , præsertim cum plurium illud frequentia hominum celebratur. ne vel tumultu conclamantium diversisque studiis perturbetur , vetusque illud proverbium septem *convivium, novem convitium* , locum reperiat : vel frigida colloquiorum simul & animorum distractione , aut importuno silentio ac melancholia languescat.

(a) Plut. symp. l. 1. q. 1.

CAPVT II.

Convivia non tam ciborum copiâ, quàm eruditis jucundisque salibus condienda sunt.

L. Paulus Æmilius Romanæ militiæ decus, ut summam in armorum contentione, ita non minimam quoque in remissione earundem gloriam promeritus est. In negotio serius, in otio lepidus, utrimque accuratus. Admirantibus nonnunquam in viro tot gravibus occupationibus vigilanter intento, mentem cogitationemque ad apparatum convivalem, magno ordine diligentique cura instructum superesse: respondit: *eiusdem mentis esse, aciem ordinatè instruere, & convivium: hoc, ut quàm gratissimum invitatis esset: illam ut formidatissima esset hostibus.* (a) Plus sæpe inter epulas festivum ingenium, & honestæ consuetudinis oblectatio, quàm Persici apparatus juvant. Qui ex abundantia laudem affectant, magnis sæpe impendiis eandem apud ingenuos æstimatores amittunt. facilè repleri potest stomachus illo cibo, qui cum nausea sæpe regeritur; mens non perinde satiatur. Huic ex refectionis eruditæ inopia; illi ex brutæ repletionis copia fastidium nascitur: huic facili impensa; illi magnis opibus litandum est. Vt utrisque satisfacias non tam de condimentis, & apparatu ciborum, quàm verbo-rum

(a) *Plut. in Æmil.*

sum providendum est. Non quantum, sed quo animo detur plerumque expendimus.

Convivium quod Georgius Nevillus Eboracensis in Anglia Archiepiscopus an. 1466. dedit inaugurationis suæ die, plus ostentationis vanitatisque, quàm veræ gloriæ humanitatisque habuit. Indignum enim Præsule Ecclesiastico spectaculum instruxit. Siquidem in unius Epuli apparatum coquos adhibuit duos & sexaginta, ministros secundarios centum quindecim, famulos mille. Adversus hostem armari exercitum ad urbem aliquam propugnandam existimes. Quam hic alimentorum exspectes copiam! Boves saginati octoginta, verueces mille quatuor, porcelli trecenti, vituli totidem, anseres ter milleni, capones ter mille ducenti, columbæ & cuniculi, octona millia, pavones centum, pulli gallinacei ducenti, perdices quingentæ, ut prætereamus cetera. Nec panis vinique abundantia defuit Nam mille quingentæ libræ panis triticei absumptæ sunt. Zythi dolia ter centum & triginta, vini quadringenta octodecim, ex quibus duo dolia aromatites, exhausta fuêre. (*a*) Quantò hic verius, quàm olim apud Christum Iudas exclames, *ut quid perditio hæc?* Laudatissimũ hoc conviviũ esse poterat, si decima pars his impensa epulis, cetera in pauperes liberali manu essent erogata. Neque hic Præsul tam amicos eorumque jucundam societatem, quàm suam in his epulis munificentiam spectari voluit, minori prædicatione nominis sui, quàm opprobrio. Ita etiam in profusione falli-

(*a*) *Godibinus in Episc. Angliæ.*

mur, & speratam frustra gloriam, cum bonis prodigimus.

Poterat convivator ille ab Augusto Cæsare genili homine frugalitatem in epulis adhibendam doceri. qui in omni rerum affluentia, non tamen nisi ternis cœnam convivalem ferculis aut senis, cum præberet abundatissimè instruere est solitus. Verum sumptum omnem liberali comitate egregiè pensabat. Neque aliorum ipse civium mensas, perquam instructas frugaliter, est aversatus; ut cùm nonnemo hospitum invitatum haberet tenuius, isque excusatione sui uteretur, Augustus bono animo esse juberet, *nescisse enim se hactenus, quod tam illi esset familiaris.* (a)

Quocirca Lacedæmoniorum hac in re prudens institutum jure suspicimus. qui ut suos ad frugalem, eruditum, jucundumque conviviorum usum instituerent, jam à prima suos pueritia, mensis publicis, quas Syssitia vocabant, sub moderatoribus, adhibebant; ut adhæc (quemadmodum *Plutarchus in Lycurgo* testis est) tanquam ad ludum temperantiæ convenirent, ubi sermones excipiebant de rep. doctores conspiciebant ingenuos, assuescebantque & ipsi jocari, & dicteria citra scurrilitatem jacere, atque aliorum sine offensa excipere cavilla. Namque & hoc Laconicum videbatur, cavillum patienter sustinere posse: aut siquis impatientius ferret modestè deprecari. Qua quidem assuetudine factum est, ut Spartani in argutia dicteriorum, & apophthegmatum olim ad miraculum usque eminerent. & propter hæc ipsa recondi-

(a) *Suet. in Aug.*

conditæ cujuſdam Sapientiæ ſchola Sparta apud Platonem appellatur (*a*) Athenienſes hanc publicarum menſarum diſciplinam ſecuti magis ſunt, quàm aſſecuti. Ad diverſa illic convivia ſorte delecti ibant. triplici hæ ſortes litera ſignatæ differebant. B, ϑ, K. Vrnâ ſortium igitur juxta Harmodium in foro propoſitâ, ad vocem præconis convolabant, & ut quiſque literam educeret, ita ibat, proclamante ſortium menſas præcone. ut: *quibus* B *evenerit, ſequantur cœnaturi in portu regia: quibus* ϑ *in ea quæ eſt illi proxima Capite cenſorum: quibus* K *in porticu farinaria, ut ſe inflectant; imò (erravi) ut ibi cœnent. Quorum verò litera prolata non fuerit, in qua cœnent, hos ceteri expellant omnes.* (*b*) Tales menſæ, ob mutuam conſuetudinem humanitate & amicitia alendam, tum mores ingeniumq; erudita inſtructione excolendam, repertæ ſunt. Et apud Gymnoſophiſtas quidem, paratis jam inſtructiſque menſis, priuſquàm dapes inferrentur, adoleſcentes ſinguli ad epulum adhibendi, quid illo die ſapienter dictum factumque obſervatum ſit, velut penſum Senioribus expromere jubebantur. cum laude ac lautiori eorum epulo, qui ſe digna attuliſſent, illorum verò à menſa proſcriptione, qui ignari ac deſidiæ rei eſſent. (*c*) Qui hanc ad eruditionem, ingenuoſque ſales orexin præmittebant epulis: quomodo inter has amaſſe atque obſervaſſe neges?

Et Romanos ſuis epulas facetiis condire ſolitos, nemo veterum hiſtoriarum gnarus ignorabit. Oſten-

(*a*) *Hæc Plut. loc. cit.* (*b*) *Suidas in voce* [illegible]

(*c*) *Alex. lib. 3. c. 21.*

ſtenſum hac in re ingenium Publico Syro peperit libertatem, & non mediocrem deinde in Mimis exiſtimationem. Nam cum fortè cum hero tranſiſſet aream, ubi hydropicus in ſole ſervus, ab hero de otio reprehenſus quæ ſituſque, *quid ageret,* reſpondiſſet, pro illo Syrus, *aquam calefacit:* ac deinde orta ſuper menſam quæſtione, *quodnam eſſet maxime moleſtum otium?* variiſque varia ſentientibus, Syrus denique ſubjiceret, *podagricorum ſibi videri*, adeo his aliiſque ingenioſè dictis placuit, ut in libertatem aſſertus, ingenuiſque exceltus ſtudiis, mimis verſibus perquam utilem operam addixerit.

Ipſi etiam graviores Philoſophi, inter epulas tamen frontem exporrigere, riſu exhilarari, & eruditis ludere ſalibus, citra noxam, ad voluptatem conciliandam honeſtam epulis, plerumque viſi ſunt. Zeno alioquin ſtoica ſeveritate gravis, in convivali ſocietate remiſſior atque hilarior comparebat. Et cauſam quandoque hilaris exporrectæque humanitatis inter epulas rogatus, dixit, *Lupini, quamvis amari, perfuſi tamen aqua dulceſcunt.* (*a*) Hac arte Siſinnius Novatianorum Conſtantinopoli Epiſcopus, ſi *Suida* credimus, ſummis juxta infimiſque gratus erat, neque ipſis inviſus Catholicis, quod amœnus in congreſſibus conviviiſque, ſales feſtivè ſpargere, & dicteria non minus ſcitè atque innoxiè intorquere, quam patienter & ſereno vultu noſſet excipere. ita Archiepiſcopo orthodoxo minitanti, quod concionandi munus ipſius in Eccleſia alteri mandaturus eſſet.

gratiam

(*a*) *Bruſon. lib.* 2.

gratiam, igitur, tibi, inquit; *debebo, quod me onere tanto sublevaveris.* Mox Præsul excepit: *quod si onus tibi ingens sit, non mereris sublevari.* Ita joco alterius elusit minas; & suo voto potitus est. Quare non tam lautitia conviviorum, quam lætitia spectanda est. hæc condimentum in ceteris optimum est. *Melius est vocari ad olera cum gaudio, quàm ad vitulum saginatum cum odio.* Prov. 16.

CAPUT III.

Frugalitas mensarum laudatur, & an carnium esus leguminibus posthabendus sit, disceptatur.

QVod si exempla dissertationum requiras earum, quæ grato lepidoque argumento tractari possint, jam quidem universè iis de rebus Plutarchum, paulò antè, monentem audivimus; possunt tamen ex antiquitate atque historiis nonnulla singulatim depromi. Pleræque nationes Persarum Græcorumque quamdiu disciplinæ veterumque institutis adhæserunt, tamdiu matura etiam de bellis, ac pace consilia, in conviviis agitarunt. *Græcia* inquit Plutarchus, (*a*) *quæ plurimis usa est bonorum institutorum generibus, in vino eorum collocavit primordia. Nam quæ apud Cretenses Andria* (quasi virilia) *apud Spartanos Phiditia* (quasi frugalia) *quondam erant, loco arcanorum conciliorum, & consessus optimatum fuerant. Sicut puto*

(*a*) *Lib. 7. Symp. q. 9.*

puto etiam quod hic (apud Athenienses) *Prytaneum est, & Thesmothesion* (à legibus ferendis dictum) De Germanis, idem olim Taciti est testimonium, quod inter epulas & pocula consultent. His igitur præscribere ad colloquendum argumentum ipsa semper visa est necessitas. Neque hodie hic apud omnes mos intercidit : cum Germanis sæpius ad res serias pertractandas convivia placeant. Ipsæ etiam consultationes , ubi longioris moræ inter viros senatorios instituuntur, vix siccæ & sine poculis esse soleant. De his igitur nulla nobis suscepta deliberatio est. Illorum honestæ conversationi tantùm consulimus , qui ad vina & epulas animi tantum laxandi reficiendiq; unà cum corpore, gratia confluunt , quos passim ad ineptas scurrilesque devolui jocos , in obscœnos laxari sermones, ad dicteria & convitia prolabi, quotidianis pro dolor exemplis compertum est , cum tari ex conviviis nisi deteriores revertantur. Vt illud quod Adolescenti ad convivium eunti Diogenes affirmavit, *redibis deterior*, id pluribus metuendum fit. At, inquit ille jam redux ad Diogenem, *ivi & redii: non tamen deterior.* Cui rursum Diogenes: *deterior igitur.* quia videlicet te factum esse deteriorem, ne agnoscis quidem. (*a*)

Maxima pars culpæ est nullā cognoscere culpā.

Delinquitur in conviviis ipsa non rarò immoderata ciborum atque inprimis carnium appetentia , ut iccirco ex occasione appositarum carnium, de illius licitò illicitòque quædam usu disserere

(*a*) Laert.l.6.

serere opportunè convivator possit. virtutique ac temperantiæ adversus gulæ turpitudinem favere.

Ita hæc agitari quæstio poterit, conducátne ad vitam hominis magis herbarum an carnium in vita usus? Erunt quæ pro utraque parte faciant argumenta. Pythagoræi animalium esum velut noxium humano generi, & herbarum esu deteriorem, suis è scholis proscribebant. Hoc deinde ex hæreticis Manichæi & Montanistæ secuti, humanæ tantum incontinentiæ indultum carnes esse memorabant; ideóque nullum animal occidebant. Inveniuntur & nonnulli hodiedum religiosi in Ecclesia ordines, qui sibi omnem à carnibus abstinentiam imperant. Quorum vivendi institutum plerique probant. Quod si verò exemplis hac in re certetur, pro olerum ac herbarum præstantia faciet, quod ante diluvium homines tantum herbis fructibusque sibi in cibum à Deo concessis vixerint, ut constat Genesis 1. cap. v. 29. *dedi vobis herbam & universa ligna &c. ut sint vobis in cibum*, & tamen ad septingentos ac nongentos annos eidem vitam produxerint; contra verò postquam à diluvio Noë posterisque dixit Gen. 9. *omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum quasi olera virentia*; brevi annorum periodo vita hominis circumscribi absolvique cœperit. Ita populus Israeliticus herbis & pane in deserto, sine noxa valetudinis alitus; sed postquam coturnicibus expetitis famem implevere, ingenti clade occubuere. *Num. 11.* Et quamvis hoc divinæ tribuendum vindictæ sit, tamen longioris esse vitæ eremi incolas, quales Paulos & Antonios maximè senes fuisse

novimus, quàn alios in aula inter delicias mensarum enutritos præmatura plerorumque fata testantur.

Opposita tamen sententia, quæ majorem nutriendi vim carnibus tribuit, ratione magis firma, & physicorum suffragatione nititur, quod alimentum sit nutriendæ magis substantiæ, & simile, & conveniens, ipso etiam appetitu non vano judice. quin & experientia hominum, qui his illisve cibis per intervalla temporum utuntur, carnium esum, ad firmam valetudinem, præferentium.

In utramque igitur partem argumenta reperies. Certè Aristippus Philosophus Diogenem olera pro cibo lavantem risit, cum ipse regia plerumque mensa frueretur. O mi Diogenes, inquit, *si regibus uti scires, non ederes olera:* Contra ille rarò in dicteriis indisertus: & tu *si olera ederes, regibus non servires.*(a) Et sapienter quidem Diogenes, tenue ni mensam cum libertate, opulentæ cum servitute præferens. Vnde quidã non ineptè cecinit,

Si aat olus cula mensa minuscula, pace referta
Ne pete grandia, lautaque prandia, lite repleta.

Ita Ludovicus XI. Rex Galliar. (b) Caroli patris metu apud Burgundos exulans, cum indulgeret venationibus rustici cujusdam Cononis tectum mensamque frequentare solitus, atque inprimis raparum esu delectari; postquam regno inauguratus esset, agricolam deliciarum ejusmodi promicondum sui memorem habuit. Is enim selectarum

(a) *Hor. l. 1. epist. ad Scœvam.* (b) *Corrozetus de dictis & fact. mem.*

rum raparum collecto fasce, magno ad Regem itinere Parisios hoc donum oblaturus contendit; sed pressus per viam fame, absumpsit omnes, una grandiore ad donum regium sibi reservata. Hanc deinde cum ad Regem admissus obtulisset, delectatus veteris notique hospitis obsequio, rapam accepit, atque inter regios thesauros collocavit, mille aureis in donarium rustico oblatis. Hac liberalitate Regis nonnemo ex nobilitate provocatus, equum illi præcellentem donavit: ratus non minori se munificentia locupletandum: cumque Rex hoc munus non tam ab amore Regis quàm cupiditate hominis profectum animadverteret, oblata donatori rapâ, *mille*, inquit, *hanc aureis æstimatam accipe*, meæ hæ sunt in mensa deliciæ. Ita Persarum Rex Ataxerxes rustico homini, sibi, æstivis caloribus, haustam utrâque manus volâ de amne aquam, in campo offerenti, munere atque officio simplicissimi hominis admisso, mille eidem Daricos in phiala aurea reposuit. (*a*) Supremum maximumque Dario Persarum Regi munus præstitit, qui sitienti extremo in agone haustum è fonte propinavit, ut Deos illi propitios ac remuneratores, cum cetera deessent omnia, fuerit precatus. (*b*) Fames sitisque optimum est cibi potusque condimentum. Vnde & olera, & aqua quandoque Regibus in deliciis fuêre.

Jejunus raro stomachus vulgaria temnit. *Hor.l.2.*

Et sanè, quod frugalis victus ratio, magis

(*a*) *Plutarch. in Ataxerxe.* (*b*) *Curtius in Alex.*

gis ad vitam diuturnam faciat, quàm carne ad pinguedinem enutrita corpora, plerique Medicorum sentiunt. Hippocrates in Aphorismis docet crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensuram impleverunt, nisi cito ablatione sanguinis minuantur, in paralysin & pessima morborum genera erumpere. Et Galenus, vel ejus interpres, in exhortatione medicinæ, ait, illos quorum vita & ars sagina est, nec vivere posse diu, nec sanos esse. D. Hieronymus iisdem suffragaturus, inquit, (a) quosdam morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum, ad simplicem mensam redactos, convaluisse.

Non immeritò Platonis conviva Timotheus frugali, sed erudita exceptus mensa, posteroque die optimè dispositus: *qui cum Platone*, inquiebat, *cœnant, etiam postera valent & lætantur die.* (b) Cyrus bellator fortissimus, rogatus ab hospite quid sibi *pro prandio* apparari vellet? respondit: *panem, nam spero me juxta rivum pransurum*: qui scilicet aquam suppeditabit pro potu. (c) Diogenes cum festivis tota urbs epulis plausibusque exultaret, isque mœrore ac tædio aliquo duræ vitæ tangeretur: pane sibi suo ex vase in edulium deprompto, cum ad deciduas videret micas mures accurrere: seipsum his verbis erexit. *Sat magnificus es, ô Diogenes, ecce enim parasitos alis*: Cum verò alij etiam ad mensæ, tam abjectæ tenuisque, spectaculum homines affluerent, ac subinde his dicteriis peterent: canis, canis: respondit *canes more,*

(a) *In Epist. ad Iovin.* (b) *Ælian. l. 2. hist.* (c) *Ammian. lib. 21.*

more, inquit, *suo prandentem circumstant.* A Cratero verò ad mensam Alexandri Regis invitatus: *malo,* inquit, *Athenis salem lingere, quàm apud Craterum pasci deliciis.* In foro ita prandere tenuiter visus, quæsitusque, *ut quid in foro esitaret?* quia respondit, *in foro esurio.*(*a*)Non male Crates apud Stobæum sensit, tantò quemque hominum Deo esse propiorem, quantò indigeret paucioribus. Socrates ejusdem frugalitatis cultor, multos ajebat *vivere, ut ederent ac biberent.* (*b*) Ideoque nec graviores quidem hospites, nisi tenui excipere mensa est solitus, nimiumque solicitam aliquando Xantippen, jussit paucis acquiescere. *Si enim frugi homines temperantesque excipiemus*, inquit, *parva boni consulent: si intemperantes futuri sunt à bonis non erunt curandi.* Tam aversi plures viri sapientes ab illis mensarum deliciis, quæ maximè in carnibus sitæ sunt, fuisse deprehenduntur: corpori plerique sano, cui minimum indulgendo, quàm plurimum sine vitio indulserunt. Hæc inter familiares dissertatio tum inprimis gratiam habitura est, cum mensæ tenuitatem hospes excusare conabitur.

C A P V T IV.

Excessus in cibis, raritate præsertim & varietate, illaudabilis & noxius est.

EXcessus multorum in cibis detestandus est, qui vel in apparatu, vel in pretio, vel in varietate, aut

(*a*) Laer. l. 6. (*b*) Eras. lib. 3. apoph.

aut etiam quantitate excedunt; ut quorundam hac in re immoderatio, tempestivè quandoque inter epulas perstringi possit, ad temperantiam ex fœditate gulosorum hominum: aliis etiam ex lepidarum rerum narratione persuadendam. Petrus Aldobrandinus laudatæ prudentiæ Cardinalis quandoque à viro Principe interrogatus: qualem maximè probaret mensam? *Masinissæ*, inquit, *Regis* (à frugalitate & moderatione celebris) *quàm Cleopatræ malo*: ut quæ uno ferculo Antonio præparato centies absumpsit sestertiûm. (*a*) Eadem Mulier eidem suo hospiti unionem unum in aceto solutum propinavit, quem 250 Philippeorum millibus æstimatum ferunt. Claudius Æsopus, ut avibus vesceretur, quæ ad voces humanas eruditè reddendas instructæ fuerant, sexies sestertium impendit: Caligula celeberrimæ inter Romanos Imp. gulæ, sæpius centies sestertium, hoc est 250 mil. coronatorum. Vitellius novum inter homines gulæ portentum, cùm cœna à fratre exceptus esset, in qua duo fuissent adhibita lectissimorum piscium, & septem avium millia, ne vinceretur singulari apparatu unam instruxit patinam, clypeum Minervæ dictam, in quam rarissimas quasque ciborum congessit delicias, scarorum jecinora, pavonum cerebella, & phœnicopterûm linguas, & murænarum lactes, à Carpathio mari usque ad Hispaniæ fretum per navarchos conquisita. (*b*) In hunc similesque rectè illud Maruli Mimographi usurpes: *Hectorem imitaris, ab Ilio nunquam*

(*a*) *Hen. Farnes. de apoph. Princ.* (*b*) *Suet. c. 13. in Vitel. & Lips. l. 4. de adm.*

quam recedis. Ilium enim, ut Troiam ab Hectore defensam significat, ita & ventris intestinum, quod ejusmodi Gulones inprimis curant.

Ita, ne à Troia discedamus, Troianus quoque porcus celebratus apud Veteres est, qui integer ad veru adhibitus, multas in utero avium species, tanquam milites in equo complexus Durio, assatus, mensæque præparatus est. quod in camelis bobusque ingentibus vario animantium fartis genere factum legimus. (*a*) Quam hodiedum consuetudinem in bove Troiano ad luculentum focum assato Germani in Rom. Imperatoris electione, non absque solenni ritu apparando, distribuendoque sequuntur, epulo magis ad pompam, quàm delicias luxumque instructo.

Verùm raritates illas ciborum magnis impendiis consectari, ut inutile atque indignum homine ad majora, quàm ventris pastum nato, ita etiam turpe est atque indecorum. Fuit Apicius famosissimæ inter Veteres Rom. gulæ, qui cùm immensas penè opes ad centies HS redegisset, tanquam hæc in unam vix mensam sufficerent, veneno teterrimam à corpore animam eliminavit. Hunc tamen Heliogabalus superare contendit, adeò, ut nō contentus phœnicopterûm linguis, pavonumque cerebellis, lusciniarum etiam linguas, & cristas gallinaceis viventibus demptas, quodque omnem penè insaniam gulæ vincat, camelorum calcanea sibi apparari voluerit: quod qui his vescerentur, epilepsiam non sentirent. (*b*) Iam olim

(*a*) *Macrob. l. 3 sat. c. 13.* (*b*) *Lamprid. & Cælius lib. 28. c. 7.*

perantem emerat, & victricem devoraverat: ut accersitum condemnatumque hominem malo navis suffigi jusserit, quod *tantilla gulæ voluptate, multis innoxii spectaculi voluptatem abstulisset, & suarum sibi victoriarum in ave augurium invidisset.* (a) Ita cum scribarum nonnemo, Basilidi Moschorum Principi serviens, lupum piscem basilicè apparatum suæ mensæ intulisset; Dux de lautitia luxuque hominis admonitus Moscâ flumine illum mergi imperavit, subjungens: *I nunc & apud Inferos piscare.* Fuit qui edulium lautius apparatum, ne quis sibi præriperet, calidissimum devoraret, cumque mox adusto palato exclamaret; væ mihi, quia *cœlum jam combustum est.* ergo, excepit alter, *infernus tibi adhuc superest.* Israelitis coturnicum immoderata appetentia in deserto malè cessit: nam *adhuc escæ erant in ore eorum, & ira Dei descendit supra illos.* ps. 77. Nihil tamen omni in historia insolentius est illa Brasilorum gulâ, quâ captivum ex hostibus lautis epulis ad saginam nutriunt, atque eundem, hac gratiâ exultantem, denique solenni pompa in publicum producunt, coloribus toto depingunt corpore, & plumis variis exornant, cantu tripudiisque circumsistunt, pomis citreis petunt, atque ab eodem petuntur, donec destinata laniena dies adsit, & exhibito sese gladio (quanquam inter funes mulierum constringentium) adversus lanistam tuetur, dum hoc extorto, atque in capite funesto appetitus ictu, concidit, in desideratas convivantium mensas epulas-

(a) *Plut. in Rom. apophth.*

pulasque transferendus, & animatum suo in funere habiturus sepulcrum. *(a)*

Quæstio universè de his moveri poterit; conveniatne magis sanitati, illa delicatorum ciborum varietas; an potius unius alteriusque bene præparati cibi ferculum? Quâ in re peritiores medicinæ physicesque magistri sentiunt, nihil illa ciborum varietate magis esse noxium: atque hanc unam esse causam quare post diluvium brevioris sint vitæ homines. Et ratio suffragatur: quòd cum ciborum illa diversitas pugnantibus inter se qualitatibus plerumque constet, digestio, & conciliatio earundem, ad ejusdem substantiæ temperamentum redigenda, multò sit difficilior. Neque vulgo hæc res incognita. Vnde *Horatius* cecinit *In serm.*

—— At simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Et *Iuvenalis Satyra 4.* eorundem Gulonum miseretur.

Ah miseri, quos nosse juvat, quid Phasidis ales
Distet ab hiberna Rhodopes grue? quis magis anser
Exta ferat? cur Tuscus aper, generosior Vmbro?
Lubrica quâ recubent conchylia mollius algâ?

Et

(a) Osorius l. 2. hist. Eman.

Et *Seneca* in Rhetoricis. *Quidquid*, inquit, *avium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quare nunc cur subitò moriamur, quia mortuis vivimus.* Et alibi: *Multos morbos, fercula multa ferunt, innumerabilesque mortui, innumerabiles coquos numerant.*

Ipsa etiam condimentorum varietas, eadem de causa, non parum sanitati obest; cùm vires stomachi hæc pugna alternantium qualitatum debilitet, ideoque & ingenium hebetet, & valetudinem non rarò infringat. Quanquam & illa quæ ventos flatumque generant, ut fabæ, pisa, olera, lac, caseus, memoriæ, ingenioque etiam noxia sint, ut Galenum (*a*) observasse comperies, & si alius tibi magister defuerit, ab experientia, cùm adverteris, sumes documentum. Vnus idemque cibus licet digestione gravior, tamen minus obfuturus est, etiam bona nonnunquam quantitate sumptus. Nota est illa, quæ Netteshemij Coloniensis agri pago celebratur rusticorum septem voracitas, quorum quisque inter pocula integrum è sue petasonem uno prandio consumpsit. Vt etiamnum usitato agrestium carmine decantentur. *Septem Rusticos sedentes, pernas septem comedentes, ecce, propera.* Quos fas est existimare minus hinc noxæ traxisse in stomacho, quàm si frixa cum elixis, assisque, varia commiscuissent. Quid? quod in Clivia, & Hollandia certis locis durum flatulentumque cibi genus ex panico & aqua in usu sit, unde pulmentum coquitur, quod cultris scindi queat. Hinc & placentæ in sartagine

(*a*) *Lib. de cibis boni & mali succi.*

gine excoctæ fiunt, quæ butyro ad gratum planè saporem, condiuntur. Et hic cibus ad satietatem, citra panem sufficit, solusque est instar ciborum omnium. quo tamen adolescentes rusticosque sæpius pastos ad egregium corporis robur proficere cernimus. Tanti ad valetudinem interest, non multis stomachum cibis obruere. *Venter*, inquit Seneca Epist. 1. *parvo contentus est, si das illi quod debes, non quod potes.*

CAPVT V.

Piscium deliciæ, eorumque pro mensis varietas, major, quàm in carnibus esse creditur.

PIscium quoque epularibus in mensis suus est locus: quanquam non pari omnium desiderio appetantur. plerosque qui abundant piscibus minimum in hoc cibo deliciarum reperire sentias. carior ferè is cibus, ubi rarior. Nam ita humanum fert ingenium, petimus absentia, præsentia fastidimus,

Nitimur in vetitum semper, cupimusque
negata.

Romani terrarum Domini, postquam cum opibus exterarum gentium, affinem opulentiæ luxum, gulamque urbi intulere, nihil ante piscium rarissimorum ac longè quæsitorum oblectamenta in mensis habere visi sunt. M. Apicius Rom. Tiberij Cæsaris temporibus Minturnis civitate

Cam-

Campaniæ, ad illecebras palati consectandas homini gulosissimo opportuna, degebat. ubi squillis viscebatur, quæ mole sua Smyrnæas vincerent. His tamen cum grandiores esse in Libya intelligeret, sine cunctatione, velut ad oblatam prædam, eo navigationem instituit, non exiguis per iter periculis jactatus. Vbi advenisse fama erat, piscatores certatim obvij, squillas ejus loci præstantissimas offerunt, quas ut suæ exspectationi respondere non vidit, nec exscensione quidem facta Miturnum iter flexit. Tantum studij laborisque uni impendens gulæ, quantum nec universæ compertus est impendisse reip. *(a)* Tripatinum inter maximas Rom. delicias celebratur. quod una Muræenarum, altera luporum, tertia myxonis piscis constabat patina. *(b)* Et Cæsar quidem ad triumphalem cœnam tria Murænarum adhibuisse millia scribitur. Tanto autem in amore Rom. hic piscis fuisse legitur, ut Antonia illi inaures aliaque appendisse in vivario cimelia dicatur. Hortensius Orator & L. Crassus, uterque disertissimus, murænam sibi dilectam, atque inexspectata sublatam morte publico luctu atrati fuerint prosecuti. *(c)* Cumque eam ob rem notati quorundam dicteriis essent, & Cn. Domitius collega in senatu probrosè objiceret: *tu L. Crasse murænam luges*: excepit ille: &, *tu vero Cn. Domiti, ne tres quidem uxores luges mortuas.* Ostendit plus se doloris ex unius morte piscis, quam Domitium ex tribus percepisse uxoribus: duritiem

(a) Athen. l. 1. c. 3. *(b) Plin. lib. 23. c. 12.*
(c) Macrob. l. 3. Sat.

tiem illi exprobrans, qui molliciem sibi animi objectabat. Octavius mullum Tiberio Cæsari dono missum, venumque expositum quinque millibus HS comparavit: in quo facto alterius avaritiam, & alterius gulam jure admireris. Aristippus certè Socraticus cum perstringeretur ob pisces plures emptos à Platone, isque respondisset, *duobus hos à se comparatos obolis*: dixissetque Plato: *& tanti ego emissem*: Aristippus subjecit. *Vides, igitur, quod ego sim gulo, tu avarus.* (*a*) Asinius celer octo millibus HS. unum mullum emere maluit, quàm suam brevibus unius cœnulæ delectamentis gulam destituere, ut Cato Censorius non immerito questus sit, *urbem diu salvam esse non posse, in qua majoris piscis unicus, quàm bos vaniret.* Licinij apud Romanos Murœnæ sunt appellati, & Sergius Orata: illi quod muræniis piscibus, hic quod auratis, insolenti quadam gulæ cupiditate, oblectarentur, ideoque vastos etiam marium sinus, montium angustiis interceptos, immenso opere impensaque piscinis destinarent. Hic etiam primus ostreis Lucrinis optimum saporem adjudicaret, atque ostrearia in Baiano collocaret. (*b*) Accipenser sub Traiano Imperatore spretus, sub Severo tanto esse inter epulas loco cœpit, ut quandocunque in convivio Principis mensæ inferebatur, id non nisi à coronatis ministris, tibicine hoc ferculum præcedente, fieret. (*c*) Apud alios congri in honore deliciisque fuêre. Antagoras Poëta

(*a*) *Athen. l. 8. c. 6.* (*b*) *Macrob. l. 3. sat. c. 15.*
(*c*) *Idem c. 16.*

Poëta cum in castris Regis Antigoni congros in olla suspensos ad ignem coqueret, Rex adsistens per jocum interrogabat. *Putasne Homerum, cùm facta scriberet Agamemnonis, coxisse congros?* Cui ad respondendum non imparatus Vates reposuit: *Et tu, ô Rex, arbitraris Agamemnonem, cum res illas gereret, solicitum in castris fuisse, num quis congros coqueret?* (*a*) Diocles, quærenti ex se nonnemini, *uter piscium melior esset? conger, an lupus?* respondit: *hic elixus, ille autem assus.* (*b*)

Nonnullorum tantus erga pisces amor, aut gulæ potius suæ obsequendi voluptas; ut insano quodam studio & contemptu non tantùm opum, sed honestatis etiam vitæque has fuerint consectati. Gatida, seu ut alij Atorgatin Syrorum Reginam, adeo ichthyophagiæ deditã fuisse memorant, ut edicto caverit, ne quis aliorum vesceretur piscibus: metuens gulæ suæ alimentum defuturum: & ut piscibus sui relinqueret amoris testimonium, filium sibi natum ab illis Ichthyen voluit nuncupari. Verùm hoc affectu dignum sortita est exitum, cum Mopsus eam Lydus, unà cum filio in mare præcipitem egerit, ut devoraretur à piscibus, quæ tot pisces devoraverat. (*c*) Vbi illius in mentem facti paulò lepidioris venit, quod Athenæus (*d*) Philoxeno Cytherio Poëtæ apud Dionysium Regem cœnanti attribuit. Illi etenim in diversa mensæ parte pisciculus, minor trigla, appositus fuerat, cumque ad maiores triglas, quæ penes Dionysium erant, aspiraret; cœpit triglam

Q suam

(*a*) *Athen.* l. 8. c. 5. (*b*) *Id.* c. 6. (*c*) *Cælius* l. 23. c. *
(*d*) *Athen.* l. 1. c. 3.

suam affari, & immurmurare quæpiam auribus. quod cum observasset Rex, & quidnam ageret, percunctaretur. *De rebus*, inquit, *marinis quædam*, (alii aiunt, *de patre meo, qui naufragio interiit*) *sciscitor; at trigla mea juniorem sese esse memorat, quàm ut scire possit, à majoribus illud tuis cognoscendam esse.* Quo joco Dionysius oblectatus, majorem illi submisit, parasitastro gratificaturus.

At gula longè immanissima fuit Vedij Pollionis apud Romanos, qui ut pisces humana carne ac cruore pasti gratiores palato fierent, servos piscinæ immersos suffocabat, qui alimentum piscibus suppeditarent. (*a*) Ignoscendum illi fuisset, si ceteris animalium carnibus suos pisces aluisset. Vt de Ichthyophagis populis nulla carne, sed pisce tantùm vescentibus Strabo (*b*) refert, quos prope Gedrosiam habitare memorat, & si quas carnes nacti fuerint, his pisces alere, quibus ipsi deinde alantur, ideoque & nomen ab usitato illi genti piscium esu sortiuntur.

Quod si nationi Batavæ idem appetitus animusque esset, soli illis pisces ad vitæ alimentum sufficerent, tanta istic halecum, salmonum, asellorum, & cabillavorum est frequentia. Qui pisces ex mari hyperboreo, quamvis variante nonnunquam loco, omni copia affluunt. Haleces nusquam repertæ nisi in hoc septentrionis Oceano, earum olim sedes juxta Rigam Livoniæ urbem, nunc Sueco subditam, qua sensim deserta, ac migratione facta, juxta Pomeraniam subsederunt

ind

(*a*) *Sueton. in Augusto.* (*b*) *Geograph. lib. 15.*

inde in Gothiam ad vicum Falsterbij tanta constitere copia, ut manibus caperent, ægréque illic nautæ per obstantes halecum turmas maria sulcarent, Saxone Grammatico attestante. Hinc in Norvegiam ad Insulam Malstrand plenis castris concesserunt, neque istic constanter fixa habitatio est, postremis hisce temporibus ad Scotiæ Borealem oram transierunt, quo certatim Angli, Galli, Hollandi, Danique, tanquam ad communem prædam confluunt. Prima circa Orcades Insulas piscatio à festo S. Ioannis Baptistæ ad Augustum mensem usque instituitur; hanc excipit altera, quæ circa Germu à medio septembri inchoatur; tertia Caletum inter & portum Gratiæ à festivitate S. Lucæ ad Christi natalem producitur, tanto piscantium numero, ut ad piscatorum navigia 400 visantur, tam conferta piscium multitudine, ut in longitudine ad decem aut duodecim leucas in longitudine duas aut tres occupent, & sagenas ad 30 aut 40 orgyas excurrentes impleant, nec rarò ipsa perfringant copia. Solam istam halecum piscationem sesqui millione auri, salmonum verò etiam millionibus binis æstimari asserunt.

Varietate sua pisces superant illam, quæ à carnium esu in mensis petitur, copiam. Cum inter illos frequens sit, carpionum, luciorum, mullorum, truttarum, anguillarum, percarum, gobiorum, ostrearum, halecum, passerum, asellorum, cancrorum, aliorumque piscium usus, ut minor longè carnium varietas suppetat. Accedit apparandi ratio longè & facilior, & copiosior. Ex eo-

dem quandoque lucio pisce. asso, elixo, frixo, diversisque condimentis, & jure nunc acido, nunc dulci, nunc flavo, nunc candido, nunc cum herbis ac raphanis marinis præparato, integrum vidi epulum, magna diversitate & labore non magno instrui. quod uno carnium genere non facilè assequeris.

Vnde Carolus IV. admiratus est villæ cujusdam suæ procuratorem, quem sub venationis specie, ejus exploraturus industriam, improvisus convenit, ac pro cœna mensam expedire jussit. Cum enim homini (Theodoricus Cagelvvyd nomen erat, religionem sacram professo) nihil in promptu esse didicisset, rebus illic per curatores præteritos neglectis; comperit tamen illum repentè ex carnibus non contemnendum mensæ apparatum instruxisse: ita ut quadam etiam ferculorum varietate epulas condiret. Præter gallinas enim, & quasdam ex corte anates, pascentem in propinquo porcorum gregem, auribus caudisque truncaverat, & non ingrata juris atque eduliorum diversitate adornarat. Vt sub mensam Cæsar sibi ostendi postulaverit: unde hæc ipsi tam inexspectata ciborum suppeteret varietas, cumque ad cortem, ac deinde & porcorum mutilatum gregem deductus esset, lepido hoc spectaculo in risum solutus Carolus; dignus, inquit es, cui œconomiam aulæ meæ credam, suique illum ærarij quæstorem instituit. quo in munere postquam magna integritate, & commodo Imperatoris versatus esset, Mindensi ac Magdeburgensi denique episcopatui præfecit: ratus eximium ab illo in Ec-

clesia

elesiæ fructum exſpectari poſſe, qui cum tanto emolumento aulæ præfuiſſet. *(a)* Vides quanto opus molimine quantaq; induſtria, ut ex carnibus eduliorum aliqua paretur diverſitas, quæ ex uno alteroque piſcium genere longè illi futura erat promptior.

Lubet hic meminiſſe hoſpitalis & ſimplicis, non tamen illepidi Domini, hic Agrippinæ Vbiorum non incogniti, qui, cum religioſi ad illum viri divertiſſent, eo quo ſibi à carnibus interdictum eſſet die: neque ſuppeterent piſces in obſonium, porcinos illis pedes aureſque ac ſumina imminuta & jure condita appoſuit; ex lutra amphibia, aut neſcio quo piſce, eſſe dictitans, quibus cum illi famelici, non ſine laude tam rari apparatus, cupidè veſcerentur. eorum unus in fundo majorem auris partem, nondum pilis omnibus nudam, deprehendens: *mirari ſeſe* ait, *quod piſces tam longis uterentur auribus. An neſcis,* inquit hoſpes, *etiam aſellos marinos dari?* Tum religioſus: *at ignorabam piloſos etiam piſces eſſe. Rectè*, inquit, *neque enim convenit religioſum, tantâ in res omnes curioſitate inquirere, ut facis modò.* Ita alterius humanitate, alterius modeſtia, utriuſque verò ſimplicitate error hic veniam mereri viſus eſt.

(a) Dubravius lib. 22.

CAPVT VI.

De ciborum majori quantitate absumenda certare, turpe est: majorem longè meretur laudem, de abstinentia illorum piè contendere.

TVrpe certamen est, quo contenditur de majori ciborum quantitate absumenda. Tartaris hac in re nonnihil ignoscendum, qui ut famis triduo quatriduoque integro perferendæ patientes sunt, ita & ciborum. Nam ubi occasionem post longam famem vorandi nacti sunt, certatim sese supra modum cibo potuque ingurgitant. ut par deinde per triduum quatriduumque aliquando somnus consequatur. ideóque à Lithuanis Ruthenisque, quos suis excursionibus infestant, somno obruti nonnunquam opprimantur, & soporem morti conjungant (a) Sauromatas triduo quoque integro continnatis sese explere conviviis memorant, atque interea uxorum patere imperio: quorum utrumque ingenuis fortibusque viris indignum est. Syri quoque & Ariæi infames à crapula apud Athenæum sunt populi. Sybaritis in Asia famosum luxus atque intemperantiæ nomen apud omnes scriptores hæsit. quorum aliquem penetrasse Spartam, atque illic mensæ publicæ in phiditiis adhibitum, exclamasse ferunt: *non vivere millies præstat, quàm sic vivere*. Tantum

(a) *Guagn. in descript. Tart. p. 1.*

tum in illo temp|rantis erat ac frugalis vitæ odiū. (*a*) Ex hoc opinor hominum genere, & iste Pityllus erat cognomento Tenthes, qui ex membrana vaginam linguæ aptaverat, ut sic illam ad ciborum voluptatem plenius diutiusque hauriendam præmuniret, tanquam gladium, ne rubigo inficiat. (*b*) Philoxeni ejusdem etiam plures nominis apud Græcos helluorum sunt titulo celeberrimi.

Vastis tamen corporibus ignoscendum sæpe existimem. Astydamas Milesius sæpius in olympicis victor, ab Ariobarzane Persa ad cœnam novem convivis instructam invitatus accubuit, & cum se unum parem universis absumendis esse diceret, copiâ ipsi factâ, absumpsit solus omnia, cumque hospes virium suarum juberet dare experimentum, æreum lecticæ pedem comminuit, si Athenæo credimus. Qui & adagium illud, *bovem in faucibus portat* vel à Theagene Thasio athleta, vel à Milone Crotoniata profectum memorat: quòd ille bovem integrum solus comederit: hic in olympiis quadrimum taurum humeris sublatum, ad ingens detulerit spatium, ac deinde, quòd admirationem pene superat, eodem die totum solus absumpserit, complexus angustiis illum stomachi, quàm ante seipso majorem cervicibus anhelus supportarat. (*c*) *Flavius Vopiscus* Aureliano Imperatori in deliciis fuisse meminit Phagonem, qui uno die Cæsarea in mensa aprum integrum,

 centum

(*a*) *Athen. l. 4. c. 4.* (*b*) *Suidas in voce* περ' γλωτ. (*c*) *Athen. l. 10. c. 1.*

centum panes, veruecem & porcellum ederit, plusquam orcam verò, fundibulo ori apposito, biberit, ô, non hominem, sed voraginem!

Nolo jam Claudios, Vitellios, ac Maximinos Imperatores recensêre. quorum primi sæpe ut noctem diemque helluando conjungerent, egestis per os cibis, vomituque exonerato stomacho, ad epulas producendas revertebantur; hic quadraginta carnis libras, vinique amphoram hauriebat, atque inter hanc crapulam diffluebat sudore, ut collectus uno die sudor ad tres sextarios pervenisse compertus sit. (*a*) Quis ad isthæc generis humani portenta non obstupescat?

Sunt qui ejusmodi polyphagiam inter decora robusti corporis numerent, & gloriosum putent hoc in certamine principatum occupasse. Culenus Scotorum princeps turpissimum voluptatis mancipium ludos sympoliacos instituit. in quibus ille, qui potando vorandoque extitisset victor, hedera coronabatur, & munus referebat amplissimum. (*b*) Habet suas etiam pinguis ille gastrimargiæ Genius discipulos: qui ventrem pro Idolo statuit, cui dignæ litentur indies victimæ. Hugotio Fagiolanus hac in schola quondam exercitatus, multis deinde actus fortunæ tempestatibus, apud Canem Magnum Veronensem, hospitalem domum mensamque reperit. In qua, cum de robustissimis edonibus aliquando memoria incidisset, atque Hugotio, ut vasto erat corpore, quædam de sua edacitate commemorasset plerisque incre-

(*a*) *Sueton. Cœlius. Sabellius.* (*b*) *Hect. Boeth. l. 11.*

incredibilia, Petrus Nanus vir eruditus dicaxque subjecit. se facilè Hugotioni assentiri, cum majora etiam sileat: ut qui *Pisas & Lucam* (quarum urbium dominatu exciderat) *uno prandio devorarit*; constans enim fama erat, potuisse tumultuantem populum contineri. nisi Lucæ in convivio Hugotio desidiosè hæsisset, magis de ventre, quàm rep. curanda solicitus. Cum enim inter epulas nuntiaretur, Pisanos seditionem movere: *ante*, inquit, *prandeamus, deinde Pisas, ad castigandos rebelles, satis tempori veniemus*. At serius postea veniens, Pisis exclusus est; cumque inde properè se Lucam reciperet, ibidem quoque portas occlusas reperit, ut hinc Veronam ad Scaligeros exul se vertere cogeretur. ubi illo inter convivas sale perfusus est. (*a*) Acriori quidem, quam pro mensa & hospite deceret responso. Verùm illâ, quàm ex voracitate captabat, gloriâ digno.

Longè mihi quidem nobilius illud certamen videtur, quod pro temperantiæ palma obtinenda instituitur. Non quòd citra omnem cibum vitam hominis diu sustentari posse existimem, aut quenquam reperiri qui instar chamæleontis ex solo vivat aere, aut apodis & paradisiacæ avis, ex solo rore; sed quòd tenui satis alimento vitam hominis absque sanitatis detrimento sustineri atque ad summam plerumque ætatem produci compertum sit; cùm helluones, quamvis robustissimi corporis, immatura ferè morte extingui constet. Galenus Medicorum celeberrimus post omnia arcana suæ artis explicata consilia, nihil ad

(*a*) *Petracha.*

constantem valetudinem vitamque hominis propagandam certius esse comperit, attenuato victu, ut ad hanc ipse medicinam frugalissimæ vitæ, & præceptor, & usurpator se converterit. Hippocrates in Medica arte princeps ad centum quadraginta annos produxit vitam, cujus rei aliquando rogatus causam. *Nunquam*, ait, *de mensa surrexi satur*. In parco ille victu longam esse vitam sensit. (*a*) Magis mirum quod de Epicuro summo voluptatis assertore compertum est, victu illum frugali modestoque, aqua & polenta, aut certè hordeaceo pane vitam produxisse; non quod voluptatem aliis persuasam, aversaretur in seipso, sed quod assereret *in tenui sese victu plus experiri voluptatis*. (*b*) Quod si veteres hic tibi anachoretas pertenui victu longam sine morbis vitam agentes, velut in theatrum spectandos producerem, ut Paulos, Antonios, Hilariones, Dorotheos, Serapiones, aliosque sola aqua & pane, nonnunquam & olusculis, victitantes, nihil fortasse rari inter exempla quamplurima dicerem. Quod si hic Pambones, Philoronios, Columbanos, solis herbis in eremo supra annos etiam sexaginta (ut de Columbano referunt) alitos, atque hac in vita sanos vegetosque accenserem, (*c*) adhuc minus admiranda dicturus sim, quàm si veteres tibi proponam sapientiæ studiosos, qui nulla veri Numinis, aut cognitione imbuti, aut amore inflammati; sed vitæ tantùm honestæ studio excitati, non dissimilem vivendi rationem secuti sunt. An crederes

(*a*) *Calius l.30.c.12.* (*b*) *Idem l.13.c.25.*
(*c*) *Vide Marulum l.4.c.2.*

deres Anacharsin barbaro Scytharum cœlo genitum ad tantam victus moderationem solo rationis lumine potuisse instrui, ut de se pronuntiare apud Tullium posset: *mihi pulmentum fames, cubile solum, vestis Scytharum tegmen est?* (a) Epimedinem Plato tradit, modico vilissimoque cibo, qui asphodelo & malua constaret, adversus humanam necessitatem pugnasse, tantilloque alimento alimon & adipson, hoc est, procul à fame sitique fuisse. (b) Diogenes Cynicus, cum vidisset cochleas angusto cortice tectas conquiescere, sibi dolium elegit, quod ex palo suspensum quoque, velut cochleæ domum suam, deportabat: herbæ illi crudæ cibus, potusque aqua, quem victum Alexandri mensæ sibi oblatæ, & quorumvis deliciis præferebat, ut *doliaris vita*, ad singularis abstinentiæ exemplum usurpata, in proverbiis fuerit (c) Demosthenis frugalitatem Demades quoque celebrasse fertur, dum prædicaret, *ceteros quidem oratores ad aquam* (clepsydram scilicet) *dicere; at Demosthenem ad eandem quoque scribere.* Zeno Citticus, & Pythagoras, quorum uterque herbis & aquâ potissimum victitabat, non modo rigidam sua in vita coluêre temperantiam, verùm eandem, disciplinâ atque institutione multorum, singulari inter plurimos continentiâ propagarunt. Xenocrates ejusdem moderationis amans, cum talentis aliquot ab Alexandro per legatos donaretur, hos frugali cœna refecit. cum tamen illi quærerent, num talenta sibi oblata numerari vellet? eius-

(a) *Lib. 3. Tusc. q.* (b) *Celius l. 7. c. 8.*
(c) *Eras. in adag.*

eiusmodi, inquit, *cœna his non indiget muneribus.* De hoc jure usurpaveris, quod de fortissimo Romanorum Duce M. Curio Dentato, cum Samnitum legati, eum rapam ad ignem pro obsonio præparantem reperissent, *Iuvenalis* cecinit *Sat. 11.*

—— parvo quæ severat horto
Ipse focis brevibus legebat oluscula, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor.

Certè Romanos sola pulte, citra panis usum, victitasse. illo satis argumento constat, quod pistores ante bellum persicum, ad annos DC usque, ignorarint, atque ex Asia victores luxum simul in urbem, proscriptâ frugalitate priscâ, invexerint. Erat autem farina pro pulte, frumenti, fabarum, & hordei. (*a*) In Phiditiis, sive epulis Laconum, pulmentum, sive jus nigrum cœnæ caput erat; sed Dionysius Syracusarum tyrannus huic aliquando mensæ adhibitus id sibi minus sapuisse testatus est. Tum nonnemo Laconum subjecit: *minimè id videri mirum, quandoquidem consueta Spartanorum condimenta, quæ sint labor, cursus, sudor, fames, sitis, non adhibita fuerint.* (*b*)

Hæc priscorum gentilium frugalitas, omnium scriptorum calamis laudata, meritò confundat hujus seculi helluones, inprimis hæreticos, qui Catholicos rident, hanc quandoque abstinentiam à carnibus, sacro præsertim quadragesimæ tempore, sibi indicentes. Qua in re illius, quod sub finem superioris seculi anno 1592 Vratislaviæ Ministro sectariorum evenit, juvat paucis meminisse. Adierat hunc negotiorum causa Villicus Patrum

(*a*) *Alex. lib. 3. c. 11.* (*b*) *Cal. l. 13. c. 25.*

Patrum Societatis Iesu, cumque deprehendiſſet menſam carnibus inſtructam, aſſidiſſetq; invitatus, carnes ſibi oblatas quod veneris dies eſſet, conſtanter recuſabat, ergo ludificatione aliorum exceptus, agitatuſque, cum Miniſter bolum pinguiorem arriperet, invitatoque cum ludibrio ad illum devorandum ruſtico, ipſe demum impuras ad hunc excipiendum fauces latè panderet, hæſit infelix ore hiante & patulo: quod nullo deinde conatu, obſtupefactis maxillis, cogi poterat. Hoc igitur ad terrorem ſuorum, & Catholicorum riſum, oris ſitu, vi atis la viam veniens, Chirurgorum ac Medicorum opem nequicquam implorabat. Ita dum ad inſolitum hoc ſpectaculum plurimorum hominum concurſus fieret, Miniſter ille aperto ore prædicator Catholicæ veritatis, laudatæque abſtinentiæ factus eſt, ſine voce etiam ad miraculum uſque diſertus.

CAPVT VII.

Certamen compotantium non minus turpe, quàm infelix, hominem infra beſtias abjicit.

INter convivia, honeſto lepore, & humana familiaritate amœnè condienda, abeſſe debet fœdiſſima illa concertatio, quâ de primatu potantium contenditur, iſq; victor cenſetur reliquorum, qui plurimum hiantibus poteſt faucibus ingurgitare. Hoc enim certamen arte ingenioque

rarò nititur, solâ plerumque humani stomachi vastitate ac viribus absolvitur: quæ cum Deus & natura largiatur, non majorem gloriandi ventri-potens gurges causam habet, si tripalmarem ipse craterem exhauriat, cum vix palmarem alter, quàm quod ipse similis mensuræ calceum pedibus expleat, cum palmaris tantum alteri calceus aptetur: aut si nanus cum gigante, de oris aut nasi magnitudine contendat. Hujus tamen insaniæ, tum veteres Græcorum & siculorum, tum prisci recentesque Germanorum præcipuè arguuntur. Qui quandoque non minori sibi applausu blandiuntur, cùm aliquē decumanis scyphis in convivio profligarunt, quam dū straverunt in acie hostem. Laudabat Philippum Macedoniæ Regem à legatione Athenas reversus Æschines, quòd multum biberet, ad quem conversus Demosthenes, inquit, *hanc & spongia virtutem obtinent.* (*a*) Non dissimili responso jactabundum, quòd plurimum valeret duodecim sextarios potando, excepit Aristippus, & *plurimum*, inquit, *muli potant.* (*b*)

Non diffiteor quosdam, seu artis, seu naturæ beneficio adversus validissimos vini potatores, immotâ semper mente integrisque sensibus durasse. Qua in re, siqua laus est (quam nullam agnosco, cum majoris plerumque ad satietatem indigentiæ signum videam) hanc Camatherus Logotheta, Manueli Commeno Imperatori gratissimus, qui ut erat helluonum princeps, & gurges inexplebilis, quò plus biberat, tantò irrigatione vini excitatior prudentiorque, extemporali

dictio-

dictione, atque eloquentia fontis instar exundante profluebat, ut inter commessationes unus longè omnibus esset charissimus. Vincebat ita reliquos, ut nemo hauriret largius, nemo exhaustu liberalius exultaret, cujus ut stomachi capacitatem intelligas, porphyreticam aliquando patinam, quæ in aula Phocæ Imperatoris duas aquæ choas complectebatur, præmio ingenti, stipulatâ cum Manuele fide, proposito, bovis instar super fontem inclinatus exhausit, semel tantum recepto inter potandum spiritu. (*c*)

Nonnulli etiam Rom. Imperatorum, inter has vini charybdes, famoso sunt titulo collocati. Claudius Tiberius Nero hoc ista helluandi consuetudine est assecutus, ut inflexis nonnihil vocibus militari in castris joco *Biberius Mero* sit compellatus. Qui ut secretorum sobrius perquam tenax erat, ita cum vino immaduisset arcana propalabat. (*a*) Bonosus qui in Gallia sub Aureliano Imperium arripuit, cum Germanorum legatis magnis certare haustibus solitus, ut, leni ingeniorum tormento, à bene potis veritatem extorqueret, ipse inter pocula sobrius mentisque adeò præsentis & vegetæ, ut prudentiæ alimentum vinum esse putares. De hoc Aureliani pronuntiatum extat: *non ut vivat, sed ut bibat Bonosus natus est.* Ille verò dignum hac vita sortitus exitum, suspendio gulam denique suffocavit, atque hoc aspersius joco est: *amphoram pendere, non hominem.* (*b*) Mithridatem Asiæ pontique Regem

(*c*) *Nicetas Chon. l. 3.* (*a*) *Plut. & Sueton.*
(*b*) *Vopiscus in vita & Bruson. l. 2. c. 19.*

gem non rarò ferunt instituisse Lurconum certamina, in quibus, ut vorando, sic potando semper princeps, cum præmia victoribus proposuisset, ipse antesignanus ac victor omnium, alteri, qui primus à se judicatus esset, cessisse munus, atque hanc reportasse gloriam, seu verius ignominiam, quòd Dionysius, seu Bacchus, fuerit appellatus. (a) Nulla perinde res Alexandri magni factorum decora obscuravit, quam institutum cum æterno dedecore certamen compotantium, quòd in exequiis Calani Indorum Philosophi, qui ardenti sese pyræ moriturus injecerat, Rex ille tot gentium victor, turpissimo eventu est prosecutus. Convocati helluones fortissimi, collocata vasa, & pocula, vinum in copia depromptum, triplex ordo præmiorum fuit, victori primo talentum erat propositum: alteri, qui ab hoc esset proximus, minæ triginta, tertio decem. Itum in concertationem chois etiam integris, donec quinque & triginta ipso certaminis in loco, obrigescentibus venis, ex vino, tanquam veneno hausto succumberent, sex alij haud multò post in tentoriis exspirarent, unus Promachus Macedo, qui choas, seu congios quatuor, hoc est sextarios 24 hauserat, victor omnium, corona ab Alexandro donatus, triduo post suo etiam funere tam inhumanum spectaculum coronavit. (b)

Arte quadam atque ingenio ad hoc certamen usos fuisse constat, Theophrastus apud Plinium tradit, Potores in certamine pumicis minutim con-

(a) *Celius lib. 29 c. 17.* (b) *Ælian. lib. 2. &* *Athen. l. 10. c. 12.*

contusi farinam præhausisse: hac tamen adjisse periculum, nisi immenso potu implerentur, quod tanta illius refrigerandi vis sit, ut musta, injecto pumice fervere desinant. (*a*) Ita & Elęomeli succum, ex ipsis distillantem oleis, sapore melleo, quod alvum emolliat, bilemque detrahat, Potatores certaturi uno cyatho prælibare consueverant. (*b*) Sed faciliori magisque parabili remedio Antonius Musa Tiber. Drusi Cæsaris medicus innoxium sibi reddidisse potum legitur. Siquidem amaris quinis senisve prægustatis ante potum amygdalis, nulla deinde ebrietate tangi visus sit; sed hoc facere deprehensus, atque abstinere jussus, ne paucis quidem cyathis sine noxa sustinendis par fuit. (*c*) Nonnulli ipsa bibendi consuetudine, præsertim si cum illa adolescant, nihil ad ingentes etiam haustus perturbantur. Hac via Huldricus de Nova domo, inter Bohemos proceres authoritate facilè princeps, liberos suos primum ablactatos ad vini generosissimi usum sensim ingerendo traducebat. A Frederico enim Cæsare, causam, *cur id agerit*, interrogatus, ut, inquit, assuefacti cum adoleverint, securi ac sine noxa bibant, quantum libuerit. Tum Imperator, *Mithridatis ut video* (à teneris veneno assuefacti) *exemplo satis; at mihi siquis filiorum fuerit, qui vinum non oderit, illum ego oderim.* (*d*) Hoc & Henricus Goriciæ comes factitare compertus, qui noctu ipse bibens duobus filiis juxta dormientibus etiam ingerere potum, intempesta nocte, conatus est, cum

(*a*) *Plin. l. 36 c. 21.* (*b*) *Id. l. 23. c 4.* (*c*) *Athen. l. 2. c. 11.* (*d*) *Æn. Syl. lib. 1. Com. in Pan.*

cumque infusum regererent: ad conjugem versus, *mei hi*, inquit, *liberi non sunt, qui noctem integram sitisientes dormiunt.* (a) Novellius Torquatus à juventa ad merum exercitatus, tres aliquando congios, spectante Tiberio principe miraculi gratia, uno exhausit impetu; dignus hoc nomine, apud talem Cæsarem, proconsulatu Rom. reip. L. Pisoni hæc res quoque ad honores, sub eodem Tiberio profuit, quod diebus noctibusque binis compotationem secum produxisset. (b) En turpissima gulæ & Bacchi mancipia, qui in summo dedecore decus collocant, & eandem cum lupis in fame, cum mulis in siti, à magnitudine rerum consumptarum laudem merentur. Heraclides olim pugil Alexandrinus ante ætatem Plutarchi, cum parem sibi combibonem, qui uno secum epulo ad finem duraret, non reperisset. in plures ordines convivas partitus, alios ad jentaculum, alios ad prandium, alios ad cœnam, ad commessationem denique alios invitabat; ita ut recipientibus sese primis succenderent secundi, his fessis tertij, ac quarti denique, omnes ab uno Heraclide in hoc eduliorum scyphorumque certamine sustinendi. (c) Præclara enimvero concertatio, in qua tam indignum erat vincere, quàm succubuisse. Si nec asinum quidem feras, qui enormi potu victuque reliquos sibi æquales vincat, aut helluonem bovem equumve; quid obsecro est, cur ingluviem in teipso non averseris? Num humanum est, necessitatis hujus, quæ ad pœnam nobis infligi-

(a) Ibid. (b) Plin. l. 14. cap. ult. (c) Plut. l. 1 Symp. q. 6.

fligitur, modum excedere, & fami sitique, cui detrahendum ipsa suadet ratio, tam immoderatam edendi sitiendique cupiditate, etiam per artem propagata, adjicere? Certè bestiis hac in parte deteriores sumus, quas nulla vis adigit, ut necessitatis excedant terminos, sed cibi potusque mensuram sola fame sitique metiuntur. quâ expletâ, nihil ultra admittunt.

CAPUT VIII.

Ebrietatis turpido, & pœna gravis ac varia.

MUltò gravius delinquunt, qui ad ebrietatis usque vitium excedunt, & rationem homini datam, quâ sola brutis est potior, in uno submergunt. Qui igitur huic insaniæ sese dedunt, vix ad frugem & vitam hominibus dignam reduci possunt. Cyrus teste Xenophonte jam puer ab Astyage porrectum sibi vini poculum est aversatus, cum diceret, *se venenum in vino metuere, quòd proximè ex hoc potu amentiam plures hausisse observasset.* Novi hominem Esserum nomine, qui se vivere vix credidit, nisi quotidie Zytho vinoque, ad ebrietatem madidus fluctuansque, domum revertisset, cum hebdomade quandoque integra tantum eduliorum non absumeret, quantum famelico in cœnam sufficeret, &, quamvis vasto corpore, *ex humore, tanquam piscis, viveret.* Illyrios notavit Athenæus (a) olim ventres Zonis in-

(a) *Lib. 10. c. 14.*

ter bibendum constringere, quantóque plus capiunt, tantò arctius Zonas contrahere, *magis solliciti, ne ventrem rumperent, quàm cerebrum & rationem everterent.* Diogenes cum in Maroniam Ciconum urbem divertisset, omniaque illic ebriosorum cætibus fervere conspiceret, ad nonnullos dixit: clausis sese oculis hic omnem, quocunque duxissent, locum nosse. Cum igitur obvelatâ illum facie ad ædes diversorum præirent, ac, *quò pervenisset?* sciscitarentur, *ad cauponam* identidem respondit. Sentiens urbe tota potantium conventicula celebrari. (*a*)

Jam verò quam indigna homine per ebrietatem perpetrentur, quis satis expoluerit? VVenceslaus Bohem. Rex & Imperator, quod inter pocula desidiosè & parum sobriè viveret, ab iisdem à quibus inauguratus imperio Electoribus fuerat, eadem dignitate exutus est. Sed illi de vino cura major, quàm de corona fuit. Cum arx Vicegradensis incendio consumpta esse nunciaretur. *Etiamne,* inquit, *cella vinaria periit?* Vtque hanc incolumem esse intellexit, *ardeat*, ait, *denuò arx tota, dummodo salva nobis cum rhenano vino cella maneat.* (*b*) Tristior etiam Fiolmo Gothorum Regi ex ebrietate casus obtigit. Inter suos ille compotores noctem ex more totam potando duxerat, jamque inter ebrios jactatus ebrius, in dolium cereali liquore plenum, quod pro explenda bibacium cupiditate media fuerat aula collocatum, præcipitatus, funesto ludibrio aulicorum occubuit, digno helluoni sepulcro, & hac epigraphe (*c*)

(*a*) *Eras l. 6. Apopht.* Multa

(*b*) *Dubravius l. 23.* (*c*) *Ioan. Magnus l. 7. c. 27.*

Multa bibens, & multa vomens, hoc vase Fiolmus
Postquam exhausisset sæpius, haustus obit.

Talem sibi ultro delegit tumulum Georgius Clarentiæ comes, inter Anglorum Oenophilos non postremus. Ille enim affectati suspicione regni apud Eduardum IV. fratrem Angliæ Regem delatus, mori jussus est, sed arbitraria, quam ipse sibi delegisset, morte. Ergo ut delicatam inter suavissimæ potionis haustus ebiberet, aut magis evomeret animam, malvatico vas ingens vino ad votum ipsius expletum est, in quod dimissus, hianteque sensim ore subsidens, denique prævalente haustu submersus est. Cui par inscriptio convenire poterit:

Extra intusq; madens Comes ista conditur urna;
Vivere qui simul hic desiit, ac bibere.

Duorum Orientis Imperatorum celebrata ad æternam nominis infamiam ebrietas legitur. Zeno alter, in quo consueta temulentia nihil homini linquebat simile, ut ab extatico & mortuo, jam vino oppletus, parum differret. Igitur per Ariadnam conjugem, tantâ invisus turpitudine, sic inornatus in monumentum imperatorium conjectus est, lapide maximo, qui pro operculo erat, imposito. Nec profuit ad mentem sobrietatemque verso, lamentis, ejulatibusque sub terreno illo carcere obluctari. Vivus in funesto hoc mortis antro fortunam imperatoris animamque infelicem, lento tristique fato, miserante nemine, exuere coactus est. (*a*) Cui hanc monumenti inscriptionem relinquimus.

(*a*) *Zonaras tom. 3. An.*

Hic

Hic imperator Zeno jacet,
Ebrietatis volutatus in cœno:
Extra sepulcrum mortuus,
in sepulcro vivus.
Qui tunc sapere incepit, cum desineret.
Et, ne nihil sobriè ageret;
Hic postquam edormisset crapulam, egit animam.

Alter in purpura helluo Michael ejus nominis Imperator orientis tertius, qui per ebrietatem jus fasque evertebat, atque indignissimè suis illudebat proceribus, alios auribus, multabat: Basilio etiam præcipuo militiæ Duci, quemque dignum plerique habebant imperio, sic illusit, ut illius remigem Basilium per lusum crearet ebrius Cæsarem, atque insignibus regiis adhibitis, multò hæc illi quam Basilio aptiora prædicaret. Vnde cum sibi Basilium fidissimum hactenus adversari sentiret, ideoque illius vitæ in venatione insidiatus esset, Basilius præoccupandum ratus Michaelem, vino sepultum, noctu invadit, & nequicquam obluctantem confecit, opibus ipse potitus atque imperio. (*b*) Itaque

Sta viator, & luge,
Michaelem imperatorem ante morbum mortuum,
Qui diu tumultuatus in terra,
Sub terra denique tumulatus est.
Bis sepultus,
Vivus in amphora, mortuus in urna.

Phocam Imperatorem idem mihi nunc orien subjicit, simili causa, tristiori etiam exitu, multa- tum

(*b*) *Idem.*

tum. Cum ebrius sæpe remp. turbaret, ad ludos fortè equestres nutante progressus corpore, hoc convitio à plebe notatus est. *Rursus è canco* (poculi à vento incluso sonantis genus est) *bibisti, rursus mentem amisisti.* Quo perstrictus, cùm sæviret in plures, Heraclius Africæ prætor accersitus est. ad quem à quodam Procerum Photino deductus, interrogatus. *Itane miser, remp. administrasti?* cumque respondisset: *Tu igitur administra rectius:* manus illi, pedes & verenda, quibus deliquerat, amputata, & hastæ affixa sunt. Cutis à dorso detracta, caput denique abscissum, truncus corporis ad ludibrium per urbem raptatus, ac tandem igni traditus est. (*a*) Hæc Ebrietatis de hominibus fœdè triumphantis victoria est, quam nobis *Milesius de Ebriet.* non inscito depingit carmine.

Illa ego terrarum domitrix Regina malorum,
Quæ clarum toto nomen in orbe gero.
Dux scelerum suprema vocor, vitiiq; magistra,
Nil nisi dulce malum, nil nisi dulce nefas.
Mors animi gratusque furor, blandumque venenum,
Morborum placidus fons, & amica lues,
Gurgulio, fundi barathrum, censusque vorago,
Vltio sum præsens, ipsaque pœna mihi.
Syrtis, hydrops, siren, scylla, insacrata charybdis,
Grandior & Furiis omnibus esse feror.
Nam quæ gestarum surgat mihi gloria rerum,
Notum est Eois occiduisque plagis.
Nullus erat sævis unquam bellator in armis,
Qui dederit gelidæ millia plura neci.

(*a*) *Glycas 4. part. An.*

Nemo

Nemo tot impunè cædes, tot funera nemo
 Edidit, ac nostræ sæpe dedere manus.
Me fugiat Clerus, Princeps, Puerique, Senesq;,
 Quosq; juvat Phœbi, aut Martia castra sequi.

Prisci ebriosorum hominum mores formaturi non illepidam de Noe fabulam referunt: ut quod plantatam primo vitem quatuor animalium irrigarit sanguine. Vnde non minimam succus hic virtutem traxerit. Simiæ videlicet, Leonis, Porci, & Agni. Siquidem ebrij, vel simias ridiculis moribus, vel leones feociâ, vel porcos fœditate, vel denique agnos mansuetudine ingenij imitari compertum sit. Quanquam ex agni parcius sanguine affusum videatur, adeo rara ebriosorum mansuetudo est. facilius reperias qui Suum instar delectentur sordibus, & jocis sese oblectent non nisi illiberalibus. Manichæi vinum esse dicebant à Principe tenebrarum mortalibus propinatum, quo illorum animas interciperet. Quod, ut quidem illorum sensu verum non sit, quasi conditor sit vini Diabolus: tamen per ipsum, hoc in lubrico, præcipitari quamplurimos, satis est exploratum.

Pervulgatum illud est duorum combibonum exemplum, quibus cum inter pocula sermo de immortalitate animæ natus esset. *alter*, inquit, *hanc esse fabulam à monachis natam, qui dictitent animas post funera superesse.* Quæ cum ridentes alij verba exciperent, peregrinus supervenit robusta hominis specie, & qui risus sermonesque misceantur, interrogat. cumque is qui ante cœperat, subjiceret, de animabus agi, & diceret, *se suam bono pretio venalem ferre*, atque hodiernam aucturum, sym-

symbolam siquis emptor foret. *En me*, inquit hospes, *quanti licitaris?* Non magni licitatur alter, convenitur de pretio, emptor soluit; ridetur inter hæc, cachinnatur, luditur, potatur strenuè, ut bene hic mercatus veritat. Ita cùm ad vesperam evoluta dies esset. Tempus, inquit, emptor, est ut ad propria quisque abeat. Verùm id à compotoribus meis scire velim, *an non illi, qui equum capistro alligatum emerit, cum equo simul & capistrum cedat*? quibus annuentibus, id omnino cedere. nulla mora, venditorem emptor collo raptum è convivantium turba, pavitantem clamantemque, per ostium atq; aera secum aufert, ad hospitium eiusmodi negotiatoribus destinatum. *a* Ite nunc, & inter pocula, tam seriam de immortalitate curam in ludibria vertite. Illum cum capistro, alios sine capistro, minori tumultu, ac præda majori dæmon ab illis compotantium gregibus abducit.

Aliud non minus, inter comicos epulantium jocos, sua catastrophe tragicum, ex Prateolo subjiciam. Convenerant in Nekerhonen superioris Germaniæ, ad tabernam compotores, & vinum petunt. quod cum hornum, & crudiusculum famulus prompsisset, aliud priore dilutius postulant. cui deinde ut gratiori, immorantur diutius. Postquam incaluissent, illorum unus, cum impleisset vitrum: *cui*, inquit, *hunc prabibam? Quid hares*, excipit alter, *Deo prabibe quid responsurus sit, videris.* Neq; cunctatus ille, *Tibi* inquit,

R *ô Deus*

(*a*) *Thomas Brabant. l. 2. Apoc. c. 56. p. 2.*

ô Deus attende sis tibi plenum hunc cyathum prabibo, ac pramoneo, ut satisfacias, nisi injurius esse velis. Cumque ebibisset, ad socium versus, *de quo* ait, *affundam*? utrumque, reponit alter, in manibus est. hornum & annotinum. Tum ille: igitur de horno & crudiori infundam, satis ipsi bonum. Implensque atque exporrigens manu scyphum. *Cape*, inquit, *& responde: mirum si id tibi arriserit; sed si melius hoc anno fecisses, melius quoque bibisses.* His dictis confestim illo loco situque, ut erat, diriguit, solos vibrans in capite ad horrorem oculos. Socius criminis consternatus fuga se proripuit, alii ad hominem submovendum frustra adhibiti, Magistratus consilium opemq; flagitant. funibus ab his illigatus, tribus equis protrahentibus moveri non potuit. Submota denique præter hominem domo omnia ignisque subjectus est, qui locum nefarii criminis unà cum homine aboleret, at ignis, velut ad facinorosi loci contactum, exhorrescens subterfugiebat, dum tristi homo iste blasphemus spectaculo, multorum longè lateque occurrentum oculos satiasset, atque in scena hac muta abominandam ebrietatis exposuisset insaniam (*b*) Ludite nunc in ebrietate, o infelices helluones, cum salute, & Superis, *Deus non irridetur.*

Mitius illa correxit uxor ebrietati obnoxium maritum, quæ aliquando jam vino somnoque gravatum adornatis domi funebribus, in mortuali reclinatorio, inter ardentes faces, & plangen-

a Thomas Brabant. l. 2. Ap. c. 56. p. 2. b Gabriel Pratecl. tom. 2. Chron. an. 1580. 24 Iul.

gentes juxta parentem liberos, tanquam mortuum collocavit, & lamentata est, ut ille ad hos denique suorum gemitus, & apparatum hunc funestum, velut ab inferis evigilans attonitus hæserit, ac deinde magis sobriam vitam amplexus sit.

Sed & illa Philippi boni Belgarum Principis opportuna fraus, quâ rustico ad viam ex ebrietate prostrato lepidissimè illusit, laudem meretur. Hunc enim in aulam per suos delatum magnifico in lecto collocatum, ac manè tali in loco habituque evigilantem, affluentibus circum ad fictum obsequium ministris, hæsisse inprimis tanta novitate & felicitate repentina attonitum, ac deinde liberaliter eadem usum, præsertim inter pocula oblata, memorant. Vnde factum, ut postquam risum aliquamdiu ludibriumq; non inamœnum præbuisset aulæ, denique eadem sepultus ebrietate, ad caulam cœnumque rursus deportatus sit, tam repentè miser, quam felix antea. De quo facto multorum literis celebrato lusi comœdiam *in 3. parte Palæstra lig.* Feliciori etiam eventu illa constitit ludificatio, quâ ebrio adolescenti à collegis Madriti in Hispania, vir istic natus, impositum fuisse retulit. Vino ille somnoque obrutus, perque socios indutus cucullo, religiosis quibusdam viris commissus est: qui postridie à crapula evigilantem, probè suis in muneribus exercerent, ut vel sic ad sobrietatem erudiri posset. Cui ad mentem redeunti, quàm insolens hæc mutatio visa fuerit, cum se in monasterio, tali in habitu, interque cucullatos repe-

riret, haud difficulter conjicies. Iussus itaque parere, tanquam, qui se isti addixisset ordini, jussus consueta ibidem obire munia, socio etiam comes per urbem incedere: ductusque eo tempore est, quo soluto collegio in adolescentes sibi notos incurreret, qui digitis, sermone, risu, vultuque eundem, quâ poterant prosecuti, lepidissimum tota urbe commentum vulgarent. Rediit domum ac vesperi ad designatum cubile, ubi per somnum cucullo sublato, vestibusque illi propriis repositis, cum evigilasset, sua sibi jussus est sumere ac domum redire, & per sobrietatem deinde esse cautior, ne similia á collegis ludibri[illegible]eretur. Qui cum prodiisset omniumque oculis ac sannis peteretur, suam mundique ita insanientis stultitiam & vanitatem detestatus, ad monasterium reuersus, habitum sibi ablatum reddi petiit, quamque ante, velut in scena, personam sustinuerat, non fictè cœpit agere. Ita hæc ipsi stultitia ad sapientiam profuit. dignus cujus exemplo plures ebrietatem tempestivè detestentur. His similia in *comico-tragicis meis*, pleraque aliquanto disertius, es reperturus.

CAPVT IX.

Consuetudine bibendi, illius denique necessitas augetur: ut morbus quidam sit, illá teneri; quem tamen multi ambiant.

NOnnullis frequentia bibendi eam denique ex consuetudine necessitatem injicit, ut nullis pocu-

poculis sitim expleant, ideoque ab hydropicis parum differant â quibus.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Et quibusdam Germanis hunc morbum adeo hærere Carolus V. Imperator sensit, ut cum nonnulli Hispanorum procerum in castris monerent Cæsarem, vt lege lata caveret, ne quis germanorũ ad ebrietatem vsq; inhæreret poculis, responderit; *idem esse à Germanis ebrietatem, & ab Hispanis furacitatem velle tollere.* (*a*) Sunt inter Germanos quibus hoc vitium adhærescit, sed & aliis illud nationibus familiare. quæ cum rarius, vehementius tamen sæpe ex ebrietate delinquunt. Moscovitis compotationes interdicto magni Ducis prohibitæ sunt, certis tamen festivitatibus, ut Nativitatis, Resurrectionis Dominicæ, Pentecostes, D. Virginis, S. Petri, aliisque solennioribus concessæ. quando illi velut carceribus emissæ belluæ, Suum more, in potu lutoque volutantur, tumultu convitiis, ac cædibus in se mutuò tam fœdè grassantur, ut nisi ceteris diebus hac illis ebrietate interdictum esset, funditus hanc gentem everti necesse sit. Quocirca Basilius tabernas è regno sustulit, solumque oppidum Naleuki (ab infundendis sic dictum poculis) trans fluvium pro extraneis, Polonis, Germanis, Lithvanisque condidit, ubi varium his potus genus pro libertate indulget suis inconcessum Moscovitis. (*b*) De Byzantiis Athenæus magis etiam in sana memorat. Hos ita tabernarum nidori assuefactos olim fuisse asserit, ut uxoribus eò ad viros

a Corrozetus in dictis memor. b Guagninus in descr. Moscov.

viros plerumque commigrandum esset. Ideoque obsessa ab hostibus urbe, ut cives contineret in mœnibus, Dux urbis Leonidas, tabernas in vallis excitari jussit, ut causam abeundi interciperet. Ita diu noctuque strenuè illic inter pocula vigilatum est. His militibus accenseri poterit Stratonicus Musicus: qui ad quietem concessurus puero sibi adferre potum imperabat: *non*, ait, *quod sitiam, sed ne sitiam.* noluit vigilias somnum interpellantes otiosè sibi aut siccè transire. *(c)* illi Acerræ non dissimilis, de quo Martial. lib. 1.

Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
    Fallitur, in lucem semper Acerra bibit.

Tam ingeniosè hic nonnulli bibuli in hoc poculorum ludo versantur. Quocirca & illud de Pontiliano Epigrammatographus cecinit,

Cum rabidus medio desævit in æthere Titan,
    Fer puer huc cyathos, Pontilianus ait.
Cum pluit. en, inquit, Deus admonet, esse bibendum;
    Qui modò tam multo proluit imbre solum.
Sic vacua à potu non illi ducitur hora,
    Curque bibat semper Pontilianus habet.

Mulieres Coloniensi in foro olitrices, ubi mercatus non omnino fuit infelix, nova metamorphosi olera in vinum deliquant, & heminam, seu pintam (ut vocant) aliam post aliam, catenato ansarum numero trahunt, & ad imam fecem evacuant. Videtur talem *Sabinus* suis in epigrammatis depinxisse, quando obesam quadrantariam sale sitim alente, & vino eandem diluente, his versibus exornat,

(c) *lib. 10. c. 13.*

Nec uro præpinguis sale non condita putrescat,
Nostra vorat multum Syllis obesa salis:
Ast ne concipiat duros vesica lapillos,
Se liquido semper abluit illa mero.
Sic habet immodico turgens abdomine, causã,
Quare perpetuò sistat, alatque sitim.

Vix poëtaster quispiam ad imum biverticis collem montis admissus est, & subitò à sacro Apollini vertice ad alterum Baccho consecratum deflectit, atq; inter pampinos, quam lauros mavult pangere carmina. Illud Horatii crebrò in ore est.

Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Qui scribuntur aquæ potoribus.

& Bilbilitani oloris, qui vini in fontibus libenter natabat.

Possum nil ego sobrius: bibenti
Succurrunt mihi quindecim poëtæ.

Quod vates tam sibi liberaliter indulgent, hoc nec historici negatum volunt. Talis erat Ioannes Heroldus; qui Augustanis in comitiis frequens principum conviva, in ephemerides suas, hoc loco confectas scyphum ingentem retulerat, cum hoc lemmate: *nulla dies sine linea.* Illo ad calcem subjecto disticho:

Nocturno certare mero, putere diurno
Vatibus ut liceat, quis vetet historicis?

Quod si utroque jam quispiam titulo, ut Vates atque Historicus, Bacchicæ Licentiæ inauguretur, quanta illi perpotandi fiet copia! Non deerit qui hoc mereri possit moriens epitaphium,

Hic situs est David, quem Bacchus cum satiavit,
Evomuit variam versibus historiam.

Ipsa etiam pietatis exercendæ, nostræque religionis mysteria recolendæ ratio sufficere nonnullis ad hoc institutum bibendi strenuè promovendum poterit. Celeberrimus Lutheri crater tribus distinctus circulis, quorum primo decalogum, altero symbolum, tertio orationem Dominicam suis propinabat hospitibus, quid nisi piæ religionis exercitium complectitur? Hunc, ut Frider. Matenesus (*a*) refert, Islebio quondam ad mensam cum aliis hospitibus invitato Lutherus præbibit, atque, ut erat decumanus crater, ad fundum exhausit; ut se catechismi totius: cujus hæc summa erat, capacem ostenderet. Sed cum Islebius deinde, post circulum primum, ad cetera evacuanda hæreret impotens, Lutherus suæ eum incredulitatis (adversabatur enim Luthero) arguens, *sciebam*, inquit, *nihil Islebium præter decalogum potaturum, cetera quæ in catechismo continentur, ne libaturum quidem.* Ipse enim Antimoniam instituit, & decalogum ab Ecclesia ad curiam transtulit.

Aliis ita aliorum Principum atque amicorum sanitas curæ est, ut propriam negligant, in quo Veterum Gentilium pietatem imitantur, qui in Deorum amicorumque honorem plenis libabant Baccho poculis, idque non rarò ad numerum literarum nomine contentum. Hinc vetus distichorum.

Nunc mihi dic quis erit, cui, te calathisse, Deos &
Sex jubeo cyathos fundere? *Cæsar* erit.

(*a*) *De ritu bibendi c. 9. ex mensal. colloq. Luth.* Et

Et rursus illud, quod plura diversis cyathis nomina in literarum numero æquata designat, ut in Cajo, Iulio, Proculo:

Quincunces & sex cyathos, bessemq; bibamus
Caius, ut fiat, *Iulius* & *Proculus*.

Extra has bibendi leges, cum numerus scyphorum liber esset, numeros impares, tanquam magis faustos, & bene ominatos deligabant, pares vitabant. Vnde celebre illud Græcorum in symposiis carmen concini solutum:

πέντε πίνε τρία πίνε ἢ μὴ τέτταρα.

Quinque bibe, tria bibe, nunquam quatuor.

Itaque aliis aliisque ad haustus cumulandos illecebris, titulisque utuntur, quotquot in Bacchicis scholis egregiè versati sunt. Quod Antonio triumviro adeo familiare erat, ut in publicis etiam Senatorum consessibus ebrius vomere conspectus sit. ut à M. Tullio eidē nō semel exprobratur. Verum M. Cicero filius, cum patrem eloquentia æquare non posset, superare M. Antonium potandi ingluvie judicatus est: cùm Bacchi quàm Apollonis amantior, ad tantam postremò capacitatem helluando profecerit, ut binos vini congios ferre posset, & patris interfectorem Antonium, non aliter ultus sit, quam quod potando vicerit: gloriā, quæ mulis debetur. (*a*)

Quid porrò de illis tibi videtur gulonibus, qui collum gruis optabant, ut diutius edendi bibendique voluptatem sentirent, in quibus Philoxenus Cytherius, Gnatho Siculus, & Melanthius apud Athenæum censetur.

a Plin. lib. 14. c. ult.

Temperâtius profectò illi mihi insanire videntur, qui odoratarum rerũ fumo ad ebrietatem usq; pascuntur, nisi fortasse elephantis sibi nasum optent, ut illi collum gruis. Nam si Tyrio apud Cælium credimus, Scythæ, cum ebrietatis voluptatẽ consectantur, pyram instruunt, eamque odoratis herbis complent, quæ subjecto igne fumum circumstantibus, velut promptum ex herbis liquorem propinat, quo sensim ebrii ad cantum saltusque ac lepidæ hilaritatis argumenta vertuntur. (*c*) Hoc idem Turcis Babyloniisque fumo ex arborum fructibus captato evenire, (*d*) quin & Europæis hodiedum ex Tabaco herba succensa, ac per fistulam, cui ingeritur, ore hausta, & per nares, aut os refuso fumo dissoluta, contingere, inter vulgus hominum est compertissimum. Quanquam hic fistularum potus, non tam animum exhilaret, quam cerebrum exsiccet, & spiritus vitales corroboret. His tamen ubi semel insueverint, difficulter hanc fumantem tubam, ex manu atque ore extorseris. Reperies qui hoc solo fumo, & potu quandoque aliquo, quamvis aquæ is fuerit, plurium ferant dierum jejunium, ut hic etiam fumus alimenti vicem præstet.

Quæ si in remedium famis sitisque, si ad honestam quoq; recreationem animi nonnunquam vertantur, culpari non debent. Ita enim necessitatis humanæ quædam sunt levamenta, non alimenta vitiorum. At per consuetudinem his affigi, hoc erit necessitatem ex pœna inflictam augere, naturam evertere, & vitam hanc in perpetuum ventris mancipatũ traducere: quo nihil, neq; ratione indigni⁹, neq; saluti inimici⁹ poteste venire.

(*c*) *lib. 28. c. 6.* (*d*) *Alex. ab Alex. l. 3. c. 11.*

CAPUT X.

Meliorne iſtorum ſit hominum conditio, qui cibo potuque abſtinere poſſunt, an qui iiſdem ad oblectationem ſruuntur ?

MEritò in diſceptationem veniat, majórne hominis felicitas ſit, cibo potuque ad vitam & oblectationem frui, an eodem prorſus abſtinere? Plinius aliique nonnulli hiſtorici referunt Aſtomorum, apud extremos Indos circa Gangis fluminis caput in oriẽte, gentem reperiri, quæ, ut ipſa vox indicat, ſine ore ſit, vivatque ſolo halitu atque odore naribus tracto, infeſtis verò etiam odoribus exanimetur. (*a*) Quod in Timonis nutrice in Cilicia Ariſtoteles obſervatum meminit, quam bimeſtri quandoque latitantem, non niſi reſpiratione vixiſſe deprehenderunt. (*b*) Alium verò repertum, qui nec cibum, nec ſomnum admiſerit unquam; ſed ex ſolis affulgentis radiis alimentum traxerit, eodem Ariſtotele oculato teſte confirmant (*c*) Albertus Mag. & feminam Coloniæ ſub Friderico II. Imp. fuiſſe memorat, quæ triginta dies ſine cibo tranſmitteret: & virum ſe vidiſſe melancholicum, qui alternis diebus hauſtu aquæ ſumpto ad hebdomadas ſeptem ferret inediam? Nicolaus Helvetus quindecim omnino annis vita ſolitariè & piè juxta Vndervaldenſem pagum tranſacta, anno

 ſalu-

(*a*) *Plin. 7. hiſt. Cal. l. 14. c. 21.* (*b*) *Plut. l. 8. ſymp. q. 9.* (*c*) *Cal. l. 14. c. 21.* (*d*) *id. l. 13. c. 24.*

ſalutis 1460. vita deceſſit, rei veritate per Epiſcopum Conſtantienſem aliosque viros Principes omnino explorata (e)Spiræ ad Rhenum quoque Margarita VVeis anno 1539. poſt decimum ætatis annum, levi correpta morbo, faſtidioque ciborum tentata, denique etiam validior eum reſpuit, potusque etiamnum patiens, eundem quoque poſt feſtum paſchale eſt aſpernata, nullo cibo potuque deinceps victitans, ut Ferdinandus Rom. Imp. re per medicos experſa, verum eſſe deprehendit. (f) Plures his reperias quorum vita ſine cibo per miraculum ſit propagata, ut Tullenſi in territorio puella duodennis, à ſacra communione, cibo triennio abſtinuiſſe: & Peruſiæ puella Interamnenſis Palumba, per ſeptennium nullo cibo præterquam Euchariſtico paſci comperta eſt. (g) Mirum verò eſt naturæ viribus ad hanc quosdam abſtinentiam potuiſſe ſufficere.

Erat pater qui filium moderatius cibo potuque utentem admoneret: *Scias*, inquit, *fili mi multo cibo homines in morbum præcipitari.* *Scio* ait, *mi pater, nullo cibo præcipitari in mortem.* *Ergo*, pater ſubjicit, *mediocritas erit tenenda.* *Sic tamen*, inquit filius, *neque morbum neque mortem vitabo.* *Imò*, ait pater, *vitabis: nam moderatione cælum mereberis, quod utrumque malum excludit.* Scitè ac ſapienter.

Iam verò, ut propoſitum teneamus, longè ego feliciorem illorum fuiſſe vitam ſentio, quàm qui Sybariticum & genialem, inter epulas & pocula, eum

(e) *Fulg. l. 1. c. 6.* (f) *Ger[illegible]us Bu[illegible]dinus.* (g) *Fulg. l. 1. c. 2. & 6.*

cum Apiciis, Heliogabalis, Bonosis, Vitelliis, aliisque ventris mancipiis luxum sequuntur. cum, ut istorum quidem nulla ex oblectatione cibi potusque est voluptas, sic nec molestia ex ingluvie perferatur: horum verò, ut voluptas est exigua, sensibus paulatim ad illam deliciarum frequentiam obstupefactis: ita molestia longè est gravissima, dum plerumque stomachus obruitur, cerebrum turbatur, cruda indigestio humores vitiat, & totum corpus morborum aliquod seminarium constituitur. Quid? quod ipsa demum bibendo sitis in perpetuam aliquam bibendi cupiditatem degeneret, ut febris sit, quæ nunquam sanetur. Talis certè Phryx ille, de quo apud Majolum (*a*) Poëta lusit, fuisse videtur. qui cum bene potus templum subiisset, atque illic obdormiens per æditiuum inclusus jaceret, noctu expergiscens: cum siti ferendæ non esset, sed ad relicta aspiraret pocula, neque exitus pateret, campanam, ut in publicis incendiis consuetum, fune ducto pulsavit. sed ubi passim homines, cum urnis, & aqua, velut ad incendium convolarent, aperto ostii templo, hic bibulus prodiit, & *quid* ait, *cum tot aquæ situlis? unus ex vino sestertius, ad totum incendium, quod fauces meas occupat, extinguendum sufficiet. hæc enim me necessitas ad campanam adegit.* Quo dicto, aliis risum: aliis indignationem excussit.

Non minus ridiculum illud quod Iudæo Salomonem in Anglia evenisse ferunt. Is liberalius potus

(*a*) *De caula & aula in dieb. canic.*
b) *Xiphil. in vita Vitell.*

potus, cum ante sabbatum, se domum voluisse recipere, & diutius oberrasset, jamque in cloacam profundam delapsus hæreret, quod sabbatinam diem fluere comperisset, oblatam à vicini opem amens respuit: ita relictus in molli luto lectoque, postquam Dominica die opem à vicinis imploraret, hi illuso homine, id sibi fas quoq; suo esse in sabbato negarunt. Vnde geminum sabbatum religiosus hic ebrius coluit, dum plenè ad sobrietatem animum revocaret. Duobus hoc factum versibus celebre est.

Iudæi: Sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo.

Christiani: Sabbata nostra quidem Salomon celebrabis ibidem.

His ludificationibus dignos se præstant, quotquot immoderato potu rationem & consilia obruunt. Vibio Crispo casus aliquantum dissimilis, ad salutem & meliorem animum profuit. Vitellio ille Imperatori inter diurnas nocturnasque compotationes non ingratus, quia constans jucundusque adhærebat socius. Quæ res cum morbum illi denique gravem diuturnumque, quo à Vitellio divulsus est, peperisset: reparata utcunque sanitate & Vitellii societate discussa, ad amicos dixisse fertur, *perieram omnino, nisi sic periissem.* (b)

Quare si alterutrius mihi facultas simul libertasque fieret: ut vel inter eiusmodi abstemios, qui, citra famem sitimque, vitam tolerarent: vel inter polyphagos & helluones, non intermissis commes-

commeſſationibus aſſuetos, viverem: multò ego illam mihi, quàm hanc vitam jucundiorem fore arbitrarer, tanta ingluviem mala comitantur, ut plerumque peſſimè corpori ac valetudini conſulatur, dum ita conſulitur. & quod ſimia proli, hoc præſtet homo corpori, dum nimium fovendo perdit.

Iam ludibria quæ helluonibus ebriiſque perferenda ſunt, quòd vix hominibus ſimiles habeantur, quis prudens non deteſtetur? Dionyſius Siciliæ Tyrannus, hoc in laudem ſuam vertit, quod facultatem dederit furibus, in ebrios dolis furtisque impunè graſſandi. *(a)* Mahometus gravius iisdem illudi voluit, cum octoginta plagis ebrium probrosè multari juſſerit, adeoque infame etiamnum inter Turcas vitium ſit, in vino exceſſiſſe. Vnde Serarius in Iudith c. 15. refert annis ſuperioribus Sinan Baſſam, cum aliquot ex Germanis militibus Sultano ſuo, ex prælio captos, ſiſteret, eos maximè Turcis ridicula proceſſionis pompa, hoc eſt, pocula aleasque ac chartas manibus elatis ferentes, per urbem ad palatium & Imperatoris ſui conſpectum produxiſſe, omnibus in riſum & tædi moris opprobrium, quaquà incederent, ſolutis. In Italia adoleſcentes & pueri ebrium publicè conſpectum circumſiſtunt, ludibriis, cachinnis, & luto impetunt. Quod ſiquis igitur potum omnem faſtidiat & averſetur ab hoc deſpectu opprobrioque remotiſſimus ſemper futurus eſt.

Nec

(a) Plut. in apol. ad Traj.

Nec leve malum est, siti ac fame affligi, citra quæ potus cibusque omnis ingratus est. Est enim fames sitisque morbus quidam naturæ deficientis, quo certè carere, quàm affligi multò est satius. Quam tristia atque horrenda fames sitisque mortalibus suaserit, quàm plurimis historiis pervulgatum est. Saguntina & Solymæa fames exemplo esse poterunt. Nulla adversus illius tyrannidem remedia absque cibo potuque suppetunt. *Difficile est*, inquit in Catone Plutarchus, *ad ventrem auribus carentem, verba facere.*

Et tamen hoc ante conflictari necesse est illos, qui ex cibo potuque voluptatem captant. *Optimum*, ait Socrates, *condimentum cibi fames, potionis est sitis.* (*d*) Sed plerumque major est his molestia, quàm ex illis voluptas hauritur: *Fames*, inquit, Aristophanes *omnia reddit dulcia, præter semetipsam* (*c*) Darius Persarum Rex turbida in siti extrema refectus à milite, negavit se unquam bibisse jucundius. *d* Quod si tamen voluptas illa sitientium, cum illa, quam perpessi sunt, siti comparetur: longè hæc gravior, illa minor esse videbitur. Hoc Lysimachus Græcorum Dux in Thracia à Dromichete ita conclusus, ut aquis interceptis ab hoste, se suumque exercitum dedere cogeretur, cognovit. Postquam enim captivus bibisset. *O Dii*, inquit, *quam parvæ voluptatis causa, meipsum ex Rege servum feci.* Longè igitur felicior videtur is, qui ut nullum quidem voluptatis, sic nec famis sitisve habet experimentum.

Verum

(*b*) *Cic. lib.* 5. *Tusc. q.* (*c*) *Stob. ser.* 93.
(*d*) *Cic. l.* 3. *Tusc. q.*

Verum tamen, si ex caloris nativi defectu hæc oriatur abstinentia: ut hic morbus quidam futurus est, ita anceps relinquetur disceptatio: an fame, an hoc languore affligi præstet? Nec dubium, minus ex utroque malum deligendũ esse.

Non amo vitam illam quam lacerti, serpentes, ac stelliones vivunt, qui ut observat Aristoteles in hist. animal. l. 8. c 15. hiberno tempore inter latibula reconditæ, sine alimento mortuam quodammodo vitam exigunt, quòd, Alberto M. teste, *b* suapte natura frigidæ, & ad ingluviem pronæ, collectos indigestosque æstivo tempore in ventriculo humores, hieme sensim inter inediam digerunt, alimentum ipsa sibi natura suppeditante. Illud magis mirum, quod de Epimenide referunt, septuaginta quinque annos continuato illum somno, sine cibo, superfuisse *c* de Germano etiam Rustico somnum in fæni cumulo capescente accepimus, molli illum humidoque strato contectum altius, autumnum ac totam dormisse hiemem, donec consumpto sensim fœno, attonito similis, quod mutata circum videret omnia, velut ab inferis, evigilaret *d* Valuit utique ad soporem, humoresque in homine alendos, fœni herbarumque circumjecta vis ac vapor. Quod magis etiam in bove apparuit, quem Lælius Bisciola *e* à rusticis sub injecto temere aggestoque fœno amissum credebat, donec post menses complures illic sine alimento latens, ut existi-

(*b*) *lib. 22. de An. tr. 2.* (*c*) *Laert. l. 1.*
(*d*) *Mendoza in Vir. prob. 24.*
(*e*) *hor. subs. t. 1. l. 16. c. 2.*

existimatum est, adeò tamen pinguis nitidusque repertus est, ut se loco movere non posset. Quem tam feliciter abstinentia alit, cibo alio non indiget. Hæc verò ars impinguandi boves, si probata sit, multas illa pauperum culinas ditare, ac mensas etiam lautioribus epulis, locupletare poterit.

CAPVT XI.

Convivia moderata, remotis temulentorum excessibus, & adolescentibus feminisque continentur habitis, laudabiliter celebrantur.

DVm gulam ebrietatemque aversamur, non prohibemus convivia. Sapientis hæc est cautio, quâ immoderata tantum proscribit convivia. *Noli*, inquit, *esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt; quia vacantes potibus & dantes symbolo consumentur.* Prov.23. Cæterum amicitiæ ac jucunditatis gratiâ sese epulis reficientes Syracides admittit, atque hoc consultò monitum adjicit, c.31. *In convivio vini non arguas proximum, & non despicias eum in jucunditate illius.* Sit amœna convivantium societas, sit libera bibendi edendique potestas sua cuique voluntas, non aliena mensuram præscribat. Vnde grandiora pocula, quæ sanitatis alienæ gratia afferuntur, & propriam destruunt, procul ablegentur,

aut

aut ea moderatione usurpentur, ut & rara sint, & cuique commensa esse possint. Crater Philothesius à priscis etiam probatus fuit, Herculeus sæpe non fuit. Hoc Ethnicos homines ratio docuit: nos etiam sacræ literæ ad meliora erudiunt. *Diligentes in vino*, Ecclesiasticus inquit, c. 31. *noli provocare, multos enim exterminavit ebrietas.* Si diligentes provocare nefas sit, ne ebrietatis autor fias, quanto indignius futurum est facinus, si impellas renuentes. Hæc profectò inhumanissima est politicorum hominum humanitas, etiam invitos amicorum in ebrietatem præcipitare, & corporis juxta mentisque sanitatem profligare. Absit ab honestis & dignis homine conviviis, hic adversus humanas divinasque leges excessus, ut tam convivis, quam hospiti consultū sit. uterque sine noxa, hic etiam sine damno futurus est. Stultum est cum scelere sua velle prodigere; alienis ingratiis, suo dispendio. Syracidæ voces sunt: *Sobrius potus sanitas est animæ & corporis.* Magnificentissimo Assueri convivio hæc laus tribuitur: *nemo erat, qui cogeret ad bibendum.* Esth. 1.

Spirent jucunditatem, & lepidis sese narratiunculis inter pocula, atque immistis quandoque oblectent quæstiunculis, sed ab omni levitate atque injuria remotis. delectent sine obscœnitate. salem absque mordacitate habeat. *Convivium laudatur dummodo detractionibus, & fabulis, & plausibus turpibus non misceatur.* De con. dist. 44. Seria ita respuantur, ut tamen necessitati possis obsequi.

Inter-

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Sed quoque lætitiæ noveris esse modum.

Archiæ Thebanorum tyranno inter hilares convivantium jocos tabellarius ferebat literas, addjecitque ne differret, scriptas enim de re seria. accepit. Rex subjecitque cui insidebat puluillo, & εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα inquit, *in crastinum seria.* verum infelix, diem crastinum, quem lectis videre literis poterat, detecta quæ in caput ipsius imminebat proditione, non vidit. Sub noctem enim à Pelopida inter somnum oppressus & Thebæ à Spartanorum jugo liberatæ sunt. Ita plerumque omnem crastinum non vident, qui sæpe sibi crastinum ad meliora pollicentur.

Videndum inprimis sympofiarchæ quos adhibeat mensis Convivas. Sunt gulones & parasiti dicaces, qui non nisi similis improbitatis hominibus placere possint, quos si emendatos in excessibus cupias, cum offensione sæpe dimittas, quando cum gratia admiseras. Nosti fortasse decantatum carmine factum illud, quo hospitibus sese admiscens in caupona Parasitus, ratus symbolum ab iisdem sibi exsolvendum, cauponem in discessu sordidè muneratus est. Adnumerabo versus:

Pamphagus in patulam tam multa ingesserat alvum,
Quam poterat denis plus satis esse viris.
Ecce venit caupo pretiumque expostulat: ille
Ebria terribili lumina more rotans.
Evomit in patinam vinumq; ciboq; receptos:
Atque ait, en merces tu tibi habeto tuas.

Ab

Ab eius modi hoſpitibus tale non rarò ſymbolum perſolvitur. Vide igitur quos invites. Iacobus Rex Scotiæ atque Anglorum eius nominis ultimus, cum hominum Doctorum in menſa lepidis ſcitisque dictis oblectaretur, tum inprimis Buchananum poëtam, ſed ut levis vitæ, ſic & linguæ hominem, ſibi percharum habuit. Inter cuius tamen dicta, hoc gratiam mereri viſum eſt, quod, cùm extemporale à Rege in menſa carmen de re præſenti poſceretur, ille ſcyphum aqua vinoque mixtum manu complexus dixerit,

In cratere meo Tethys eſt conjuncta Lyæo:
Eſt Dea juncta Deo, ſed Dea major eo.

Reſpondit nonnemo alius cratere nullâ aquâ diluto.

Numina confundis, cum Bacchũ diluis undis:
Impermixta colo, cum ſine fonte volo.

Verùm infelix ille Buchananus ad ſcurriles levesque jocos, quàm ad ſacras precandi formulas exercitatior, cum morti jam vicinior à Prædicante ad orationem Dominicam recitandam provocaretur. Mirum, inquit, quod hanc à me ignaro poſtules, quam intra annos 40. nunquam dixi, ſimulque illum ex Propertio verſum repetiit,

Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis,

Atque ita poëticè, helluo iſte ac paraſitus regius, vitam concluſit. *a* De vino tamen aquæ miſcendo, ... a aliquantò calidius eſt, utile exemplum, non tamen cauponibus, ſed hoſpitibus imitandum reliquit. Bernardini Palomi hoc pronuntiatum celebratur de vino. *Vinum duo potiſſimum*

(*a*) *Sarus de doct. cur. l. 6. c. 13.*

ſimum mala comitatur: ſi namque dilutum ſumas, ipſum corrumpis: ſi non diluas, ipſe corrumperis. b Tu vide utrum conſultius, malisne vinum corrumpi, quam cerebrum, aut animum? Illud tamẽ de Italicis Hiſpanicisque potius, quam Germanorum vinis dictum ſentio.

Adoleſcentes & feminas compotantium quoque ſocietati ingerere, eosque urgere ad exhauriendа pocula omnino indecorum eſt, & malorum ſæpe non levium origo, ſi accedant confabulantium illecebræ, joci liberiores, & Veneris irritamenta cum vino ſocientur. Apud Romanos hæc olim adhibita cautio eſt, ut ante trigeſimum annum vinum bibere, etiam viro, turpe fuerit, c Mulieribus autem à vini uſu prorſus fuerit abſtinendum, ne in dedecus prolaberentur, cum à libero ad omnem libertatem has deflectere compertum ſit. Vnde illa etiam oſculorum conſuetudo manavit, quâ cognati venientes abeuntesque excipiebant, ut intelligerẽnt, ex collectâ propius animâ, vinumne bibiſſent, atque illarum, hoc facto temperantiam probarent. d Quod *Propertius* canit *lib. 2. eleg. ult.*

Vino forma parit, vino corrumpitur ætas,
Vino ſæpe ſuum neſcit amica virum.

Hoc imprimis adoleſcentibus, ac mulieribus dictum eſt. Neſcit modum illa ætas ſexusque, ubi ad hanc libertatem ſolutus eſt, ſibi imperare. Non alia ſed ruit in amentiam. Ejus rei non illepidum nobis exemplum in juvenibus Siculis

Athe-

(b) *Beyerlinck in apoph.* (c) *Alex. l. 2. c. 25.*
(d) *Athen. l. 10. c. 13.*

Athenæus reliquit. Illi Agrigenti, in societate mutuâ, liberalius vino poti, cum jam ad ebrietatem incaluissent, velut somno quodam sepulti, arbitrati sunt, in sua se triremi, medio in oceano, inter fluctus tempestatemque periculosè jactari. Quocirca mutuò sese admonere discriminis, navemque plus satis oneratam evacuandam esse, clamare, obvia quæque, lectos, stragula, supellectilem, per fenestras, atque ostia, velut in mare egerere: cumque supervenissent militum Duces, hanc insolentiam prohibituri, hos tanquam Deos adorare marinos & sostrum polliceri, modò eorum opera securè portum tenerent. Quæ insania cum triduum illos tenuisset integrum, vix denique ad mentem reversi sunt. Domo verò hospitali ad perpetuam facti memoriam *triremis* nomen reliquêre. *a* Alexandrum fortissimum juvenem, Persarum victorem, quique uxorem & filias Darii sobrius intactas reliquerat, cũ inter convivia largius ebrietati indulgeret, ad gravissima quæ scelera, hac immoderatione prolapsus est, ac robustissimi corporis vigorem vino solutum morbo ac morte intempestiva profligavit, multorum antè amicorum per ebrietatem interemptor, ac demum sui. victurus orbem, si vicisset intemperantiam. *b*

Haustus igitur in convivali lætitia ita per Modimperatorem est promovendus, ut neque volentibus negetur, neq; imperetur nolentibus. Ætatis tamen sexusq; habeatur ratio: ut nec adolescentibus, nec feminis nisi insigni moderatione conce-

(*a*) *Athen. l.2. c.1.* (*b*) *Curt. & Plut.*

concedatur. In his enim liberalitas beneficii
men gratiamque amittit. Regulam quo
mensuramque eandem omnibus viris praet
bere, esset eundem omnibus aptare calceu
nihilominus in ternario gratiarum numero fer
ad necessitatem in haustibus oblatis sufficier
iterum ad jucunditatem, tertia etiam ad hilari
tem concesso, veteres subsistendum rati fu
Vnde Horatius exercitatus potator lib. 3. od.
sic canit.

Tribus, aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui musas amat impares,
Ternas ter cyathos attonitus petet
Vates. Tres prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratiá.

Vatibus itaque (quibus Horatius plurimum favet, ne sibi iniquus sit arbiter) concedit cyatho novem. at negat consultum, hunc ternarium, quarto, male ominato numero, repetere, ne rixa nascantur, quaesitaque in conviviis gratia pereat, cui Ausonius Vates suffragatur.

Ter bibe, vel toties ternos, sic mystica lex est.

Neque decumanos crateres in salutem, sanitatem, aut valedictionem inferendos, nisi libertate cuivis relicta, censeo. Vidi ipse apud Illustrissimum humanissimumque Comitem Boixmerianum in Clivia craterem, qui tantus ex argento auroque erat, ut sedentis ad mensam hominis latus ex terra assurgens (neq; enim mensae imponebatur) aequaret, quique aegrè unius bibentis brachiis posset

(b) *Erasmus in adag.*

posset sustineri, hoc primo advenienti hospiti salutem propinare consueverat; sed qua erat discretione, non urgebat nolentem: libertatem alterius suæ voluit liberalitati adjungi. Philothesius olim crater, quamvisgrandior, post cœnam adhiberi solebat; verum exeodem hauriebant plures, convenientiori amicitiæ symbolo, quam si talem singuli,& quod ajebant, ἴσον ἴσῳ hoc est, par pari reddere jubeantur. *b*

Est modus in in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

CAPUT XII.

Quæstiones convivales, ad hilarem jucundamque inter epulas conversationem alendam faciunt.

AD honestam eruditamque conversationem alendam inprimis facit, aptas tempori, rebus, loco, hominibusque, quibuscum versaris, quæstiones invenire, proponere, ac ratione vel arguta, vel minus exspectata, aut lepida, in hanc illamve partem agitare. Invenies enim, qui ingenii, aut peritiæ declarandæ gratia, vel respondentis, vel arguentis partes capessat: facilisque hic ac plerumque disertus modus est, triste in familiari consortio silentium dissolvendi. Cavendæ tamen ineptiæ,& scurriles, aut ridiculæ quæstiones, quæ sine judicio, aut pudore ingeruntur

b) Erasmus in adag.

ne audire contingat, quod de duobus frivola agitantibus, dum alter ridicula proponeret, alter insulsa responderet, Gorgias superveniens dixit: *uter, vestrum sapientior, qui cribrum supponit, an qui mulget hircum?* Erat in sophisticis ac nugacibus quæstiunculis Sosibius, apud Ptolomæum Philadelphum Regem, non paucis ingratus. Quare Rex homini sophismate quoque ridiculo illusurus, quæstoribus mandavit, ut stipendium postulanti, se dedisse, responderent. Quod cum fecissent: ipse Regem, de injuria sibi illata querens, convenit. Rex igitur quæstores cum libro rationum sibi adesse jubet. in quo cum notati essent *Sosigenes Bion* & *Apollonius*; Rex syllabas, ex singulis nominibus aliquas captans, & hic, inquit, scribitur accepisse *Sosibius.* Nulla enim huic nomini syllaba deest, si rectè hæc vocabula, quæ te continent expenderis. Ita sophistæ nugatori, suâ arte sophisticè illusum est. *a*

His affines sunt quædam captiosæ tantùm quæstiunculæ. Vt si quæras: *citiusne destrui, an ædificari domus aliqua soleat?* & respondeas, præter exspectationem; citius ædificari. eò quod destrui, nisi antè ædificata, non possit. Aut si quæstione introducta, *cur Hispani majores pinsant panes, quam Galli, aut Itali?* respondeas, aliis alia opinantibus, quia plus farinæ adhibēt. Aut, *quis optimus sit jactus, in chartis & alea?* Dicas, ille, quo in flumen jaciuntur. Aut *quo in loco tellus altissima?* Dicas in humanitate Christi, ad dextram Patris collocata. Hæc enim ex sola ambi-

(*a*) *Athen. l. 11. c. 13.*

ambiguitate vocum, aut ſententiæ nata, plus nugacitatis, quam ingenii continent. Et ad vulgi tantùm oblectationem faciunt, gravibus plerumque viris deſipiunt.

Nonnunquam ingenioſè quæſtiones ejusmodi inanes, aut ſophiſticæ eluduntur: dum par alteri quæſtio proponitur, ex qua ſuæ abſurditatem agnoſcat. Ita dum Parochus ex ruſtica muliere ſciſcitatur: *Sciretne illa quot eſſent feſtivi in anno dies*? repoſuit mulier hanc viciſſim quæſtionem Paſtori: *ſciretne ipſe, quantum panni, ex una lini libra confici poſſet*? Quò hominem docuit, accommodam cuique perſonæ quæſtionem formandam eſſe. Sic alia, interroganti ſtudioſo, *quot putaret in cœlo ſtellas eſſe*? repoſuit: *quotnam ipſe crederet, in terra ſtultos reperiri*? Nonnemo ex Philoſopho quærebat, ut diceret, *ubi Deus extra mundum eſſet*? Tum ille. *Tu verò mihi ediſſere, ubi Deus extra mundum non ſit*? D. Auguſtinus interrogatus, *Quid Deus antè conditum mundum feciſſet*? reſpondit, *de inferno pro curioſis inſtruendo cogitaſſe*. Verùm hæc, cum plerumque non ſine aculeo reverberentur, non niſi erga inferiores & protervos ſciſcitatores erunt intorquenda. Sic extra reprehenſionẽ non erunt nugatoriæ quorundam reſponſiones, quibus æquis aliorum quæſtionibus tantùm illudunt, ut cum Suevus nugator equiti pontem tranſituro nihil ad interrogantis mentem reſpondebat. Hic ſciſcitabatur: *Eſſetne pons firmus ſatis*? *Nunquam*, reſpondit Suevus, *ejus vires exploravi*. Tum eques, illud quæro: *an ſecurus quis inequitet*? Mox Suevus.

ait, *nunquam stravi pontem, ut inequitando id didicerim.* Rursum ille. *Quæro equidem: an hiatum aliquem pons habeat, qui iter præpediat?* At Suevus *Magno,* inquit. *hiatu patet, quo flumẽ ingens transmittitur.* Ita nullo eques ad propositum responso scurriliter satis delusus est.

His aliisque, seu quæstionibus, seu responsionibus tempus consumere, neque honestum satis, neque jucundum esse sentio. Aliæ sunt quæstiones quæ ad familiare consortium amœna dissertione traducendum faciunt. Talis illa fuit, qua Darii Persarum Regis custodes à cœna quiescente tantisper Rege, ad fallendum honestè tempus usi leguntur. dum ab ephebis regiis disceptatum est: *Vinum ne, an Rex, an mulier, an denique veritas præstet ac fortior sit rebus ceteris?* quæ deinde quæstio in procerum ac Regis præsentia, cum magna omnium voluptate per juvenes hos oratores discussa, ut laudem, ita præmium ingens tulit: dum Zorobaelem Hebræum, pro veritate elegantissimè differentem, Rex, ut victorem ceterorum, amplexus est, ac proximum sibi esse in regno jussit, ac postremò hoc indulsit postulanti, ut ædificata rursum Ierosolyma, ac templo, in libertatem Iudæi ex Babylonica servitute restituerentur. (*a*) Ita Philippus Macedoniæ Rex eruditæ inter epulas & pocula conversationis appetens, Philosophos secum mensæ adhibere solitus, hanc illis quandoque thesin excutiendam proposuit. *Quidnam esse sub cœlo, maximum sentirent?* Respondit primus, olympo nubes exce-

dent

a) *Esdr. lib. 3. c. 4.*

dente nihil se majus agnoscere. Alter, Atlantem illo montem, ut qui lunari circulo propinquus sit, ideo cœlum sustentare dicatur, majorem esse contendit. Tertius oceanum, qui totum ambiret orbem. Quartus solem magnitudine sua centies & sexagies terræ in se quantitatem complexum, longè cetera mole sua excellere afferebat. Vltimus denique cor animumque hominis, quem explere hæc universa non possent, censuit esse maximum, assensuque ceterorum judicasse rectius est existimatus.(*a*) Rodolphum Imperatorem similes etiam quæstiones, inexspectata aliqua responsione, solutæ, mirificè oblectabant. Ita cum animum inter legatos ad se missos à seriis aliquantulũ remitteret, observarat è duobus legatis jam senescentibus, alterum canâ barbâ, sed nigro capillitio, aliumque è diverso capillis esse canis, barbâ adhuc nigricante. Quare, ut amœnissimi erat ingenii Princeps, ad illos conversus, sibi dari hanc à legatis diversitatis causam postulabat. Tum ille, cui sub atro capite barba incanuerat. *Rex*, inquit, *clementissime ne sua majestas hanc præcipuè in barba mea caniciem admiretur, maximam enim hactenus pro ore curam sustinui, & no quicquam deficeret, laboravit os ipsum: hinc immaturos hos canos traxit.* Placuit responsum Regi, & conversus ad socium, tu igitur quam mihi causam daturus es, habitus longè in ore & capite diversi? Nec ille respondendi imperitus, *o Rex*, inquit, *barba mea viginti &*

(*a*) *Lipsius de magn. Animi in pol.*

(*b*) *Beyerl. di Vrbanit.*

amplius annis capillitio est junior, ubi hos attigerit, parem cum illo colorem induet.

Ita in mensis ex re nata, & appositis sæpe cibis quæstiones jucundæ petuntur. Christophorus Columbus in mensa Ferdinandi Arragonum Regis ejus nobis exemplum reliquit. Ille enim, cum primus Indicæ navigationis Hispanis aperuisset iter, & nonnulli invidorum gloriæ contenderent, hanc rem tanti non esse, quin à pluribus idem fieri potuisset: arrepto ille, quod in mensa appositum erat, ovo, quærebat; *essétne inter præsentes qui ovum illud in apice, nullis adminiculis fultum, posset constituere?* Cumque experiretur pro se quisque, & nemo posset: denique Columbus, altero ejus fastigio mensæ iliso, repentè erectum ovum constituit. *En*, inquit, *& hoc omnes, jam, ut factum à me vident, norunt: nondum factum ignorabant?*

Plutarchus in quæstionibus sympofiacis hanc de ovo non illepidam infert. *Fueritne ovum ante gallinam; an gallina ante ovum?* & rationes in utramque partem adfert. Vt pro ovo: quod principia rerum priora fuisse videantur, quale est ovum gallinæ semen: & natura, arti similis, ab imperfectioribus, & rudioribus transeat ad perfectiora. Verùm pro gallina veriùs certiusque disserit, quòd mundus primo omnium exstiterit perfectissimus. neque semen, aut ovum de terra sit editum, cùm alicuius esse semen, aut ovum debuerit. non enim dicitur esse gallina ovi, sed ovum gallinæ. (*a*) Sed de hac re nos sacra

(*a*) *Plut. l. 2. symp. q. 3.*

sacra scriptura dubitare non patitur, quæ quodvis animal in suo genere à Deo creatum asserit. Illud hoc loco etiam quæri poterit: *an ova sine gallina excludi possint?* Et comperta quidem res est, fieri illud ab hominibus etiam posse. De noto mihi homine fide digni asseruerunt, illum febri æstuantem ex ovo sub axilla aliquamdiu foto gallum exclusisse gallinaceum, cui deinde alterius nomen ad memoriam rei à Domesticis tributum est. Quin Iulia Augusti Cæsaris conjux, ut intelligeret, masculum, an femellam concepisset, ovum tamdiu fovisse memoratur, dum gallum excluderet. Vnde se marem concepisse augurata, Tiberium peperit (b) Ægyptios in furnis calefactis ingentem simul pullorum numerum excludere Radzivilius in sua peregrinatione, aliique testantur. Si quæras, *an ova sine igne excoqui possint?* Id Persas observatum est facere. qui in venatione sine cibis deprehensi, cum esuriunt, ova quæ secum ferunt fundis imposita tamdiu circumagunt, ut reverberatione aeris calefacta excoquantur. In calidis Aquisgranensium fontibus ovum brevi tempore suspensum coqui mirum non est. Subjicio & hanc de ovis quæstiunculam. *quemadmodum ova, ut volent, instrui possint?* Id verò fieri constat, si evacuato cortice, rore illa compleas matutino, ac clausa deinde, juxta perticam, vel arborem exponas Soli. ille enim suis radiis sensim extollet in altum, idque tantò facilius lepidiusque, si aliis hinc inde glutino annexis, in aere suspendantur. Hæc aliaque

b *Plin. l. 10. c. 55.*

conviviis opportuna ſunt, & jucundè ſine ſcelere uſurpantur.

CAPVT XIII.

Ænigmata & griphi, cum præmio aliquo ſolventi propoſito, rectè convivis recreandis, inter epulas, adhibentur.

SYmpoſiaca etiam olim fuêre ænigma & griphus, & ſolventi quidem honoratior carnis portio, ignoranti ſalſa potio: illa in præmium, hæc in mulctam deferebatur. quanquam Athenienſes vinum dilutum, velut in pœnam, hauriendum in phiala propinarint: ne convivii hilaritas illa mulctandi ratione intercideret. Talis eſſe poterat griphus ænigmaticus de voce *muſcatum*.

Sume caput curret, ventrem ſuperadde volabit,
Adde pedem comedes, & ſine ventre bibes.

Mus enim currit, *muſca* volat, *muſcatum* comeditur, *muſtum* bibitur, quæ omnia una voce continentur. Sic quærenti, quomodo *amores* conflentur? Reſpondebis *more, ore, re.* hæc enim tria uti ipſam conſtituunt vocem, ſic verè moribus, forma, & opibus potiſſimum amores conciliantur. Ejus generis omnino varia ſunt, quæ ad eruditam ſimul & jucundam animi remiſſionem conducat. Quibus operam aliquam ſtudiumque

a Plin. l. 10. c. 55.

diumq́, impendere, ut minus honesta rescindantur, omnino laudabile est.

Vt est illud ad solutionem propositum de Christo

Sum quod eram, nec eram quod sum: modo dicor utrumque.

Nempe *Deus* qui ante eram, & *homo* qui non eram. Sic propone enodandum hoc distichon de *corde* humano, quod Deus sibi postulat

Dimidium sphæræ, sphæram, cum principe Romæ
Redde Deo, tantum vendicat ille sibi.

hoc est, C. O. R.

Non dissimile illud in Epistola familiari carmen.

Mitto tibi *navem* prora puppique carentem,
Mitto tibi *metulas*, si vis cognoscere, vertas.

Tolle ex voce *navem* proram puppimque; hoc est n & m, & *aue* leges: inverte, *metulas*, & leges salutem.

Improba furfur edit, pannū, ac panem, sustineamq.

Divide verbum, & leges *sus, tinea, mus*: ac facilè assequeris ænigma. Iungam hic celebratum de Hermaphrodito miserè pereunte ænigma, quod texitur simul ac solvitur.

Dum mea me genitrix gravida gestaret in alvo,
Quid pareret? fertur consuluisse Deos.
Mas est, Phœbus ait: Mars femina: Iunoque neutrum.
Cumque forem natus Hermaphroditus eram.
Quærenti letum: Dea sic ait: occidet armis:
Mars cruce: Phœbus aquis. Sors rata quæque fuit.

Arbor obumbrat aquas, aſcendo, decedit enſis
Quem caſu tuleram, labor & ipſe ſuper.
Pes ramis hæſit, caput incidit amne, tulique
Femina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Sic de Eunucho cæcutiente qui veſpertilionem, ſtantem in ſambuco, leviter perſtrinxit pumice, hoc ægnima Petrus Crinitus habet.

Vir non vir, videns non videns, alitem non alitem, perculit non perculit, lapide non lapide, ſedentem non ſedentem, ſuper arbore non ſuper arbore. Similia quædam reperies in Argutiis Epigr. p. 2. c. 1. §. 5. Brevius illud faciliusque ænigma eſt.

Dum plenus, levis eſt: gravis eſt dum pendet inanis.

Quod aptè de ventre, aut ſtomacho: uti etiam de crumena intelliges. Nec longè diſpar illud de Baccho.

In vitro meus eſt, in ventre illius habebor.

Dum enim in ſcypho vinum habes, in tua illud poteſtate eſt: dum in ventre, tu in illius. Operatur enim, pro viribus, quæ poteſt.

Hoc ſtudium honeſtatis juxta ac voluptatis plenum ſemper eſt habitum. Ænigmaticis certè *quaſt.* quæſtionibus griphiſq; enodandis operam dare, olim erat res inter Reges etiam Principeſque, neq; Philoſophos tantum, & eruditos, uſitata, non illaudabili ingeniorum commento reperta, magniſque etiam præmiis ſolventium cohoneſtata. Ita Salomonem Iudæorum olim, & Hiram Tyrorum Reges, mutuis ſeſe ænigmatum quæſtionibus exercuiſſe, Ioſephus nobis eſt autor.

tor. (*a*) Hâc potissimum arte sapientiam ejusdem Regis Salomonis Regina Sabæ exploravit, & cum stupore est admirata. quando famâ nominis provocata Solymas ipsa excurrit, obscurisque quæstionibus ejus pertentavit ingenium, ac liberalissima donorum oblatione est venerata, cùm præter gemmarum atque aromatum magnam vim, centum viginti auri talenta, raro munere, obtulisset. (*b*) Sampsonis Hebræorum Ducis ænigma in convivio nuptiali propositum non ignoramus. Neque illud, ut profana etiam tangam incognitum, quod Iocasta Thebarum Princeps, Sphingis mulieris peracutæ ingeniosæque consilio, proposuit, hac quæstione, *quod animal mane quadrupes, meridie bipes vesperi tripes esset?* Cui tantùm Sphinx & Iocasta tribuit: ut hæc existimans nullum ejus solutorem reperiendum, ausa fuerit, se suumque regnum in præmium solventi proponere. Verùm Oedipus, puer quondam expostitius, ac verus Iocastæ, hunc ignorantis, filius, pluribus frustra solutionem tentantibus, supervenit, & *hominem esse docuit, qui nascens, ut quadrupes reperet, adultior suis pedibus incederet, senex baculo innixus, tripes fieret.* atque ita quæstione dissoluta, ex promissione, materno thalamo, ac regno potitus est, donec agnito crimine, suis sese, ob patratum facinus, oculis privavit.

Non admodum dissimile illud, quod Philosophorũ nonnemo Theodoro Pachomii discipulo proposuisse traditur. *c Quis nunquam natus, mortuus:*

(*a*) *Ioseph. l.8. antiq.* (*b*) *3.Reg.10.*
(*c*) *In vita S. Pachomii.*

tuus sit ? quis natus, & tamen nunquam mortuus ? quis mortuus, & tamen non corruptus? Respondit aptè Theodorus. Adamum non esse natum, & tamen mortuum: Henochum fuisse natum, sed non mortuum; Lothi uxorem mortuam, at in statuam versam, & non corruptam. (c) Habent illæ antitheses in ænigmaticis inprimis gratiam, & suspendunt judicium investigantis, tantòque est major voluptas invenientis, quantò his impeditior visa est quæstio. Sæpe autem fatigat affligitque frustra indagantem. Vt Homerum piscatorium illud ænigma Ille enim, cum ex piscatoribus in sole juxta flumẽ jactis hamus apricantibus, quæreret: *quidnam cepissent?* Illi repentè per ænigma responderunt. *nihil habere se eorum quæ cepissent, quæ autem nondum cepissent jam habere.* intelligentes pulices aut pediculos, per otium captos, dum piscium nihil affluxisset. Ita si interroges: *quænam creatura secundum se totam contraria aut repugnantia admittat ?* Invenies quidem hominem mortalem, & immortalem; sed non secundum idem corpus, vel animam. In Deipara tamen reperies eandem simul, secundum idem corpus & Matrem Christi esse, & Virginem. Hinc Vates cecinit:

Partus & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio federa pacis habent.

Quære. *Fueritne aliqua Mater priusquam nata esset?* Talemque Evam fuisse respondebis. Quære, *fueritne aliqua simul uxor & virgo?* & rectè dices talem fuisse Abisag à David Rege intactam. Alia quæstio

a In vita S. Bacchonis.

quæstio majora penè rerum miracula continet. *Quis eandem & matrem, & sororem, & sponsam habuerit?* Et respondetur Euphorbum quendam fuisse, qui à patre ex propria erat filia susceptus, quam cum ipse suam esse matrem ignorasset, deinde in conjugem duxit. Vnde hoc distichon

Me Pater è nata genuit, mihi jungitur illa:
Sic soror & conjux, sic fuit ipsa parens.

De conjugibus, qui licet corporibus duo sint, mente tamen ac voluntate una esse debent, ne dissentiant, ita quidam ænigmaticè lusit.

Sunt duo quæ duo sunt; & sunt duo, quæ duo non sunt:
Quæ duo si non sunt; sunt duo nulla duo.

Ita aliud de Lothi uxoris statua ænigma his versibus conditur.

Quod spectas oculis, viator, hoc est
Sepulcrum, nec habet suum cadaver.
Quod spectas oculis, Viator, hoc est
Cadaver, nec habet suum sepulcrum.
Sepulcrum tamen est, & est cadaver.

Quæsitum jam olim est, quæ duo pronomina, omnia nomina & verba confundant? responsumque est. *Meum* & *Tuum.* Vnde aliæ quoq; formari possunt quæstiones. Quinam illi sint, qui dicant: *quod meum est, tuum est; & quod tuum est meum est*: quinam dicant, *quod meum est, meum est; & quod tuum est tuum est.* Qui dicant: *quod meum est tuum est; & quod tuum est tuum est.* Qui postremò dicant, *quod meum est, meum est; & quod tuum est, meum est.* Et respondetur, primum dicere *conjuges*, secundum *mercatores*, ter-

tium

tium *pios eleemosynarios*, quartum *raptores milites, & tyrannicos Principes.* Paucis vates cecinit

Si duo de nostris tollas pronomina rebus,
Prælia cessarent, pax sine lite foret.

Non illepidæ hic juvat meminisse historiæ, quam ex Melanchthone Heidfeldius (*a*) recitat. Cùm Henricus Lucenburgensis Imp. haud procul Bononia nobilis cujusdam arcem præterveheretur, nonnemo Iurisp. *hanc arcem Imperatoris esse*, dicebat, quod alter cùm negaret: res in certamen abiit, proposito victori hujus causæ equo. Ipse verò Imperator Iudex delectus est. Nitebatur is ratione istâ, quòd *omnia imperatoris esse* summo jure dicerentur: hic, quòd nobilis arcis hæres possessorque, ideoque & Dominus esset. Imperator tamen suæ favens potestati, pro illo sententiam dixit, equumque eidem adjudicavit. Vnde vulgò dicterium hoc usurpatum est: *alter respondit æquum; sed alter habet equum.* Tantum in causa hac potuit pronomen *Meum.*

Rectè etiã quæres. Quâ fieri arte possit, *ut mentienti habeatur fides; vera dicenti non credatur?* Et respondebis hoc sæpe mentiendo, & vera loquendo fieri. Nam *verax hoc denique obtinet, ut etiam mentienti fides habeatur: mendax verò, ut nec vera quidem loquenti credatur.*

Fides, ut anima, unde abiit, numquam redit.

Hæc anima politicam huius temporis disciplinam ita deseruit, ut inter hos jam homines prorsus hac sua arte infames, illi versus locum obtineant.

Rebus

Rebus omnibus peractis,
Nulla fides est in pactis,
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

Non indigna viro sapiente quæstio fuit. *quanam syllaba totum regat, & evertat mundum*? Nimirum bene respondit, qui dixit esse *jus*, quod mutatis literis *vis* est, illo regitur; hoc evertitur orbis. Hæc & eadem sunt; & pugnant inter se. Vnde meritò dicas:

Ius & *vis* apicis nullo discrimine distant;
Vi tamen opprimitur, *jure* fovetur homo.

De aqua plures etiam quæstiones ænigmaticæ agitantur. Vt quæ aqua pretiosissima? cui alii respondent, illa quæ in ænopolio vino miscetur: alii, ægrorū aquæ ad Medicos deportatæ: alii etiam piorum esse lacrymas dicunt, quibus cælum emitur: alii baptismatis, quibus idem, absterso peccato, comparatur.

Quænam aquæ optimæ? respondent alii molarum, quibus frumentum conteritur: alii pœnitentium, quibus emendationem spondent. Apud Athenæum cum hæc quæstio, de aqua nata esset; & alii alias præferrent aquas, reliquis aptissimè respondisse est judicatus Carnæus, qui illam esse dixit, quæ manibus affunditur. quòd illa jam *cœnam ostendat esse paratam*.

Vniversè verò in ænigmaticis hisce lusibus observandum, ne de rebus à vulgari hominum cognitione remotis instituantur: Nam si, exempli gratia, quæras in quo fonte faces accensæ extinguantur,

guantur, extinctæ verò accendantur? quod de Iovis fonte in Dodone ferunt. (*a*) Aut, quis in die fluvius septies fluat, & refluat? quod de Euripo in Eubœa (*b*) relatum est: nimium remota postulabis. nisi fortè historiarum bene peritum sciscitéris. Ejusmodi tamen miscere narrando, vel historica, vel certè opiniones aliorum, quæ nativitatem quandam complectuntur referre, non erit inutile. ut quod Aristoteles ad ejusmodi spectaculum Euripi, nunc fluentis & refluentis, nunc etiam subsistentis hæsisse feratur, ac deniq; cum non caperet, sese in flumen egisse præcipitem, cum dicto *quoniam ego te non capio, tu me capies.* Quanquam hujus rei non magna sit fides. Ita in caupona duos inter pocula audiente hospite de magno Platonis anno post triginta annorum millia recurrente, inter se contulisse Heidfeldius (*c*) memorat, ac collegisse juxta illius sententiam futurum, ut eodem in diversorio se revisant mutuò, ac præsenti voluptate iteratò fruantur. Iamque ad exitum hic discursus spectabat, & symbolum. Cum ad hospitem versi rogant, ut ad reditum illius temporis solutionem symboli patiatur differri, non defuturos se debito. *Verùm,* inquit hospes, *jam ante magnum hunc Platonis annum, vos eodem hic loci fuistis, soluto necdum symbolo. cui si modo satisfactum à vobis fuerit, præsens symbolum non ingratus differam.* Hæc igitur ad jucundum magis inter pocula & epulas otium, quàm ad studium & occupationem seriam sunt referenda.

a Plin. l. 2. c. 97. b Ib. c. 103.
c In sphinge. c. 4.

CAPVT XIV.

Materiæ diversæ, ad honestam eruditamq; recreationem in convivio, aut plurium consortio instituendam.

SVnt & aliæ inter convivia jucundæ narrationes, quæ pro suorum quisque professione studiorum, aut rerum ab experientia, vel lectione haustarum cognitione occupabit. Ita Astrologo de siderum motu ac magnitudine, eaque, quam in terras habent operatione disserere, perquam erit ad audientium voluptatem accommodum, qui multa earum, ante oculos licet expositarum, rerum ignorant. Nolim tamen illum imiteris qui pro ventre solum dissertationem hanc instituisse visus est. Nam cùm in opposita ora patinæ, bolum sibi pergratum observasset, cæli motum cursumque designaturus, ita ait, hi ab Angelo motore in orbem feruntur, ac postremò sibi jam propiorem partem demessuit.

Peregrinationibus exercitati, illa quæ alibi rariora, memoratuque digniora, experientiâ, vel certa cognitione hausêre his subinde colloquiis inserent: Neque tamen importunè obtrudent, aut figmentis adhibitis extollent, cum utrumque nimiam vanitatem sapiat, & sæpe fastidium pro voluptate adferat audienti.

Argutiis quandoque sophisticis hic etiam ludere, non tamen lædere, erit gratiosum. Dedi, illorum complura, quamvis non omnia mensæ, (nisi forte narrare malis, quàm imitari (opportuna. c. 10. l. 2. Hic paucula adjiciam, ut quæ potissimum

tissimum hanc convivalem gratiam mereantur non ignores. Vulgatum illud est Adolescentis studiosi sophisma, quo ex mathesi deprompto parenti rustico homini suum in bonis artibus profectum probare conatus est. Erant in tenui mensa, tria in disco ova proposita, in parentem utrumque & filium æquo numero partienda. Tum ad patrem versus filius. *nescis*, inquit, *hic quinque nobis ova proponi. Sanè*, ait pater, *id nescio. Id verò*, respondet filius, *mea me philosophia docuit, ac facile convincam ratione, ut hoc ipsum cogaris agnoscere:* nam *ubi tria sunt, ibi duo: At ubi tria sunt & duo, ibi sunt quinque. Ergo hic sunt quinque.* Nondum, inquit pater, satis assequor: ut verò de veritate certius constet. *tria ego cum matre ova sumam; tu ergo reliquis fruere duobus.* Vidit novus hic mathematicus suo se captum sophismate. & doluit pro hac arte, tam fallaci minerval esse persolutum. Ita sophistico etiam homini Diogenes occurrit, qui hac illum captione pertentabat. *Quod ego sum, tu non es.* annuebat Diogenes. subsumsit alter. *ego sum homo.* & hoc concessit Diogenes. *Igitur*, infert sophista, *tu homo non es.* Tum Diogenes *vera omnia, si à me argumentum inceperis.* In sola persona aberrasti. Dicendum tibi itaque erat: *quod tu es, ego non sum; tu es homo. Ergo &c.*

Vt error huius sophismatis pateat, quod speciē pro individuo substituit, sume illud, quod inter vini cōpotores usurpari poterit. Et sit tale. *Quod ego bibo, tu non bibis: ego bibo vinum. Ergo tu non bibis.* Magis implicatum est, quod Turca qui Christianum

stianum captivitate interceperat, proposuit. *Si prædixeris*, inquit, *quid tecum porrò facturus sim, liberum te dimittam.* Tum Christianus: *retinebis me captivum.* Cumque ille prædictionem tacendo firmaret. *Ergo*, excepit Christianus, *libertatem ex promissione debes, quia quod futurum erat, prædixi.* *Imò*, inquit Turca, *si te liberum dimisero, non prædixisti, quod erat futurum. Ne igitur falsus sis, teneor te in captivitate retinere.* Hoc igitur Sophisma quendam involvit labyrinthum.

Non omnino dissimile est, quod de Corace Syracusano retuli l. 2. c. 10. De Epimenide Cretensi & illud Heidfeldius, quamvis paulò aliter inducit. *(a)* Dixerat ille, *Cretenses esse mendaces*, longâ doctus experientiâ. Quæritur itaque, credendum Epimedini, an non? nam si ipsi credimus, qui Cres est: quomodo verùm est Cretenses esse mendaces: nisi nos fateamur credere mendaci. si non credimus, Cretenses non erunt habendi mendaces: ideoque & ratio deest, cur non credamus Epimenidi. Verùm subtilioris hæc penè, quam pro epulis, disputationis sunt, & narranda potius, quàm exemplis imitanda, ne inutili speculatione caput fatigetur,

Amœniora futura sunt, quæ ingeniosa aliqua inventione nituntur artificia, si in convivali hilaritate usurpentur. ut si e. g. oblato *pomo:* quæras, *num quis præsentium putet, fieri posse, ut salvo atque integro pomi cortice, illud medium dissecetur?* Quod si non existiment fieri posse, tu poteris hac arte præstare. Acum, immisso filo, circumduc pomo, sed sub ipso pomi cortice, hac ratione, ut

(a) In Sphinge c. 29. acum

acum primo inter corticem & pomum inferas, quousque poteſt, tum ubi emerſit, ſub pellicula rurſum protrudas ſequente ſemper filo, donec ambito pomo, illic emergat acus cum filo, ubi primùm fuerat inſerta. Tum utraque fili extremitate apprehenſa ſenſim ſecando extrahe. Ita enim educto filo, cortice integro, pomum erit diviſum, ac ſecta tenui pelle, etiam dilabetur.

Ita ſi promiſeris, te ex cultro oræ menſæ nudè impoſito plenum vino vel aqua urceum ſuſpenſurum, licet culter nullo in menſa retinaculo firmetur : hac illud arte præſtabis. cultrum, vel bacillum, urceoli anſæ inſertum fulcire debes bacillo, ſub cultro, illic ubi anſam tranſit ad fundum ipſum urcei rectà deſcendente. ita enim culter in altera extremitate firmus : ſive digito, ſive menſæ, ſive alteri rei cum urceo appendatur, tanquam uncus, firmiter hærebit.

Eſt & illud ad fallendum oculos ſpectaculum non injucundum, quo nucem, vel nummum vitro pleno injectum ſalire ad numeros facies, quando occultè illi crinem glutine aliquo, ſimulque uni tuorum digitorum affixeris. ubi enim tunc digitos, velut ad numeros in organo muſico, movere cœperis, aſſiliet in vitro nux aut nummus. non obſervantibus cauſam motus ceteris. Ad lumen tamen veſperi facilius aliorum oculos crinis effugiet, quàm ad lucem ſolis.

Et hanc licebit quæſtionem inducere. *quemadmodum duo poſſint inter ſe partiri vinum heminarum octo, quod in uno quiſpiam poculo. A continet; ſi alter duo habens pocula : unum B, quod heminas*

hemmas quinque, & alterum C, quod heminas tres complectatur, ex æquo dividi postulet? Ita verò fiet, ex poculo A imple B, ex hoc C: ita in B, remanebunt duæ, in A tres heminæ: quibus si alias tres ex C adjicias, habebit A rursum sex. Deinde ex B duas, quas habet, heminas in C. transfunde, & ex A iterum B imple, ex hoc unam postremò heminam, quæ C deest transfunde, & retinebis in B quatuor, quos potest unus divisorum accipere, & alter capere reliqua: in C tres heminas, quas adjunget uni, quæ in A remansit.

Ita Charites tres Novem Musis occurrisse asseres, singulasque pari numero pomorum instructas, obtulisse Musis unum singulis, ac totidem deinde retinuisse, quot dederant. Quæres igitur *quot singula Charitum poma habuerint?* & respondebis 12. *ex quibus cum novem sint distributa tria retenta sunt.*

Non dissimile illud, quod duobus filiis evenit, quibus pater ficus obtulerat: ea lege, ut partirentur. Questus minimus est, à fratre leges æquæ divisionis neglectas esse. *nam si*, inquit, *adhuc unam ex meis possideret ficubus, alterum tantùm haberet, quam ego. Imò*, ait frater natu major, *si adhuc unam obtineres ex meis, jam ex æquo possideres dimidium. Excessus igitur meus minor est, quàm anni, & stomachus grandior poscunt.* Quæritur. *quot hic ficus pater dederit, & quomodo partiti sint?* & respondetur 12. *datas, & quinque unum, septem accepisse alterum.*

Si poculum cujus collum angustum latera extantia sunt, aut phialam solo stramine elevare volueris,

tio quatuor, & sic deinceps duplicando pendat! Nam respondetur, si 40. tales clavi, vel globi essent, habiturum obolos 549755813888. hoc est, imperiales (ut Coloniensi utar computo 587345955. & obolos octo. Quare si totidem vendidisset Dominus quispiam pagos, pro opulenta illi ditione hoc pacto abundè solutum esset. licet primum pagum pro uno daret obolo, alterum pro duobus &c,

Sic si aliquem invitares ad portiones ciborum, aut vini, eâ lege, ut ex una bolum unum, aut vini unciam sumeret, ex secunda duas, & tertia quatuor, is denique par futurus non esset capacitate ventris, & ultimas quantumvis magnas solus deberet absumere. Hæc aliaque ex mathematicorum regulis legibusque sumpta non inamœnam in plurium societate præbent disserendi materiam. cujusmodi plura in Thaumaturgo mathematico Casparis Ens Coloniæ edito reperies, & eruditæ honestæque recreationi suppeditabis. Mihi paucis acquiescere hoc loco placuit, & in literario epulo hæc magis ad gustum, quàm satietatem proponere.

FINIS.

INDEX RERVM ET HISTORIARVM.

A.

ABstinentes 370 & seq. & 395 & seq. & 401. Adolescens improbus rejectus 177. audiat alios 179. petulans correctus 197. & 198. generosus 254. & 287. imperans Græciæ 328. temperans 377. ebrius in Religiosum transformatus 387.
Adversa fortiter tolerata 85, & 86. joco sublevata 87.
Adversarius excitat 251
Adulator 140. adulatori invisus 150. & 178. dignè muneratus 187. canis est 221. excæcat 204. & 233.
Advocatus imperitus nocet 158
Æger 230
Ænigmata & griphi 416. & seq. 420. & seq.
Æquitas causæ prodest. 160
Ambitio punita 304
Amicorum defectus ferre 208. & 233. abuti 221. & 222.
Amor boni communis 160. Amori dolor junctus 310. inordinatus amor piscium 359.
Anathemate percussi Siculi ob cædem Gallorum 34.
Anima nulli vilis 328. Diabolo vendita 384.
Argutè dicta & inventa ad diversa prosunt 323
Arrogans sed ignorans 161

Arrogantia pseudopontificis perstricta 97. & Medici 207.
Artificiola quædam facta ad recreationem. 428. & seq.
Ars alit artificem 159. Marti præstat 320. excellunt hac Germani licet potatores 268.
Asinus mustum bibens 81. pro hostia oblatus 327.
Astrologi errant 133. derisa vanitas 152. casus 168.
Asylum perditorum 134
Avarus infelix 141. parcus 180. nimio vendens 220. ditescens nulli bonus 240. delusus 294. cibum suis invidet 318. avari senes 258. felices eorum filii 286.
Audaces sæpe vincunt 306.
Aviditas petentis delusa 95 & 135 & 170 & 185. & 324.
Aulâ nec procul, nec prope sis. 213.

B.

Balneorum amans 91. balneum sordidum 146
Barba hosti pugnanti ansa 27
Bella Dei ope succedunt 179. suos autores affligunt 248. desperata 307.
Beneficus erga ingratum 137. erga hostem 275. beneficiis respondendum 185. obliviscens iis indignus est 288.
Beneficia Eccl. appetere 285. plura nocent 160. ut bene facias dantur 218. plura illicita 237.

Biho-

Bibones 374. & seq. 278. & 380. & seq. 406. & seq.

C.

Canities laudata 129. in barba & crinibus diversa. 413.
Cantu tibiarum certare 18. satisfacere cantu 65.
Capillitio superbire 32
Captivi clementer habiti 85. & duriter 86. mansuefacti 301.
Carnes ad epulas olim non adhibitæ 347. pro piscibus comesæ 365. malo eventu devoratæ 373.
Causa ex effectu nota 176.
Certamen edentium 368. abstinentium 369. & seq.
Compotantium 376. & 378.
Cæcitas prodest 188
Chirurgus æs amat 291
Christus Julianum Imp. opprimit. 19.
Chymicus spe frustratus 200
Claudus Agamestor delusus illudit 335
Clementia Principis 296
Commoda cum imcommodis ferre 20. cum alieno incommodo quærere 311.
Concordia servat 117. malè neglecta 208. instaurata 219.
Conjuges concordes 134. placidi 168. discordes 303.
Consilium in bello præ robore est 111. malum 269.

Con-

Constantia in tormentis 210. in opprobrio vitando 279.
Convitia à jocis absint 52. improbitas 53 dissimulanter sæpe ferenda 54. malè vicissim jaciuntur 55. punita 162. retorta 216. Rex sustinet 246. & 250. declinata. 222. & 231. & 290.
Convitiator semper vincitur 128. convitia exspectet 150. & 152. & 292. non credendum 329.
Conviviis sacræ sententiæ rarò adhibendæ 32. & 33. mutos non amant convivia 161. parca 209. qui sermones his inferendi 335. & seq. Mod. imperator, adhibitus 338. & 407. rectè instruere artis est 340. frugalia 342. sorte data 343. erudita 343. iucunda 344. & 403. In his olim consultatum 346. ad scurrilia in eis prolabi 346. nimium inhærere 400. quæstionibus condire 409. &c.
Convivis bonis facilè satisfit. 160. piè illuditur 365.
Coquus à cane delusus 194. insulsus 232. industrius 364.
Corporis cura 177. & 196.
Corruptela pecuniæ turpis est 235. exprobrata 316.
Crassus derisus. 291
Crudelitas Herodis in filios 82. Pompeii 205
Cupiditas delusa 83. & 153.
Cura sui 134. mundi 254.
Curiositas trahit 261

Curiosus perstrictus 188. & 196. & 204.
Custos gregis 214

D.

Dæmon cum Deo irreconciliabilis 108. Dæmonem fingens evadit 172. suspenditur ib. Emptor animæ 385.
Damnum accipere præstat, quam dare 155.
Debita affligunt 192. ad fraudes convertunt 201. & 210
Debitore oppresso jacet creditor 289.
Defectus nostros facilius fatemur, quam audimus 13. corrigere eosdem 141.
Defensor timidus 268.
Defensus argutè Absalon 71. Athanasius 72. miles à Cæsare 136.
Deformem sola vestis non ornat. 274
Delictum aut errorem argutè excusare 88. & 89. & 90. Corrigere 92. & 93.
Demissio impetrat 302
Detractorum gravis malitia 49. viles 51. fidem amittunt 151.
Desperatio deiicit 214
Deus vix sat cognoscitur 206. non offendendus præ homine est. 241. sæpe venerandus 252. malè ludibrio habitus 386.
Dicacitas offendit 12. & punitur 13
Dicteria qui jacit rursum sustineat 15. & 17. retorquere licet 19. & 257. Sed circumspectè 28.

Disciplina meliores facit 178
Dissimulatio opportuna sit 125
Dissolutus 294 & 300
Divitiæ turbant quietem 188. potentes sunt 228.
Docti aulæ prosunt 263. An doctus Homer o forti præstet Achilli? 309
Doctor negligens 234. imperitus 299.
Doctrina potior nobilitate 252
Dolor brevis longo timori præfertur 201
Domus quam Dominus ornatior 328
Dona conciliant Iudices 182. captator munerum delusus 185. spreta 247. paria 255.
Duella prohibita 100. joco declinata 101. & 102. & 300
Duellatores ad pugnam ferè inepti 260
Dux fortis 180. & 126. prædæ contemptor 273. anima exercitus 306.

E.

Ebrietatis turpitudo & pœna varia 389. & 407. & seq. lepidè correcta 387. ex Fumo 394.
Ebrius minus peccat 272. spretus 392. & 380. & seq. Deo vinum acidum propinat 386. sitiens 397. delusus 387. & 399. & 407.
Edendum cum esuritur 204. certare edendo turpe 368. vide *Gulo* & *Helluo*.
Elatio in prosperis premenda 274. Hispani in adversis elatio 300.

Elatus

Elatus rursum deprimitur 322

Eleemosyna liberalis sit 157. & 291. nil perdit 261. ex rapto 288.

Eloquentia labore possidetur 241

Emptor venditori illudit 232. & 385.

Episcopus choro præsit 169. arma non sumat 320.

Epitaphium dissoluti adolescentis 318.

Epulum lautissimum 341. pretiosissimum 353. insolens. 354. & seq. Varium 356. ex humanis carnibus 553.

Error arguté excusatus 90. correctus 94.

Erudité dicta factaque Athenis observata indices 7.

Excubiæ incorruptæ 144. neglectæ puniuntur 227.

Expeditio felix in bello 215

Exprobrata cæcitas 13. edacitas 15. tenacitas 16. levitas 16. hæresis 17. servilis conditio 18.

F.

Fabulis intenti ad seria torpentes 61

Famæ non statim credendum 147

Fames condit cibos 271. affligit 400.

Famulis domini prosunt 142

Fastus ad spectaculum 263

Fatis nihil imputandum 192

Fides malè præstita 147. & 317. Rufo non data 152.

152. qui Deo negat, hic & homini 160. In deposito neglecta 180. facundia melior 248. mutata in bello 312. politica 423.
Filius degener 168. Filiæ consultò elocandæ 291.
Fiscus reip. moderandus 216
Forma oculos capit 167. & 177. sine mente vana est 204.
Fortis in tormentis 207. in adversis 275. in imagine tantùm 278. laus ficta forti displicet 181.
Fortuna incerta est 68. & 309. favet divitibus 208.
Fratres dissimiles 326
Fraus illicita 62. fraude occupata urbs & tradita 63. pecuniâ 66. fue 70. In lusu 68. fraus astutè plexa 76. reposita 131. in autorem recidens 257. & 304.
Frugalia Laconum convivia 342. sine carnibus olim 347.
Fucato ne fide 306
Fuga excusata 130
Funus gratum Novercæ 138
Fur deludens alios 161. & 172. magni parvos premunt 197. furem Lucius tenet 202. devotus 231. se condemnans 295. captus 293. vafer 301. delusus ib. furi parcit 311.
Furti reprehensus 98. & 299. & 296. furtum excusatum 341. retortum 367. detectam 398.

G. Gal-

G.

Gallus assus reviviscens 30
Genus auspicari 135. origine gloriari vanum 253. & 267. primam intueri prodest. 254
Gibbosus deformis 229
Gratiæ prosunt 182. non juvant indigum 308
Gravitas importuna 298
Gula nocet valetudini 147. per gulam correcta 151. prodiga 352. & seq. punita 553.
Gulo 393. & 404

H.

Hæresis pervertit 164. prædicta 217. ab illa conversus 268.
Hæretici carnifices facti 166. claves non habent 234.
Helluo 405. vide *Gulo.*
Heredes improbi nocent reip. 155.
Homo rebus potior 140. bestialis 141. Definitus Platonicè 328.
Honestum utili præferendum 110
Honor ex virtute 140. mutat mores 143. & 191. & 284. amor honoris 294. spretus honor 156. eius cupiditas 164. & 196.
Hostis irrisus ulciscitur 45. & 46. pugnando exercetur 111: joco ab urbe aversus 115. reconci-

liato non fidendum 131. defensione & offensione propulsandus 313. & 326.
Humanitas Principum 83. nimia 162.
Humilis superbit 183.

I.

Iaculator imperitus 195
Iejunium verum ac fictum 269
Ignorantia omnium 264
Illusorum pœnæ ab homine & Deo 46.
Ioci liberales suo tempore grati 8. immoderati displicent 10. mordacitas in his vitanda 11. in sacris rebus cavendi 27. & 32. & 33. Iocis delectati Principes 59.
Imago Dispar personæ 126
Improbi præfecti reip. 272
Improbitas intolerabilis 97. perstricta ib. & 164 & 205. & 207.
Imperii stabilitas amor subditorum 107. & obedientia 250. & authoritas imperantis 209.
Inanis gloria delusa 232. janctantia refutata 324.
Inconstantia Marci Tullii 240
Indignum digni fulciunt 313
Infernus æternus est 243
Infortunium spretum 144

Ingenia disparia 249. in temporis affectu 223. pro terra variantur 293.
Ignorantia omnium 264
Inimici de nobis sensus explorandus est 308
Injuriarum oblivisci Regem decet 148. patiens 219. & 252.
Injustitia quis amisit pecuniam 76
Ira delira est 182. cohibenda 278. vana sine viribus 308.
Iratus se continens 196
Iudæus perfidus 67. Christianæ carnis appetens 78.
Iudex vigilans 148. æquus 199. rei ignarus 239 prudens 277.
Iudicium plebis 136.
Iudicium facta præcedat 142
Iudicia argutè soluta 75. & 76. & 77. 78. iniquum Cyri corrigitur 78. stultum 293. contra se latum 295. implicatum 325. iniquum 422.
Iuramentum correctum 165
Iuris peritus indoctus 155
Iustitia fortitudini præstat 249

L.

Labor fructum habet 181. & 312. inutilis 205. digna merces 299.
Lacrymæ opportunæ 134
Latinitas corrupta 319 & 320

Laudis appetitus 165. probro repensus 169.
Lector quis optandus 228
Legata persolvenda 12. fraude interversa 64.
Legati malè delecti 181. Impetrare illis honori est 252.
Levitas exprobrata 269
Liberalitas erga superos 247. erga doctus 247. erga alios 239. in victos 287.
Libertas in armis servata 103. vafrè oblata. 316. in edendo 135. viri fortis in morte 187. animi est 220. in conciliis loquendi 257.
Libidinosus spretus 98
Libido castigata 280
Libri edendi dignè 142 & 233
Lingua optima & pessima res 130. diversitas in sermone 139. Latina pura fit 236. in theca Custoditur. 367.
Lites inutiles lepidè diremptæ 80
Loquacitas vitiosa 136 & 231. molesta 272. secum stulta 166.
Loquendum de cognitis 133. ut intelligaris 157. tempestivè 166.
Luctus parum serius 193. ridiculus 359. nullus *ibid.*
Lucri amor 199. honestum sit 261.
Ludificatori illusum 166. & 189 & 211.
Lusor alearum punitus 68 & 296. de amissis dolet 231.

Luxus Philosophi 175. & 176. castigatus 192 & 552. ad inopiam ducit 30. in vestitu correctus 304. vanus in vestitu 310. in cibis 341. & 353 & 354. 356. & 359. & seq. Sybaritæ 366.

M.

Mala ex bonis nata 119
Maledicus seipsum lædit 50
Maledictio in caput autoris recidens 51
Maria Virgo plectit derisorem 27. & 28.
Medicus ægris servit 90. ex luctatore factus 166. aurum amat 229. successibus suis felix 258. an reip. utilis sit 289. olere suos curans 319.
Mediocritas optima 117
Mendacia vitanda 261. detorta 267 detecta 299 excusata 326. non impunita 134.
Mendax fidem non meretur. 427
Mendicus fit dando 165. patiens 189.
Mensa lauta 141. & 341. frugalis 342. & 345. & 347. & seq. prodiga 352. & seq. simplex 357. non aspernanda amici 143. ex re tenui lauta 364.
Mercatorum sors anceps 321
Miles spolians 162. pellem suam à morte donans 171. stans in prælio 188. & 195. jacta-

tor 195. & 297. sine annona imbecillis 204 citò sepultus 266. ex virtute æstimandus 281
Minæ spretæ 154
Mora laudabilis 275. sæpe noxia 312.
Modestia decet 253
Mordacitas jocorum vitanda 43. & 44.
Moriones Principum sæpe importuni 33. 24. & 26 rejecti 293.
Mors hilari animo adita 84. & 86. spreta 141. & 200. cum hac sors vertitur 168.
Mors par omnium 171. & 256. suspensa 172. innocentis gloriosa 188. bona optanda 249. pro patria 251. sors ejus diversa 285. contempta 307. aliis optata 322.
Mortuis insultare 298
Mulier imperare cupiens 91. & 105. contentiosa tolerata 104. correcta *ibid.* & 105. inimico favenda 105. parva *ibid.* bigama & querela correcta 116. fortis 141. aspectus noxius 174 ex oliva suspensa 189. virili in habitu ne sit 190 ex regno Franciæ exclusa 242. vafra 236. Levis 263. malæ domitæ 301. vino abstinentes 406.
Mundi vanitas in morte apparet 169
Munera spernere 143. negata indigno *ib.* Levia repensa liberaliter 305. donantibus dantur 256 in aula ambigua 218.
Musicus imperitus 239. magni alendus 297.
Mutatio repentina 129

N. Nasi

N.

Nasi magnitudo derisa 23
Naves fraude interceptæ 69. In litore tutæ 176.
Necessitas non semper excusat 2*1
Neutrius partis deluditur 218. anxius est 248. optatur 278.
Nugæ abjectæ 56. Sacerdotum 57. Principum 58.

O.

Obsessis cautè erumpendum 255
Odore pasci satis non est 285
Officium quæstuosum 66. coemptum 229. suum quisque obeat 261.
Olus salubre 319. olim cibus 347. & 348.
Omen victoriæ 315
Opes noxiæ malè moratis 161. sæpe amissæ prosunt 179. extollunt suos 268.
Opus verbis præstat 154. respondeat verbis 313 & 321. ex opere judicatur 170. & 253. & 307. & 324.
Oraculi veritas 29. vanitas 277.
Oratio mentis index 239. pro orante 259. dispar factis 277. par 280. loco aptata 297.
Orator ridiculus 167. persuadens indigna 172. prudens 245. fastidiosus 250. & 284. præceps

 217.

217. sordidus 237. confusus 138. & 307. sophisticus 325. non ubique loquatur 339.
Ostenti vanitas 156. & 189. & 277.
Ovum. 414. & seq.

P.

Parvus magnus 167. animosus 289.
Pastor ovium 228
Pater crudelis 157
Patienter tolerata verbera 118. & 196. querelas ferre 214.
Patriæ possessiones inter Principes non sunt dividendæ 79. qui hanc spernit spernitur 167. salus illius spectata 263. quæ sit verè patria 278.
Patrocinium rei iniquæ non præstandum 154.
Pauper dives 159 & 199. in morte dives 277.
Paupertas quibusdam saluti 157.
Pax æqua sit 140.
Peregrinatione pauci meliores fiunt 250.
Perfidus Iudæus 67. aliquando servit 182. punitus 265.
Perfidia argutè suadetur. 330.
Petulantia exprobrata 294.
Philosophus sophisticè delusus 325. & seq. major homine 329.

Pictorum certamen 151. victus alter 175. victor 192. arte præstans 198.
Pictura rei dissimilis 154. autorem servat 154. bruta probant 220.
Pietas cælum aperit 226
Pinguis spretus 98
Pisces pascere 176. varietas deliciæque eorum 359. amor 361. & 362. copia 363.
Plebs non est contemnenda 179
Podagræ molestum otium 344
Pœna 129. digna 253. & 226. remissa, 284.
Pœnitentia perversa 174. ordinata 197.
Poëta bibulus 25 & 391. fastidiosus 158 & 170. malus 249. errores excusans 292.
Popularem non esse 165.
Potator lepidus 194. spretus 214. naso rubens 264 enormis 374. & seq Lutherus 392. Cicero 393. Germani 399.
Potus cuique sit liber 157. certæ mensuræ 393. nimius majorem sitim accendit. 397.
Potentioribus in jocis & dicteriis parcendum 30. & 22.
Prædam dividere antequam capta sit 107. intervertere 171 & 241. malè partiri 209. iniqua 319.
Prælatura cedere difficile est 317
Preces perversæ 310. rejectæ 328

ttt4 Prin-

Principes qui certò salventur 61. præsint, non negotientur 115. nimium vulgò familiares non sint 21. argutè & prudenter jocis usi 83. Princeps moderatus 155. profusus 156 discat & legat 263. non hæreat in mensis 282 generosus 283. humilis 303. indignus 135 & 331. nec amicus suis nimium nec hostis 156.

Probrum regestum 166 & 209.

Prodigus 91. & 132 & 134 & 222. serò sapit 165. pater 225. filius 230 excusatio illusoria 189. citò exhauritur 197. stultè 352.

Próditio non proditor amatur. 259.

Promissa politicorum infida 95. fallacia 267.

Promptitudo ad desiderata 94.

Proximus quisque sibi 146.

P[illegible] animosus 204. Virum indicat 240. disciplina coerciti 280.

Pugnandum opportunè 161 contra hostem se dignum 205.

Q.

Quæstiones variæ convivales 410. & seq. 419. & seq. 428. & seq.

Quæstor malæ fidei 291

R.

Regere malos difficile eſt 161. domum propriam regere 208. & 215. docti ſæpe malè regunt 260. Cithara regenti non convenit 272. regere dulce eſt 315.
Regibus non detrahendum 132. honorantur vix amantur 146. Aures habent in pedibus 170. non timendi ſi boni 175. deſpectus 219. unus ſit 216. Rex regno excluſus 242. in iniquis non parendum 245. benignus 245. Vigilans 246 gravis & remiſſus 254. captus vincit 217 laus rege indigna 219. Rex avarus 221. & crudelis *ib.* & 222. nuces relinquit 266. beneficus ſit 274. hominem ſe meminerit 274. ſuo judicio omnia definiens 281. excellat 309. turbulentus ne ſit 317. ſpretus 323. regia cogitet 361.
Regum ſecreta tace 273
Regnum mundi breve 266. vanum eſt 303. pro illo à multis certatur 315. Franciæ ad feminas non tranſit 321.
Rhetor non ſemper orator eſt 310.
Religio malè everſa 215. bello vix propagatur 269.
Religioſi facilius, quam alii carpuntur 257.
Ridiculi Imperatoris nugæ 44. ridiculus error *ib.*

Risus immoderatus turpis est 9. amissus & redditus 47. fatalis 48.
Rustici gratuitò vix benefaciunt 149. astu rusticus aulicos fallit. 202. Urbem juvat & juvatur, 255. in Principem ebrius transformatur 387.

S.

Sabbati observatio ridicula 398
Sacerdos rudis delusus 98. sobrius fit 190
Sacræ res & sancti non deridendi 28. 29. & 30 & 57 & 137.
Sacrilegia Dionysii Tyr. 193
Sacrilegi puniti 29
Sanitatis bonum 264
Sapientis anima nobilis 189. obsequitur sapientibus 287. Dominatur 331.
Satellitum iter 252
Sceleratos Deus non audit 177
Sceleris etiam nocet suspicio 276
S. Scripturæ verba minimè profananda 32. pœna profanantis 35. ridicula ejus expositio 185
Scurrilitas à jocis absit 40. ejus turpitudo 41. punita fœdè 42.
Senis autoritas 142. ad novas nuptias aspirantis 155. avarus 156. de forma solicitus 196.

Sene-

Senectus præsens displicet 216. prudentior est 290. ne sit otiosa 310.
Serius condolere 223.
Servitus objecta 18. declinata morte 279.
Servus frugi 150. liber 164. nimium adstrictus 206. ejus conditio spreta 316.
Sepulturæ neglectus 205 & 230. votum 206.
Simonia castigata 138.
Simplicitas ægræ 293 derisa 318 retorta 327. delusa 184 & 299.
Simulatio ingeniosa 73 & 272. laudabilis 74. noxia in consiliis 112.
Sobrietas Spartanorum 190.
Societas proborum 204.
Solutio debiti fraude delusa 65. par credito 285 solvere par pari 311. vanè promissa 424.
Sophismata captiosa 325. & seq. 426. & seq.
Somnii eventus fallax 181.
Spoliare alios per jocum 34. nudos nemo spoliat 183 & 205.
Spurius 300.
Strategema Hannibalis ad Cannas 114.
Studium in literis laudabile 258. studiorum negligens 300.

Stulti

Stulti non vituperandi 14 & 138. exequiæ vivi 60. inconstantes sunt 90. stultè judicant 127. prudentes docent 142. non agnoscunt 167. de die somniant 260. sufferendi 281. plagis docendi 283. ubique sunt ib. & 320 se stultum fingens 286. sapienter monet 296. Morus minimè stultus 231.
Subdito nil contra Dominum licet 314.
Subtilitas Philosophi delusa 331.
Superbia vestium correcta 92. 94. & 95. in spreto fastu 180.

T.

Taciturnitas tempestiva 128. discenda 129.
Tarditas lepidè perstricta 94. & graviter 234.
Temperantia decet 127.
Testis fide dignus 176
Timor delusus 128. stultus 293.
Timidus miles ignavus est 306
Tormenta bellica Apostolorum nomine Ingolstadii reperta 330.
Tributum grave est 89 & ejus novi inventores 285. moderatum sit 313.
Tyrannis delusa 171. refutata 208. contempta 212.

Tyran-

Tyrannus invisus 178. frequens 198. ad mortem quæsitus *ib.* exspectatione delusus 186. breve illius regnum 242. ex humili elatus 236. crudelis 238. & 258. avarus 271.

V.

Venatorum impensæ stultæ 203
Veritas defendenda non causa 200. quantum à mendacio distet 313.
Vestiti insolenter, 93 & 94
Victores cladem sentiunt 127. victor animosus 237
Victus fugit 240 repentè victa Lusitania 290
Vindicta cohibita 279. turpis in muliere 297
Vinum dilutum displicet 210 & 285 probat hominis indolem 220. & 389. à multis amatur 390 & seq.
Vita chara est 201 & 260. fabula est 216. 246. bona morti præstat 249. felix 252. longæ vitæ apprecatio 265. mollis vita arma fugit 270.
Vir muliebri in habitu 126 & 252. præsit 133. animus facit virum 165. junctus uxori solvi cuperet 242. patiens rixarum 219. cum pueris ludens 276.
Virtutis nomen liberis tributum 191. non differenda in senium 250. Virtus præ genere 224. Virtute parta, eadem servantur 323.

Vivere

Vivere ex aere 395. sine cibo 396.
Voluntas benevola muneranda 330
Voluptatis repertæ præmium 334
Vorax 222. & 357. & 366. & seq
Vrbs astu restituta 282. fortiter defensa 311.
Vxor continens 133. rara bona est 190. virorum liberatrix 201. verberibus multata 319. *vide* Mulier.

Z.

Zoilus spretus ob maledicentiam 50, facilè quod carpatur, invenit 239.

FINIS.

Errata

Errata nonnulla incidenter legenti occurrentia. Cetera Lectoris prudentiæ corrigenda relinquo.

PAg. 20. v. 19. *Fescin.* l. Fescenninis. p. 21. v. 11. *sidum* l. fidum. v. 25. *cujus* l. cuivis p. 23. v. 7. *tum* l. cum. p. 24. v. 25 *infam.* l. infam. p. 26. v. 1. *s̃i* l. fine v. 2. *de* l. dein v. 3. l. gesticulatione p. 57. v. 18. l. Laurentii. p. 59. v. 4. l. nervorum. p. 72. v. 19. l. honestatis. p. 83. v. 10. l. studio. p. 84. v. 30. l. æstimationem p. 87. v. 25. l. sensit. p. 95. v. 15. l. præmio. p. 101. v. 23. l. infelix p. 104. v. 2. l. furentem. p. 116. *repone in tribus ult. lineis literas, & lege.* tu in didicit. p. 152. v. 20. l. rutosque p. 164. v. 12. l. delusa. p. 169. v. 2. l. Amiculum. p. 185. v. 27. Tyrannus &c. *dele & suppone.* Hæretico illusori S. scripturæ illusum. p. 194. post lin. 10. *pone.* 27. Orator & potator lepidus. p. 267. v. 17. *suum* l. suam. p. 279. v. 26. l. Improbis. p. 286. v. 3. l. se fingeret. p. 314. v. 10. l. jussit. p. 335. v. 11. l. Modimperator. p. 342. v. 3. l. gentili p. 353. v. 7. *dele* as p. 359. v. 11. l. Minturnum. p. 362. v. 7. l cognoscendum esse. p. 379. v. 10. l. turpitudo ib. v. 14. l. in vino. p. 407. v. 21. *qua scelera* l. quæque scelera.

* * * * * * *